This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


3 2044 011 496 338

Mod. Lat. Poetry. ML 88.55
Hymns.
Liturg. Works.
2874
11-2



5 volsen 3 $8.88

Emptus
EX DONO
THOMAE HOLLIS, ANGLI,
HOSPIT·LINCOLN·
REG·ET ANT·SS·LOND·
SODALIS.
Accept. 1 Jany 1858

CAMBRIDGE HARVARD COLLEGE LIBRARY

THESAURUS

HYMNOLOGICUS

SIVE

HYMNORUM CANTICORUM SEQUENTIARUM CIRCA ANNUM M̄D̄ USITATARUM COLLECTIO AMPLISSIMA.

CARMINA COLLEGIT, APPARATU CRITICO ORNAVIT, VETERUM INTERPRETUM NOTAS SELECTAS SUASQUE ADIECIT

HERM. ADALBERT. DANIEL,
PHILOS. DR. SOCIETATIS HISTORICO-THEOLOGICAE LIPSIENSIS SODALIS.

TOMUS PRIMUS.
HYMNOS CONTINENS.

LIPSIAE
SUMPTIBUS J. T. LOESCHKE.
MDCCCLV.

ML 88.65

1858 January 1

Stock in Holden Fund = $ 8.88

OCT 14 1916

VIRO PERILLUSTRI

CHRIST. CAROL. IOS. BUNSEN

SERENISSIMI REGIS PRUSSIAE

A CONSILIIS LEGATIONIS INTIMIS

APUD FOEDUS HELVETICUM MINISTRO

PLENIPOTENTIARIO

DE SACRA POESI MERITISSIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Prolegomena.

Cum iam a primis academici curriculi initiis, cum multarum rerum opportunitate usus, tum auctorem et ducem nactus virum reverendum, cui tacendo me gratius scio facturum quam laudis praeconio, studia mea in historiam ecclesiae christianae veteris accuratius cognoscendam contulissem et semper in hunc studiorum quasi munitissimum portum ex huius temporis tempestatibus lubenter confugissem: factum est ut mox etiam poetis christianis hymnisque ecclesiasticis animum adverterem. Nam quae ad cultum divinum pertinent pro viribus investigare et perscrutari a prima aetate mea plurimum interfuit. Atque ego, quo diutius in his recentis et fidei et caritatis christianae documentis cognoscendis versatus sum, eo libentius discessi in sententiam Casp. Barthii viri et insigni doctrinae copia et admirabili facundia ornatissimi, qui, Fateor, inquit, in poetis veteribus me christianis amare simplicitatem ipsam dictionis et sensuum, quae quo est candidior, eo est merito gratior: cum tumor ille et affectatae eloquentiae picturae non sinant animum pura rerum dulcedine numeris infusarum gaudere" (Adv. LIV, 7). Neque vero rebus in dies exploratis eidem viro diligentius assentiri dubitavi in his quae addit: „Volo, ut redhostimenti loco felices illae animae hoc a me habeant, ut scripta eorum mea ope legantur emendatiora." Magnum autem incitamentum studiis meis accessit ex tot virorum doctorum querelis assiduis ac gravissimis, qui thesaurum hymnorum sacrorum et eum quidem apparatu critico instructum tam desiderari maxime iterum iterumque pro-

fessi sunt. Illorum virorum alii talis operis quasi prima lineamenta describere susceperunt, alii ad ipsam hymnorum collectionem aggressi sunt; quod cum primo initio a meo me proposito parumper deterruisset, post tamen incitamento mihi erat, ut rem semel susceptam tanto acrius ad finem perducere studerem.

Quod autem saepe numero accidit, ut si quid e longinquo conspectum initio incerta species nebula ac nubibus involuta videatur, ipsa autem rei forma paullatim perspicue cernatur, idem in litterarum quasi campo usu venire solet. Quare ab initio curae erat operis, quod suscepissem, naturam cognoscere ut quid efficere vellem et quid sequerer bene perspectum haberem. Primum enim cavendum erat ne humeri mei opus subirent cui ferendo pares non essent, neve solus laborem susciperem, quem nisi coniunctis multorum viribus nemo sustinere posset. Deinde meum erat, eorum qui in his rebus candidi iudices essent, consilia nullo non tempore sequi: quod studium ut mihi plurimum et delectationis et utilitatis attulit, ita bilem mihi moverunt hominum quorundam harum rerum imperitorum vanae opiniones. Denique quis est qui ignoret, quam multa in tali opere peragendo non ex sola auctoris voluntate, sed etiam e rebus externis pendeant. Quae cum ita essent, ne in immensum campum excurrendum nobis esset atque ut materiem paene infinitam certis quibusdam terminis circumscriberemus, apud animum nostrum constituimus, eos tantum, qui in cultum sacrum vel quondam adhibiti essent vel etiamnunc adhiberentur eligere hymnos, quod si in quo dubium esset, eum certiores rationes secuti recipere quam omittere maluimus. Alii hymni tam egregii et omnibus numeris et partibus absoluti videbantur, ut eos recipere nihil dubitaremus. Alterum terminum cum nobis constituimus, quod in eligendis hymnis saeculum XV. non egrediendum arbitrati sumus. Nam etsi poetae ecclesiae Romanae etiam post Lutheri aetatem multa eaque praeclara cecinerunt, ea tamen omnia, quum diversi generis sint, nolumus curare:

quamquam ea et ipsa facili negotio addi poterunt, modo mihi contigerit ut eam quam opus nostrum sibi quaerit gratiam ac favorem nanciscatur. Denique — isque est tertius quem constituimus finis — hymnos et sequentias de sanctis (utendum est enim vocabulo ecclesiastico) eas tantum elegimus, quae vel a rebus et virtute poetica vel a metrica ratione vel alia de causa multum commendationis haberent; cetera satis habuimus primo versu notavisse et apud quem auctorem vel editorem inveniretur breviter indicasse.

Itaque hanc instituti nostri rationem per totum opus secuti sumus, ut primo loco hymnos poneremus et critico apparatu instructos et idoneis veterum interpretum adnotationibus illustratos, quibus sicubi opus erat nostras adiecimus explicationes. Eodem modo sequentias, quae vocantur, Cantica et Antiphonas, ex quibus elegimus celeberrimas, tractavimus. Tum latinitatis glossarium addidimus, quod omnibus, qui mediae et infimae latinitatis indolem cognoscere studerent, sperabamus non ingratum fore. Denique accedunt commentationes cum de hymnorum sacrorum historia tum de metricis eorum rationibus, quo labore supersedere non poteramus ut lectori quam facillimum ad hymnos intelligendos aditum patefaceremus. Postremo etiam indicem quam copiosissimum et accuratissimum adiecimus quiquanti aestimandus sit, sciunt omnes qui in dogmatum historia cognoscenda versantur: quare iam primo operis nostri volumini indicem deesse noluimus.

Postquam universam instituti nostri rationem exposuimus, restat ut pauca singulatim dicantur.

Hymni quomodo disponendi essent diu multumque mecum reputavi, eoque in negotio animus (libere enim fatendum est) saepe diversissimas in partes distractus est. Quum ad liquidum perduci non posset quaestio, quo quisque hymnus tempore compositus esset, temporum rationem sequi nobis non licuit. Quare tutissimum atque optimum duximus, prout παράδοσις ecclesiastica, suum cuique poetae tempus assignare, ita hymnos disponere idque

duabus de causis. Primum quod homines critici clamitare solent, quae illa traditione ad nostram aetatem pervenerint, ea fere omnia a vero plus minusve abhorrere, id ipsum si quidquam aliud in controversiam vocandum est. Atque ego non dubito discedere in sententiam Iac. Grimmii, qui de carminibus S. Ambrosii ita iudicat (cf. p. XII.) „Ambrosii vero, quem cantus ecclesiastici iure patrem appellare licet, non omnes esse qui Ambrosiani dicantur, viris doctis facile concedo, quamquam ea in re valde discrepant eorum iudicia; non tamen putem hymnos A. vulgo adscriptos, sed non agnitos ab editoribus criticis, tardius quam proximis post eum saeculis compositos fuisse, adeo parem ac ceteri simplicitatem referunt." Ambrosianorum nomine (ut in re etiamnunc satis controversa quid sentiam libere profitear) ii hymni mihi contineri videntur, qui etiam proximo post Ambrosium tempore in breviarium Mediolanense, quod ritum Ambrosianum religiose servavit, recepti sunt. Verumtamen satis habemus hanc rem leviter tetigisse, ad quam pertractandam aliquando revertetur disputatio. Iam addamus alteram causam, cur in adornandis carminibus eam quam diximus instituti rationem secuti simus. Nam omnes qui in studiis hymnologicis versantur non possunt quin inquirant, quae cuique poetae carmina traditione tribuantur.

Vix autem est quod memoremus in hymnis exscribendis nos codicum manu scriptorum et librorum vetustissimorum auctoritatem secutos esse, spreto Breviario Romano quippe quod sexcenties emendatum sit. Sed quum illi viri, qui metricis plerumque de causis critici partes susceperunt, illo negotio felicissimo saepe successu in brev. Romano defuncti sint, nosque thesaurum huncce etiam omnibus ecclesiae Romanae addictis tanquam donum fraternum offeramus, factum est ut hymnos fere omnes etiam tales quales Brev. Romanum praebet describendos curaremus: saltem hymnorum eorum qui ante annum MD. in Brev. Romanum recepti sunt omi-

simus nullum. Hymnorum versiones, si quae exstabant, omnes adiicere a proposito nostro alienum duximus; earum tantum quae iam ante Lutheri fuerunt aetatem rationem habere nobis licuit, quarum antiquissimae cum ipsis codd. manuscr. paene eodem loco ac numero habendae sunt. In his explorandis cum Hoffmanni studia mihi multum profuerint (Geschichte des deutschen Kirchenliedes bis auf Luthers Zeit. Breslau 1832), tum etiam mihi contigit ut C. E. Ph. Wackernagelii opus eximium nuper in lucem editum in rem meam convertere possem (Das deutsche Kirchenlied von Martin Luther bis auf Nicolaus Herman und Ambrosius Blaurer. Stuttgart 1841).

Iam ut etiam de adnotationibus tribus verbis dicamus, pro instituti nostri ratione exclusimus eas, quae ad auctorem et aetatem hymnorum pertinent et quae lexicographici, metrici vel etiam grammatici generis sunt, propterea quod illae res omnes in glossario tractantur; omninoque noluimus in adnotationibus ea uberius exponere, quae satis videbatur in indice breviter notavisse. Hymnos ut adnotationibus asceticis illustraremus nobis suasit vir summe reverendus Nickelius. Et illud quidem negotium lubenter suscepissemus, si nobis licuisset. Sed nisi brevitati usquequaque maxime studendum fuisset, multa quae ad historiam ecclesiae et dogmata pertinent, copiosius fusiusque explanavissemus. Quam eadem in re rationem in sequenti volumine secuturi simus, nondum nobis constat, quum quantum sibi gratiae opus nostrum conciliturum sit nondum compertum habeamus.

Iam non alienum erit narrare, quibus ex fontibus hauserimus quibusque auxiliis usi simus. Quicunque harum rerum periti sunt, ii facile intelligent nobis exspectatione plurium fontium aditum esse patefactum: quod vix et ne vix quidem contigisset, nisi multorum virorum benignitate ac liberalitate mirum in modum adiuti essemus. Non quidem dubito quin futuri sint, quibus numerus codicum manusc. non satis magnus videatur, et ipse maxime doleo quod in bibliothecis Vindobonensi

et Monacensi antiquissimas membranas inspicere et diligenti manu versare non licuit. Sed ni fallor multi in hymnis recte constituendis libris manu scriptis nimium tribuunt. Nam breviaria dioecesana, quae circa annum MD typis descripta sunt, e diligentissima eorum, qui in dioecesi exstabant, codd. manusc. comparatione profecta sunt, ut hos ipsos auctoritate si non superare, certe aequare mihi videantur. Idem valet de antiquis et recentioribus hymnorum collectionibus, veluti Cassander multos codd. Germanos, Clichtovaeus Gallicos, Thomasius Italos inspexit.

A. Codices.

I) Anni MDCCCXXXIX. auctumno quum Dresdae commorarer, breviaria in bibliotheca regia asservata adii, quum huius rei exoptatissimae occasio mihi oblata esset. Primum adii breviarium illud, quod catalogus manusc. sub titulo A. 147 habet, quum id ex accurata narratione Falckensteinii mihi antea innotuisset. Sed est illud Horarium potius, quum horas de Beata Virgine, de Spiritu Sancto etc. contineat. Aetas eius sine dubio saeculum XV. vel XIV. non superat, origo autem si non ab ipsa dioecesi Metensi, certe ab affini aliqua repetenda videtur esse. Picturae marginales quibus codex insignitus est dignae sunt ad quas, quicumque harum rerum periti sunt, animum advertant. (D. 1.)

II) Eadem in bibliotheca alterum inveni breviarium, in indice sub A. 228 notatum, ex libris Crusii. Hoc breviarium, quod ordini Dominicanorum in usu fuit, ex commemoratione quorundam sanctorum, velut S. Athalae, apparet, ex regione Rhenana superiore originem traxisse. Hunc tamen codicem vix initium saeculi XV. transgredi persuasum habeo. (D. 2.)

III) Eadem fere ratio est codicis chartacei, qui quum quondam in bibliotheca monasterii S. Petri Erfor-

diae asservaretur, nunc meus est. Inest in hoc codice „Glosa super Ymnos“ quae tamen ad explicandos hymnos fere nihil confert. Huic glossae commentarius de summula Raymundi additus est. (E.)

IV.) Antiquissimum eorum quos inspeximus codicum debemus liberalitati Rambachii Viri Doctissimi, qui cum primus — nam haec laus eius semper propria erit et mansura — in hymnologia viam muniverit, tum de nobis optime meritus est, cum nobis subsidia et rarissima et exoptatissima ad Thesaurum nostrum suppeditaverit. Est ille quem diximus codex ex bibliotheca civitatis illustrissimae Hamburgensis, quem Staphorstius (Hamb. Kirchengeschichte Thl. I. S. 310 sqq.) decimo atque adeo nono saeculo adscripsit. Contra Rambachius Anth. I. p. 23 quum in codice S. Catharinae mentio facta sit, suo iure saeculum tertium decimum non egrediendum esse statuit. Sed in eiusmodi breviariis duplex pars distinguenda videtur, una primitiva, altera quae ex posteriore tempore additamenta habet. Eadem ratio videtur esse huius codicis: hymni enim in festum S. Catharinae, Conceptionis Mariae aliis litteris aetatem posteriorem indicantibus exscripti sunt; et quum hoc quoque notabile sit, hymnos in festum Corporis Christi nondum inveniri, haud scio an illud quod commemoravimus proprium de tempore duodecimo atque adeo undecimo saeculo vindicandum sit. (H.)

V) Breviarium dioecesanum chartaceum ex bibliotheca Rev. Capituli Cathedralis Merseburgensis liberalitati Freieri, Viri Ornatissimi, debeo; qui codex manu scriptus, etsi vix saeculum quartum decimum egrediatur multa tamen continet propria. In his hymnorum paucias et Octavarum; nam desunt adeo Octavae Epiphaniae et Assumptionis. (M)

VI) In libris manu scriptis, quos Fr. Iunius indefesso labore satis ille notus, possedit, postea autem bibliotheca Oxoniensis acquisivit, inest etiam vetusta interpretatio

germanica XXVI hymnorum. Nonnulli viri docti in studiis ad veterem linguam germanicam pertinentibus hoc codice usi sunt: primum, quartum, quintum et ultimum hymnum iam Hickesius vulgarat, reliqui omnes in lucem prodierunt cura et studio Iac. Grimmii, viri mira quadam doctrinae copia instructi, quo nunc patria nostra gaudet („Hymnorum Veteris Ecclesiae XXVI Interpretatio Theotisca, nunc primum edita. Gottingae MDCCCXXX). Quum et hymni latini et versio Germanica, quae ille codex manusc. complectitur, in octavum saeculum incidant, id quod Prolegomenis Vir doctissimus argumentis satis idoneis confirmavit, nihil est quod exponamus, quanti hic Grimmi liber a nobis aestimatus sit. (O).

VII) Cum audivissem in bibliotheca academiae Herbipolitanae breviaria antiquissima asservari, confisus liberalitate Ludwigii, Viri Doctissimi, cuius curae ac tutelae bibliotheca illa commissa est, et Reussii, Viri Ornatissimi, cuius humanitatem non possum satis praedicare, almum Senatum academiae omni qua par est observantia ausus sum rogare, ut codicum illorum vetustissimum mihi mitti concederet. Qui quum precibus meis benevole annueret, factum est ut duo antiquissima breviaria inspicere possem, quorum unum est ex celebratissimo monasterio Ebracensi et nisi fallor saeculo tertio decimo scriptum est. (W. 1.)

VIII) Alterum est breviarium dioecesanum ex bibliotheca monasterii Benedictinorum, quod S. Stephanum patronum colebat. In quo cum nonnulli festi dies seriores ad cultum Mariae pertinentes desint et festum Corporis Christi unum modo hymnum habeat, non dubito quin codex sub finem saeculi XIII. scriptus sit. (W. 2.)

B. Breviaria.

a) Dioecesana.

I) *Canonicarum horarum liber secundum ordinem Rubrice Ecclesie Halberstadensis ordinatus studiosissime revisus. correctus et emendatus. et ad instar correctissimorum exemplarium collatus. Ac per Georgium Stuchs Nurnberge impressus Anno virginei partus. Millesimo quingentesimo quintodecimo. Idibus Novembris feliciter finit.* Meum est. (Hl.)

II) *Canonicarum horarum liber secundum ordinem rubrice Sancte ecclesie Magdeburgensis. summo studio revisus atque denuo correctus in officina Georgii Stuchs civis Nurenbergensis impressus. Anno a partu virginis glorioissime Millesimo quingentesimo quatuor decimo mensis Octobris die vigesimo primo finit.* Ex Bibl. Orphanotrophei Halensis (Mgd.)

III) Breviarium Misnense typis exscriptum circa annum MDX. Ex Bibliotheca Academiae Halensis. (Msn.).

IV) *Viatici pars estivalis secundum rubricam ecclesie Merseburgensis.* In calce libri: *Finita est hec Pars estivalis viatici Merseburgensis atque impressum pervigili cura. Arte et ingenio industriosi Melchioris Lotter Ducalis opidi Liptzensis concivis Anno salutifere incarnationis Millesimo quingentesimo quarto. die Iovis. quinta decima mensis Augusti.* Ex Bibliotheca S. Mariae Halensis (Msb.)

V) *Breviarium Pataviensis ecclesie mira formandi arte pervigilique cura sollertis viri Petri Lichtenstein impensa vero Leonardi et Lucae Allantse fratrum bibliopolarum vienensium. Absolutum est Venetiis anno Salutigero* 1515 *die* 25 *Maii divo ac semper augusto Maximiliano*

primo imperiale sceptrum fauste tenente. Hoc breviarium ex biblioth. gymnasii Zuicoaviensis Hertelius Vir Doct. benevole suppeditavit (Pt.)

VI) Breviarium ecclesiae Salisburgensis, quod meum est. Hoc vehementer doleo in fronte et in calce esse mutilum atque deesse nomen typographi atque annum. Est sane splendide typis exscriptum. (Sl.)

VII) *Breviarium hoc iuxta veras rubricas sacrae Myndensis ecclesie ordinatum sollerti lucubratione praevia opera ac vigilanti cura industriosi viri Georgii Stuchs de Sulczpach. quod splendide exaratum anno nonagesimo supra millesimum quadringentesimum, decimo vero nono calendarum Ianuarii explicit.* Id mihi aliosque libros ex Bibliotheca academiae Gottingensis, cui summa cum humanitate et liberalitate praeest Benekius, Vir. Doct., Havemannus et Rankius, Viri Doct., quos summa colo observantia, miserunt benevole. (Md.)

VIII) *Breviarium secundum rubricam ecclesie Havelbergensis diligenter recognitum.* In calce: *Lipsie in officina Melchioris Lottheri longe quam ante accuratius et emendatius Anno a natali christiano Millesimo quingentesimo decimo octavo.* Meum est. (Hv.)

IX) *Breviarium dicendarum Canonicarum horarum ad morem Severiani Collegii Erphordiensis.* In calce: *Impressum et completum est praesens breviarium in nobili famosaque urbe Moguntina Huius. artis impressorie inventrice prima: per honestum virum Ioannem Schoeffer civem Moguntinum. Anno dominice incarnationis Millesimo quingentesimo decimo octavo VIII Idus Februarias.* Ipse librum possideo (Ef.)

X) Meus est etiam libellus rarissimus in Gallia typis exscriptus: *Heures a Lusage de Lengres au long sans rien*

requerir. Imprime a Troyes chez Iean le Coq. (sine anno et numeris foliorum), qui sub finem sollemnes per totum annum hymnos continet. Placuit nobis librum litteris Lg. notare, quum illi hymni sine dubio in dioecesi Lingonensi in usu fuerint (Lg.)

XI) *Hymni ecclesiae excerpti e breviariis Romano Sarisburiensi Eboracensi et aliunde Oxonii Z. H. Parker MDCCCXXXVIII.* Hymni e brev. Romano correcti a nostro consilio alieni erant, exoptatissimi tamen erant qui ex brev. Sarisburiensi et Eboracensi desumpti sunt. Nam uti ex illo, cuius modo mentionem fecimus, libello cognosci poterat, qui apud Francogallos usitatissimi fuissent hymni, sic ex hoc qui apud Anglos. (Sb. Eb.)

b) monastica.

XII) Breviariorum quae ordinis S. Francisci fuerunt multorum nobis patuit aditus. Antiquissimum est bibliothecae Halensis S. Mariae a nobis literis Fr. notatum; in calce legitur: *Explicit breviarium secundum morem romane curie. Impressum Venetiis per Franciscum Renner de Hailbrun. Anno domini MCCCCLXXXI.* Alterum (Fr. 2.) e mea est bibliotheca. Legitur in calce: *Explicit Breviarium secundum ritum Romanum Venetiis impressum arte et indensis Andree de Torresanis de Asula. MCCCCXCU die vero XIIII Martii Feliciter.* Praeterea comparavimus nonnulla alia ab illis fere nihil discrepantia. 1) *Explicit Breviarium secundum ordinem sancte Romane ecclesie magna cum diligentia revisum et fideli studio emendatum. Idque in alemonia regali civitate Nurembergk multum famosa impressum arte et impensis Anthonii Koberger praefatae civitatis incolam. Anno incarnatae deitatis elapso MCCCCLXXX VI. IIII Idus Decembris.* Meum est. 2) *Et sic finitur breviarium secundum usum romane curie arte et charactere honesti viri Iacobi de pforczen civis Basiliensis ducto vero fratris Nicolai vincentii ordinis*

minorum elaboratum. Anno salutiferae incarnationis quadringentesimo nonagesimo tertio. Ex bibliotheca S. Mariae Halensi. Inde etiam 3) aliud breviarium fortasse antiquius. Sed desunt annus et nomen typographi. Paginae numeris nondum notatae — Denique etiam ad manus erat recens Minorum breviarium, quod amicissimus nobis Diedrichius, magister scholae latinae in Orphanotropheo Halensi, nobis largitus est: *Breviarium Romano — Seraphicum etc. Coloniae Agrippinae MDCCXXXIV.*

XIII) Ordinis Dominicanorum est Breviarium bibliothecae Gottingensis vetustum, quod et Norimbergae anno MDLXXXII editum est (Pd.) Breviarium eiusdem ordinis recentius debemus bibliothecae Orphanotrophei. Prodiit illud Parisiis a. 1643.

XIV) Bibl. S. Mariae Halensis nobis suppeditavit vetustum ordinis S. Benedicti breviarium: *Finit pars hyemalis breviarii reverendorum patrum ordinis divi Benedicti de observantia per Germaniam unionis Bursfeldensis. Parrhisiis impressa per Desiderium maheu in vico sancti Iacobi commorantis sub intersignio sancti Nicolai prope templum sancti Benedicti. Sumptibus Godofridi Hectoris honesti bibliopole. Anno dominice incarnationis M. CCCCCXVIII. De XV mensis Ianuarii* (Bd.). Recens eiusdem ordinis Breviarium meum est: *Breviarium monastico — Benedictinum quadripartitum. Typis Principalis Monasterii Einsidlensis. anno MDCCXLIII sqq.*

XV) Ex breviariis Eremitarum S. Augustini duo consuluimus: unum ex bibl. S. Mariae Halensi, sine anno et titulo, sed procul dubio pervetustum (Aug.), alterum ex nostra: *Breviarium secundum ritum sancte Romane ecclesie summa cum diligentia emendatum et castigatum in quo etiam multa superaddita sunt quae in consimilibus breviariis nunquam alias fuerunt impressa feliciter explicit. In alma Venetiarum urbe per Iacobum de Leuco accuratissime Impressum. Anno salutifere domini nostri*

Iesu Christi incarnationis quingentesimo 18 *supra millesimum nonis Octobris* (Aug. 2).

XVI) Ex eadem bibl. S. Mariae est pervetustum Carthusianorum Breviarium: *Breviarium Sacre religionis Cartusie. Ab exemplari correctissimo Impressum Salutiis per magistrum Simonem bevelaqua Papiensem. Anno domini* 156 *die* 22. *Aprilis.* (Ct.)

XVII) Ex breviariis ordinis Cisterciensis antiquis, in quibus hymni more singulari et insolito dispositi sunt unum ex bibl. Gottingensi inspeximus: *Brev. camerale ad usum Cisterciensis ordinis anno currente MCCCCCX ab eodem monacho qui praecedentia eiusdem ordinis brev. correxerat diligenti cura castigatum et ad. hanc satis amplam formam redactum, reverendissimi patris domini Cistercii obedientia punctis in eodem ordine fieri solitis utiliter comunitum incipit feliciter — Venale reperitur Parisiis sub leone argenteo vici sancti Iacobi.* (Cs).

C. Subsidia litteraria quae hymnos collectos et explicatos continent.

I) Sub finem saeculi XV in Germania saepius typis excusa est *Expositio hymnorum.* Varias huius operis editiones novi hasce: *Expositio Himnorum cum notabili commento. Coloniae apud Henricum Quentell* 1492. — *Expositio etc. Hagenoviae* 1493. — *Expositio Himnorum tum notabili commento implicat historias cum optimis allegationibus sacre svripture illorum sanctorum vel sanctarum de quibus tales himni decantantur. Coloniae* 1494. — *Expositio Himnorum cum notabili commento.* In calce: *Basileae impressus per Michaelem Furter. Anno inc. domin.* 1504. — *Exp. H. cum familiari commento iam dudum in lucem edito.* In calce: *Liber himnorum cum textuali interpretatiuncula iam du-*

dum laboriose congestus iterato repressus est in domo quondam Henrici Quentell Coloniae 1506 *ad finem mensis Maii.* Editio quam ego possideo omnibus est antiquior. Inscripta est *Expositio hymnorum perutilis omnibusque salubris:* deest annus et nomen typographi, sed ex omnibus elucet in officina Quentelliana circa annum MCCCCXC typis esse descriptam. In hac hymnorum collectione memorabile mihi visum est initium libri: „Liber iste dicitur liber hymnorum. Hymnus dicitur laus Dei cum cantico. Quattuor fuerunt principales autores qui hymnos composuerunt, Gregorius, Prudentius, Ambrosius, Sedulius. Sed quidam vir prudens nomine Hilarius videns illos multos hymnos composuisse, dignum duxit placuitque quosdam in unum colligere compendiose, in unum componere brevem et utilem tractatum, in quo omnes hymni fuerunt." In hoc exordio vestigia vetustatis singularis exstare mihi videbantur. Itaque vel maxime gavisus sum quum Gersdorfius Vir Doct. ea qua notus est liberalitate ex Bibl. Paulina Lipsiensi codicem 720 in quo etiam „Expositionem himnorum" inesse audiveram, mihi mitteret. Mox enim intellexi hoc in codice exhiberi Hilarii nostri commentarium, quem certe tertio decimo saeculo compositum esse ex aetate codicis suspicari licet. Hilarius ille quando vixerit et quis fuerit et quae operis eius ratio sit infra disputabimus (Hil.)

II) *Hymni de tempore et de sanctis in eam formam qua a suis autoribus scripti sunt denuo redacti et secundum legem carminis diligenter emendati atque interpretati. Anno domini MDXIX.* In calce libri legitur: *Hymnis per anni circulum occurrentibus latina cum enucleatione adiunctis difficilium clausularum significatis. extrema apposita est manus. Argentoraco in Ioannis Knoblouch calcographi edibus humane redemptionis etc.* Auctorem se appellat in prooemio Iacobus Wimphelingus Sletstatinus († 1528): verum quod sciam viri docti qui Wimpfelingii libros enumerant huius operis non iniiciunt

mentionem. Ceterum in hoc libro fere passim Hilarium sequitur (Wimpf.) *).

III) *Liber Hymnorum in metra noviter redactorum. Apologia et defensio poeticae ac oraturiae maiestatis. Brevis expositio difficilium terminorum in hymnis ab aliis parum probe et erudite forsan interpretatorum per Henricum Bebelium Iustingensem edita poeticam et humaniores litteras publice profitentem in gymnasio Tubingensi. Annotationes eiusdem in quasdam vocabulorum interpretationes Mammetracti* **). *Thubingen* 1501. Hunc librum Rambachius liberalissime mihi misit (Beb.)

IV) *Hymni et Sequentie cum diligenti difficillimorum vocabulorum interpretatione omnibus et scholasticis et ecclesiasticis cognitu necessaria Hermanni Torrentini de omnibus puritatis lingue latine studiosis quam optime meriti.* In fine legitur: *Impressum Colonie per Martinum de werdena Anno domini MCCCCCXIII in profesto Visitationis beate Marie virginis.* Exstat huius libri editio secunda: *Hymni et Prosae ecclesiasticae vulgo sequentiae dictae breviuscula quidem sed maxime commoda Hermanni Torrentini explanatione illustrata. Qui piis et christianis oblectantur canticis his se oblectent. Coloniae. Excudebat Petrus Horst* 1536. Utramque editionem inspexi, sed quum ille vir doctus in secunda Clichtovaeum plus minusve secutus sit, prior editio nobis longe pluris videtur aestimanda. Hanc mea bibliotheca suppeditavit. (Torr.)

---

*) Rarissimum librum eiusdem auctoris „De hymnorum et sequentiarum auctoribus generibusque carminum quae in hymnis inveniuntur" quem multum nos adiuturum esse speramus Vir Praecl. Ullmannus ex bibliotheca Palatina nobis liberalissime misit.

**) „Ein vielfach beim Unterricht eingeführtes Lehrbuch, eine Art Grammatik mit dem sonderbaren Titel Mammetrachus od. Mammotreptes war zu einem Ansehen und Einflusse gekommen, die unvertilgbar schienen. Sie auszurotten, war Bebel mit aller Kraft bedacht." Ersch. Gruber Encyclopädie s. v. Bebel.

V) *De tempore et sanctis per totum annum hymnarius in metra ut ab Ambrosio, Sedulio, Prudentio ceterisque doctoribus hymni sunt compositi. Groningen phrisie iam noviter redactus incipit feliciter.* In fine: *Et sic est finis.* Debeo Rambachio. (Gron.)

VI) Ex bibliotheca S. Mariae Halensis suppeditatus est mihi liber, initio mutilus, qui psalmos et hymnos continet. In fine legitur: *Psalterium Davidis adiunctis hymnis felicem habet finem opera et impensis Melchior Lotters ducalis opidi Liptzensis concivis Anno Milesimo quingentesimo undecimo XVIII die Aprilis.* Hoc opus litteris (Lps.) notavimus.

VII) Iodoci Clichtovaei operis copia doctrinae utilissimi et primam et secundam editionem Ven. Rambachio, cuius insignem liberalitatem non possumus non praedicare, debemus. *Elucidatorium ecclesiasticum ad officium ecclesiae pertinentia planius exponens et quatuor libros complectens. Primus Hymnos de tempore et sanctis per totum annum. — Secundus non nulla cantica ecclesiastica antiphonas et responsoria. — — Tertius ea quae ad Missae pertinent officium, praesertim praefationes. — — — Quartus prosas quae in sancti altaris sacrificio dicuntur continet.* Primum prodiit liber Parisils 1515 deinde Basileae 1517 et 1519. Opus Clichtovaei abbreviatum, sed in hymnis auctum prodiit *Venetiis in vico S. Mariae formosae ad signum spei* 1555. Cl., quum breviariis Italis Gallicis et Hungaricis usus sit, opus eius summo loco est habendum. Multus quidem est in annotationibus sed non paucae earum utiles sunt (Clicht.)

VIII) *Hymni ecclesiastici praesertim qui Ambrosiani dicuntur multis in locis recogniti et multorum hymnorum accessione locupletati. Cum Scholiis opportunis in locis adiectis et Hymnorum indice Georgii Cassandri. Beda de Metrorum generibus ex primo libro de re metrica. Coloniae Anno MDLVI.* Iterum hymni excusi

in operibus Cassandri quae prodierunt Parisiis 1616. Hymnorum textum ut ita dicam optime recensuit multis breviariis imprimis Germanicis apte collatis. Notae auctoris non magni aestimandae sunt; nam fere omnes sunt dogmatici vel polemici generis. In Romana ecclesia liber est vetitus (Cass.)

IX) Collectiones hymnorum quae quidem circa Lutheri tempora a Lutheranis institutae sunt sed ad recensendum textum non multum valent quum permulta in iis mutata deprehenderim. Ad manum erant: *Psalmodia* etc. *per Lucam Lossium Lunebergensem cum praefatione Phil. Melanthonis Witebergae apud Haer. Georgii Rhau* 1561 (Loss.) *Cantica Selecta Veteris Novique Testamenti cum Hymnis et Collectis seu orationibus purioribus quae in orthodoxa atque catholica ecclesia cantari solent. Addita dispositione et familiari expositione Christophori Corneri Lipsiae cum privilegio MDLXVIII* (Corn.) *Cantica ex sacris literis in ecclesia cantari solita cum hymnis et collectis etc. recognita et aucta per D. Georg. Maiorem anno* 1570. — *Witebergae Laurentius Schwenck Eisfeldensis excudebat.* — *Psalterium Davidis etc. cum lemmatibus ac notis Adami Siberi. Accesserunt Hymni festorum dierum insignium. Lipsiae Iohannes Rhamba excudebat Anno MDLXXVII.* (Sib.) Palma ex mea sententia tribuenda est Ludeci operi: *Vesperale et Matutinale etc.* MDLXXXIX. (Lud.) quod idem eis qui cultum Lutheranae ecclesiae veteris cognoscere studeant maximae utilitati erit.

X) *Hymnorum Ecclesiasticorum ab Andrea Ellingero V. Cl. emendatorum libri III etc. MDLXXVIII Francofurti ad Moenum.* (Ell.) Haec collectio omnium quas vidi copiosissima, sed quum in duobus prioribus libris hymni propter metricas rationes prorsus mutati sint, tertio tantum libro uti licuit, in reliquis duobus Ellingeri auctoritas ibi tantum me movit, ubi lineola adiecta notavit veterem et genuinam scriptionem exhiberi.

XI) *Poetarum Veterum Ecclesiasticorum Opera Christiana et operum reliquiae atque fragmenta. Thesaurus catholicae et orthodoxae ecclesiae et antiquitatis religiosae ad utilitatem iuventutis scholasticae, collectus, emendatus digestus et commentario quoque expositus diligentia et studio Georgii Fabricii Chemnicensis. Basileae per Ioannem Oporinum MDLXIIII.* (Fabr.)

XII) Ven. Thiloni debeo: *Divorum patrum et doctorum ecclesiae qui oratione ligata scripserunt Paraphrases et Meditationes in Evangelia dominicalia* (in altera parte: *in hist. evangelicas quae festis Sanctorum publicis conventibus explicantur*) *e diversis ipsorum scriptis collectae a. M. Ioach. Zehnero ecclesiae Schleusingensis pastore et Superintendente. Lipsiae* 1602 *sumptibus Thomae Schureri.* Liber utilissimus, cuius auctorem in hymnis ecclesiae christianae veteris satis versatum esse non possumus quin fateamur omninoque ex illo libro apparet illo quoque tempore apud Lutheranos studiosissimos fuisse hymnorum veterum amatores. (Zehn.)

XIII) *Iosephi Mariae Thomasii S. R. E. Cardinalis Opera omnia — — Tomus Secundus continens Psalterium iuxta duplicem editionem ad Mss. codices recensuit notisque auxit Ant. Franc. Vezzosi Cleric. Regularis Romae* 1747. (Hymni continentur p. 351—434.) Hic liber in Germania satis rarus est, sed eo carere nullo pacto potest hymnorum sacrorum editor. Comparavit Thomasius codices Vaticanae antiquissimos omninoque multos Italicos, quare si quis hymnos ecclesiae veteris usque ad saeculum VIII. investigare constituerit ei ex illo libro tanquam fonte primario hauriendum erit. (Thom.)

XIV) *Anthologie christlicher Gesänge aus allen Jahrhunderten der Kirche. Nach der Zeitfolge geordnet und mit gesch. Bemerkungen begleitet von Aug. Iac. Rambach Prediger bei St. Iacob in Hamburg. 1ster*

Band. Die vorzüglichsten griechischen, lateinischen und altdeutschen Kirchenlieder enthaltend. Altona u. Leipzig, Hammerich 1817. Thesaurus noster ostendit quoties quantumque studia praeclara Rambachii in usum nostrum converterimus. (Ramb.)

XV) *Corolla Hymnorum sacrorum publicae devotioni inservientium. Veteres electi sed mendis quibus iteratis in editionibus scatebant detersi, Strophis adaucti. Novi adsumpti, recentes primum inserti. Coloniae Agrippinae* 1806. *Typis Haeredum Schauberg.* Hic Walraffii liber, quem Ven. Augusti, morte ille literis nuper ereptus, nobis donavit, plurimum prodest iis, qui in hymnis, quos post Lutheri aetatem protulit ecclesia, cognoscendis studia posuerunt.

XVI) Liber Björnii: *Hymni veterum poetarum Christianorum ecclesiae latinae selecti. Hafniae* 1818 — in paucis tantum nos adiuvit.

XVII) *Lateinische Anthologie aus den christlichen Dichtern des Mittelalters. Für Gymnasien und Lyceen herausgegeben und mit Anmerkungen begleitet von Ioseph Kehrein, Lehrer am Gymnasium zu Mainz. Erster Theil. Die acht ersten christlichen Jahrhunderte. Frankfurt a. M. Sauerländer* 1840. Auctor hoc consilium sequitur ut alumnos gymnasiorum catholicorum ad hymnorum sacrorum cognitionem adducat: quae res si recte succederet, vehementer gauderemus. Annotationes Kehreinii ad discipulos pertinere vix est quod moneamus, quamquam passim etiam nobis nonnulla in usum nostrum convertere licuit. (Kehr.).

Iam enumeratis his subsidiis nostris nostrum est animo grato eos viros commemorare qui consilio nostro fautores, laboribus adiutores exstiterunt. In hoc numero primum locum obtinent Ven. Thilo, cuius mihi auctoritas cum aliis in rebus tum hoc in opere plurimum valuit, Ven. Tholuckius, cuius multum intererat labores

nostros prospere cedere, Hermannus Dryander, vir hymnorum latinorum non minus quam germanicorum peritus, F. A. Ecksteinius, collega litteratissimus qui ea qua solet humanitate haud mediocriter me adiuvit. Denique non possum quin gratias agam duobus viris qui a primis operis initiis per totum meum laborem consilio et opera mihi adfuerunt: Aug. Voigtio muneris scholastici societate mihi iunctissimo et Chr. Diedrich quem et curriculi scholastici societas et veteris amicitiae vinculum mecum intime coniunxit. Horum virorum opera atque industria in vitiis exstirpandis et emendandis maxime adiutus sum, quamquam et me et illos emendatores nonnulla fugerint menda.

Faxit autem Dominus ecclesiae christianae O. M., cuius honorem omnes hymni celebrant, quem cantica praedicant et sequentiae cum antiphonis laudibus certatim extollunt, ut hic etiam studiorum nostrorum fructus ad salutem ecclesiae christianae valeat. Offerimus opus nostrum tanquam donum omnibus quicunque nomen Christi sancte colunt, offerimus sanctissimo redemptori pro unitate atque amabili ecclesiae concordia sacrificium neque aliud quid ex intimo animo precamur, nisi ut ipsi quoque sentiamus illud quod de sanctissimo patriarcha scriptum legimus: *Respexit Dominus ad munera eius.*

Scribebam Halis in Paedagogio Regio
die XXI. Maii MDCCCXLI.

Herm. Adalb. Daniel
PH. DR.

A.

S. HILARIUS.

I.

Hymnus matutinus.

Lucis largitor splendide,
Cuius sereno lumine
Post lapsa noctis tempora
Dies refusus panditur.

Tu verus mundi Lucifer,
Non is, qui parvi sideris,
Venturae lucis nuntius
Angusto fulget lumine.

Sed toto sole clarior,
Lux ipse totus et dies,
Interna nostri pectoris
Illuminans praecordia.

Adesto rerum conditor,
Paternae lucis gloria,
Cuius amota gratia
Pavescunt nostra corpora.

Tuoque plena spiritu,
Secum Deum gestantia,
Ne rapientis perfidi
Diris patescant fraudibus.

Ut inter actus saeculi,
Vitae quos usus exigit,
Omni carentes crimine
Tuis vivamus legibus.

Probrosas mentes castitas,
Carnis vincat libidines,
Sanctumque puri corporis
Delubrum servet spiritus.

Haec spes precantis animae,
Haec sunt votiva munera,
Ut matutina nobis sit
Lux in noctis custodiam.

Hymnus noster legitur una cum epistola ad Abram missa apud editores Hilarii [ad manum mihi erat Ed. PP. Ord. S. Bened. Tom. II. p. 530] item apud Fabricium, Thomasium, Rambachium, Kehreinium, qui opera Hilarii Basil. a. 1523. 1535. 1550 et Parisiis a. 1544 edita inspexit. — l. Thom. Kehr. optime. At neminem fugit vocem in carmen irrepsisse ex aliorum hymnorum exordiis, ut Lucis creator optime vel Rerum creator optime. Id sexcenties factum esse inter omnes constat

2. Thom. sermonis lumine cf. Gen. 1, 3. Ed. 1523. 44. pro lapsa ipsa, 4. Thom. Kehr. refulsus 6. Edit. Bd.: editi: parvus oritur. ita Thom. 8. Thom. fulgens 11 Fabr. materna. 15. 16. Ed. Bd.: Ms. Germ. admota gratia patescunt (ita Fabr.) ubi Ottob. duo Colb. et alius S. Petri de Cultura (consentiunt edit. Kehr.) amota gratia — pavescunt, quod nobis placuit. Male in vulgatis (apud Th. quoque) ad nutum gratiae patescunt. Porro in alio Ms. Germ. subiicitur.

Tuaque sancta dextera
Tuere nos per saecula
Post huius vitae terminum
Vitam perennem tribue.

17. Ed. Bd. In vulgatis: tu quoque pleno spiritu. 19. Ed. Bd. Germanensis cod. nihil adrepentis perfidi occultis pateat fraudibus. Ed. Kehr. patescat. 24. Ed. Bd.: excusi nitamur, contra Ms. Ita Thom. et Edit. Kehr. 25. Ed. K. matris. 28. Ed. K. pro spiritus specie 27. 28. cf. I. Cor. III, 16. 31. Ed. K. matutinae s. matutine — Additur in vulgatis doxologia, procul dubio spuria. Qua tamen, nisi fallor, id comprobatur, quod si ecclesiasticorum librorum quaerimus testimonium, valde dubium est: hoc carmen in cultu divino esse decantatum.

II.

Hymnus matutinus.

Deus pater ingenite
Et fili unigenite,
Quos Trinitatis unitas
Sancto connectit spiritu.

Te frustra nullus invocat,
Nec cassis unquam vocibus
Amator tui luminis
Ad coelum vultus erigit.

Et tu suspirantem Deus
Vel vota supplicantium
Vel corda confitentium
Semper benignus aspice.

Nos lucis ortus admonet
Grates deferre debitas,
Tibique laudes dicere
Quod nox obscura praeterit.

Diem precamur bonum
Ut nostros salvator actus
Sinceritate perpeti
Pius benigne instruas.

Deo patri sit gloria etc.

Thom. Hymn. ex Brev. Mozarab. Fer. IV. post Octavam Epiphaniae.

III.

Hymnus matutinus.

In matutinis surgimus,
Reddentes laudes debitas
Deo Iesuque domino
In unitatem gloriae.

Sanctorum choro psallimus,
Cervices nostras flectimus,
Peccata nostra pandimus
— — — — —

Oremus Deo ingiter,
Vincamus in bono malum,
Cum fructu poenitentiae
Votum perenne reddere.

Christum rogemus et patrem,
Christique patris spiritum,
Ut det nobis auxilium
Et repellat hostem invidum

Deo patri sit gloria etc.

Thom. Hymnar. ex Brev. Mozarab. Fer. V. post Octav. Epiphaniae.

IV.

Hymnus matutinus.

Iam meta noctis transiit,
Somni quies iam praeterit
Aurora surgit fulgida
[Et] spargit coelum lux nova.

Sed cum diei spiculum
Cernamus, hinc nos omnium
Ad te, superne Lucifer,
Preces necesse est fundere.

Te lucis sancte spiritus
Et caritatis actibus
Ad instar illud gloriae
Nos innovatos effice.

Praesta pater piissime etc.

Thom. Hymn. ex Brev. Mozar. in officio aurorae diebus feriis. Versui quarto, ne turpiter neglecta videatur ratio-metrica, addere ausus sum voculam et, saepius in initio commatum omissam.

V.

De Epiphania Domini.

Iesus refulsit omnium
Pius redemptor gentium,
Totum genus fidelium
Laudes celebret dramatum.

Quem stella natum fulgida
Monstrat micans in aethera,
Magosque duxit praevia
Ipsius ad cunabula.

Illi cadentes parvulum
Pannis adorant obsitum,
Verum fatentur ut deum,
Munus ferendo mysticum.

Denis ter annorum cyclis,
Iam parte vivens temporis
Lympham petit baptismatis,
Cunctis carens contagiis.

Felix Ioannes mergere
Illum tremiscit flumine,
Potest suo qui sanguine
Peccata cosmi tergere.

Vox ergo prolem de polis
Testatur excelsa patris,
Virtus adestque pneumatis,
Sancti datrix charismatis.

Nos Christe subnixa prece
Omnes precamur protege,
Qui praecipis rubescere
Aquas potenter hydriae.

[Praesta benignus sedulo
Solamen, adiutorio,
Raptosque nos e tartaro
Regnare fac tecum polo.]

In Hymnario membr. Thomasii Hymnus positus erat in Epiphania ad Vesperas; antiquiora quae vidi, breviaria, commemorant laudes, Bebelius infra Octavam cantatum esse narrat. Omnes vero in versuum numero valde inter sese discrepant. Carmen non iam cultui divino inservit — 4. Gron. Beb. Hl. dragmatum. 6. Hl. monstrans 9. Beb. gaudentes. sed obversabatur poetae Matth. II, 11. *et procidentes adoraverunt eum.* 11. Cass. Thom. Kehr. et Deum. 12. Cass. munus ferentes. 13. 14. Cass. Qui sena lustra corporis postquam sui compleverat. 13. Cass.: al. denum. 14. Beb. per te vivens: addit in comment: lege parce corporis. 18. Cass.: al: tremescit. 20. Cass. Kehr. mundi, sed totum carmen plenum est graecis vocibus quarum omnino in hymnis ecclesiasticis ingens est multitudo. 21. Thom. al. supplici 22. Beb. precamur omnes. 24. Beb. potenter hydrias aquae. Fabr. aquae pot. hydriae. 29—32. Hic versus reperitur apud Thomasium et Bebelium. Cass. et al. ita exhibent: Laus Trinitati debita, honor, potestas, gloria. Perenniter sint omnia. Per saeculorum saecula.

VI.

Hymnus de Quadragesima.

Iesu quadragenariae
Dicator abstinentiae,
Qui ob salutem mentium
Hoc sanxeras ieiunium.

Quo paradiso redderes
Servata parsimonia,
Quos inde gastrimargiae
Huc illecebra depulit.

Adesto nunc ecclesiae,
Adesto poenitentiae,
Quae pro suis excessibus
Orat profusis fletibus.

Tu retronacta crimina
Tua remitte gratia,
Et a futuris adhibe
Custodiam mitissime.

Ut explati annuis
Ieiuniorum victimis,
Tendamus ad paschalia
Digne colenda gaudia.

Hymnus, quem sequiori aevo compositum esse tam certum est quam quod certissimum, ecclesiae antiquae magis acceptus erat quam recentiori. Non reperitur in Brev. Romano, sed in vetustis Germaniae, Angliae etc. libris, positus tempore Quadragesimali ad Vesperas vel ad Laudes, a Dominica Invocavit ad Dominicam usque Oculi; apud nonnullos in tertia et quarta hebdomade Quadragesimae. — 1. Lud.: al. servator. 3. Fabr. quique Gron. ob salutem qui 5—8. Lud. *Christus ieiunio suo miraculoso inter cetera etiam pro primorum parentum et nostra quoque gula satisfecit.* 5. Fabr. redderet. 6. H. Hl. Hv. parsimoniae. 7. Molestiam adspersit hominibus graecae linguae ignaris vox gastrimargia. Cod. H. habet gasti mariae, E. Bd. Hv. Wimpf.. castrimargiae (propter insanam etymologiam ab ipso excogitatam) alii gastrimargia. Wimpf. ita vocem explicat. *c. i. e. castitatem mergens gulositas, inordinata sumptio cibi et potus, unde cadimus in incontinentiam, cum a contrario sine Cerere et Baccho frigeat Venus.* Vix credibile est, quantum peccarint vetusti interpretes in vocabulis graecis, graeca pro latinis nobis venditantes. Veluti stadium derivant a stando; agios ab a quod est sine et geos quod est terra ut significet: sine terrenorum amore; avernus ab a quod est sine et ver, (locus sine vere et delectatione) diabolus vel a dia et bolus, (qui homines ut bolum devorat) vel a dia i. e. duo, qui hominem dupliciter mordet, in corpore et in anima; coemeterium est locus quo cimices rodunt cadavera, ἀήρ ab *a* quod est sine et ἔρις, quasi sine lite, per contrarium, quia

omnis lis ventorum et fulminum fit in aëre; athleta, qui fortis est ad letum; blasphemari a blas, quod est stultus et femina quia feminarum sit res stulte blasphemare etc *). 8. H. hunc. Sb. illecebrosa. Gron. Torr. illecebris huc depulit. 11. Sb. quae 12. Cass. Ell. precibus. 17. Cass. animis. Gron. sic expiati ut annuis. Fabr. Ell. ut expiati his annuis.

VII.

Hymnus Pentecostalis.

Libri Vetusti.	Brev. Rom.
Beata nobis gaudia	Beata nobis gaudia
Anni reduxit orbita,	Anni reduxit orbita,
Cum spiritus paraclitus	Cum spiritus paraclitus
Effulsit in discipulos.	Illapsus est apostolis.
Ignis vibrante lumine	Ignis vibrante lumine
Linguae figuram detulit,	Linguae figuram detulit,
Verbis ut essent profiui	Verbis ut essent profiui
Et caritate fervidi.	Et caritate fervidi.

*) Si plures hujus modi nugas investigare velis adeas Maresium de falsa theol. orta ex vitiosa grammatica et ante omnes Io. Zuingeri orationem de barbarie superiorum aliquot saeculorum, orta ex supina linguae graecae ignoratione. Basil. 1661. (Tempe Helvet. VI. p. 403 sqq.) Multa ex his tam lepide proferuntur ut nil possit supra. Indoctus quidam magistellus cum interrogaretur, quid esset Epiphania, respondit, fuisse mulierem nutricem Christi. Abbati cum Cardinali colloquenti ne verbum quidem latinum, nedum graecum in omnium linguarum ignoratione succurrebat. Capellanus ut erat nequam ingeniosissimus, jubet R. D. patrem priscas aliquot sedes circa Hildesiam recitare. Dictum, factum, cum statim Abbas caperata et non nihil in altum adducta fronte, vultu terribili agros non nullos intrepida verborum conceptione numeravit „Stürwold, Haste, Gisen, Vorsche, Kavenstede, Itzem.“ Quas non intelligibiles voces Card. audiens, cum ex non nullis sciscitaretur, an hic homo sit graecus, illique affirmassent, tacito pede discessit. Notanda tamen est Zuingeri et Maresii incuria et fervor, quo decepti, multa tribuerunt Phrygiae stupiditati, quod procul dubio per iocum erat prolatum. Ita probabat parochus rusticorum esse non suum pavimentum templi reparare eo quod dixerat Ieremi. 17, 18: paveant illi, ego non paveam et alter creatos fuisse plures mundos munivit loco Luc. 17, 17. Num quid decem mundi facti sunt?

Linguis loquuntur omnium,
Turbae pavent gentilium,
Musto madere deputant,
Quos spiritus repleverat.

Patrata sunt haec mystice
Paschae peracto tempore,
Sacro dierum numero,
Quo lege fit remissio.

Te nunc, Deus piissime,
Vultu precamur cernuo;
Illapsa nobis coelitus
Largire dona spiritus.

Dudum sacrata pectora
Tua replesti gratia,
Dimitte nunc peccamina
Et da quieta tempora.

Linguis loquuntur omnium,
Turbae pavent gentilium,
Musto madere deputant,
Quos spiritus repleverat.

Patrata sunt haec mystice
Paschae peracto tempore,
Sacro dierum circulo,
Quo lege fit remissio.

Te nunc, Deus piissime,
Vultu precamur cernuo,
Illapsa nobis coelitus
Largire dona spiritus.

Dudum sacrata pectora
Tua replesti gratia,
Dimitte nunc peccamina
Et da quieta tempora.

Canitur die Pentecostes ad Completorium, vel (ex plurimorum librorum norma) ad Laudes, quem morem servavit Brev. Romanum. — 3. Gavantus Thes. S. R. Tom. III. p. 263: *contra variationem literae in Hymno ecclesiastico de spiritu S., in quo vox paraclitus per i aut e latinum productum iuxta aliquorum opinionem per i correptum latinum nunc effertur scripsit eruditam disceptationem Benignus Sanctey in tractatione de recta pronuntiatione vocis paracletus cui assentiri videtur Th. Raynoudus. — — Videnda tamen est erudita dissertatio elucubrata a I. B. Thiers, in qua sustinet, quod ecclesiasticis libris retinenda sit vox paraclitus, penultima correpta, suamque opinionem validis comprobat argumentis.* Idem observavit Fabricius s. v. paracletus. 4. Gron. Beb. refulsit. 12. Interserunt Gron. Torr. Wimpf versum: Sed signis et virtutibus. Occurrit et docens Petrus. Falsos probavit perfidos. loĕlis testimonio. (cf. Hymn. 56, nostro carmini simillimum). 13. Kehr. mystice 16 Pt. legis 13—16. Romsée Op. lit. III. p. 381.: *mystice, seu figurative i. e. respective ad iubilaeum Vet. Test., quod celebrabatur singulis quinquagesimis annis et sub quo servi libertatem et agri oppignorati dominos recuperabant. Notatur deinde tempus quo haec acciderunt i. e. quinquagesimo die a Paschate, quo eodem numero annorum fiebat sub veteri lege debitorum remissio causa iubilaei.* Kehr. *Es war gerade der Tag des 50jährigen Jubiläums als der heil. Geist herabgesendet wurde.* cf 56, 6. 17—20. In nonnullis libris stropha illam tanquam ultima sequitur, quam nos sexto posuimus loco. 23. Lud. al. nostra crimina.

B.

S. DAMASUS.

VIII.

Hymnus de S. Andrea.

Decus sacrati nominis,
Vitamque nomen exprimens,
Hoc te decorum praedicat
Crucis beatae gloria.

Andrea Christi apostole,
Hoc ipso iam vocabulo
Signaris isto nomine,
Decorus idem mystice.

Quem crux ad alta provehit,
Crux quem beata diligit,
Cui crux amara praeparat
Lucis futurae gaudia.

In te crucis mysterium
Cluit gemello stigmate,
Dum probra vincis per crucem
Crucisque pandis sanguinem.

Iam nos foveto languidos
Curamque nostri suscipe,
Quo per crucis victoriam
Coeli petamus patriam.

Confer editiones carminum Damasi, Andreae Rivini (Damasi carmina sacra Lips. 1652. 8.) et quae multo praestantiores sunt: S. Damasi P. opera ex codd. Mss. cum notis Martii Milesii Sarazanii etc. Romae 1638. Parisiis apud Lud. Billaine 1672. 8. et ed. A. M. Merenda. Rom. 1754. — 1. Riv. Decor sacrati numinis. 2. Cass. exprimit. 3. Riv. Sic te decorum. Wimpf. hic al. hinc te Wimpf. *Andreas hebraice latine interpretatur decorus. Ergo nomen Andreae vitam ejus exprimit.* 6. Riv. Hoc quippe. al. hoc ipse 8. Wimpf. perperam signaris nomine isto. 18. Sarraz. et Mer. in te crevit. 14. Björn. *cluit = pollet; gemello vel stigmate, genuino ceu nomine qui et probra vincat per crucem ut vir et fundat sanguinem pro cruce seu doctrina crucifixi ut eius et apostolus et martyr.* 16. Björn. lucisque pandis ianuam. Ita

Riv. sic enim respondet praecedentis et succedentis strophae versibus pariter ultimis. v. 12 et 20. Sed renituntur reliqui. 18. Riv. curamque nobis subiice.

IX.

Hymnus de S. Agatha.

Martyris ecce dies Agathae
Virginis emicat eximiae,
Christus eam sibi qua sociat
Et diadema duplex decorat.

Stirpe decens, elegans specie,
Sed magis actibus atque fide,
Terrea prospera nil reputans,
Iussa Dei sibi corde ligans.

Fortior haec trucibusque viris
Exposuit sua membra flagris,
Pectore quam fuerit valido
Torta mamilla docet patulo.

Deliciae cui carcer erat,
Pastor ovem Petrus hanc recreat
Inde gavisa magisque flagrans
Cuncta flagella cucurrit ovans.

Ethnica turba rogum fugiens
Huius et ipsa meretur opem,
Quos fidei titulus decorat,
His Venerem magis ipsa premat.

Iam renitens quasi sponsa polo
Pro miseris supplica domino,
Sic sua festa coli faciat
Se celebrantibus ut faveat.

(Gloria cum patre sit genito,
Spirituique proinde sacro,
Qui Deus unus et omnipotens
Hanc nostri faciat memorem.)

S. Agatha commemoratur et in canone missae et in omnium ecclesiarum calendariis. Prae ceteris Itali sanctam virginem summis extulerunt honoribus: ultro in mentem veniunt Sacramentarium et Antiphonarium Gregorii, proprium officium exhibentia, psalmi in toto officio non de communi virginum sed ob praeclara martyris merita de communi unius martyris desumpti. Denique cultus S. Agathae sub ritu duplici omnibus ecclesiis commendatus est ex decreto Congreg. Sacr. Rit. d. 26. Aug. 1713. Melitenses vero et Catanenses ut patronam Agatham plus iusto colere, satis notum est. Ut ad carmen nostrum transeamus (quod a Prudentio confectum esse hallucinantur Hil. et Wimpf.) ipsum probat quam demonstravimus antiquam S. virginis venerationem. Exstat (praeter editones Da-

masi) in vetustis breviariis et hymnariis, non tamen in hodiernis (cf. Acta SS. Febr. Tom. I. p. 595.) 3. Riv. Cass. Qua sibi Christus eam sociat Hil. qua Ch. eam sibi Wimpf. Ch. eam sociat 4 Wimpf. *eam decorat diadema duplex, martyrii et virginitatis.* 5. Riv. rutilans specie. 9. Fortior proconsule Quintiano et stipatoribus eius carnificibus. 12. Ita Antiphona in festivitate martyris. *Dum torqueretur in mamilla graviter dixit ad iudicem: Impie, crudelis et dire tyranne, non es confusus amputare in femina, quod ipse in matre suxisti?* Clicht: *patulo nimis affectanter positum pro liquido* Wimpf. hoc docet. 14. Coniectam virginem in vincula sequenti nocte a sene quodam qui se Petrum apostolum dicebat, sanatam esse referunt. 15. Clicht: *servatum fuisset legitimum carmen si sic auctor posuisset:* laetior inde magisque flagrans. Miramur plurimos viros doctos Clichtovaei commentum, a se ipso minime pro genuina lectione venditatum, in textum recepisse. 17—20. Hanc strophen omisit Rambachius, ut difficillimam ad intelligendum. Neque vero id ita fecit ut Viro docto in Ephemerid. litter. Halens. (1821 Ergänzgsbl. 37) fecisse visus est, omnino non intelligi posse quasi eam censuerit, sed evitare voluit prolixas adnotationes, a libri sui ratione alienas. Björn: *post mortem Agathae populus gentilis Catanensis perculsus summo discrimine Aetnae, flammis solito acrius exundantis et magno impetu per agros decurrentis atque ipsi urbi exitium minitantis, ad sepulcrum martyris fertur confugisse, et velum eius muro superpositum obiecisse rapido igni, qui protinus divina virtute cohibitus ultra progredi non ausus sit.* At Carrera Hist. Cat. Vol. 2. lib. 2 suspicatur vocabulum ethnica fortasse levi mutatione amanuensis in hymnum irrepsisse pro aetnaea (vel propter metrum aetnea). Quae Carrerae coniectura dudum explosa est. 20. Cass. Iis. Björn: *cum Agatha repressrit aetneum ignem ne multitudini paganorum in commodaret, multo potius nunc in fidelibus incendia libidinum et concupiscentiae flammas restinguat.* Pro Venerem placet Rivino legere cinerem. *Affectus humanos doloso cineri suppositos, ne erumpant, reprimat.* Haud scio an nemini praeter Rivinum haec interpretatio placere possit. (Recte Kehr. *Hat Ag. den Heiden zu Liebe die Flammen des Aetna unterdrückt, o dann möge sie noch mehr in den Gläubigen die Flamme der unreinen Begierde unterdrücken.*) Wimpf. magis quos premat 21. Fabr. renidens. Cass. retinens. 22. Ad hunc versum Clicht.: *dicere potuisset auctor pro miseris rogita dominum, nisi maluisset consonantiam finalem illius carminis cum praecedente servare, cuius admodum visus est fuisse studiosus.* Vides igitur b. lector, verbum rogita, a Clichtovaeo ipso pro metri medela allatum esse. In Mss. suis et codicibus omnibus legerat: pro miseris supplica domino, item Rivinus hoc largitur, mestos hymnarios

et Galfridum grammaticum nostram exhibere lectionem: adde Cass. Wimpf. ipsumque Hilarium. G. Fabricius primus illud rogita carmini inseruit, additque nescio qua auctoritate fretus, pro domino — Damaso: sequitur Rivinus: *non dubium esse quin ita prius scriptum ab auctore fuerit, cum vero hymnus in ecclesia cantaretur, sequioribus saeculis mutatum esse versum.* Item cum Damaso stant Bollandistae, in carmine nostro recensendo levissimi (cf. ad. v. 15.) et Rambachius, in his fortasse Fabricii et Rivini pedissequus. Sed primum hoc manifestum est, supplica genuinam esse poetae scriptionem, rogita coniecturam, et ne coniecturam quidem. Quod si concesseris sequitur illud, ut pro Damaso, cui supplicatio parum conveniat, restituendum sit domino. Aliud quid, quod mirum in modum e re nostra est, iam vidit Björnius: *ipse vero propius legi dixerim hoc pacto: pro misero rogita populo — nisi forte sequentes duo versus omnino ostendant domino fuisse scriptum, qui se celebrantibus debeat favere siquidem sua festa velit coli Aut sane scribendum rogitet illa (ut premat) sic sua festa postea legi et intelligi possent.* Rambach: *Diese Stelle dient zum Beweise, wie frühe schon die in den folgenden Jahrhunderten aufs Höchste gestiegene Verehrung der Martyrer und sogenannten Heiligen auch im Kirchengesange sich aussprach und durch ihn gefördert wurde.* 24. A SS. sic celebrantibus. Wimpf. celebrantibus. 25—28. fortasse spuria iudicabis. 26. Hil. perperam provide. Clicht. metri causa proponit ad scribendum: operi tui pia lausque sacro. Quod addit: *crediderim haec in carminis praesentis compositione errata potius ex librorum vitiatorum mendis inducta fuisse, quam auctoris insciti commissa* — procul dubio ipsi illi molestiae debemus, quas modo superavimus.

C.

S. AMBROSIUS

et

AMBROSIANI.

X.

Hymnus de Adventu Domini.

Veni redemptor gentium,
Ostende partum virginis,
Miretur omne saeculum:
Talis partus decet Deum.

Non ex virili semine,
Sed mystico spiramine
Verbum Dei factum est caro,
Fructusque ventris floruit.

Alvus tumescit virginis,
Claustra pudoris permanent,
Vexilla virtutum micant
Versatur in templo Deus.

Procedens de thalamo suo,
Pudoris aula regia,
Geminae gigas substantiae
Alacris ut currat viam.

Egressus eius a patre,
Regressus eius ad patrem,
Excursus usque ad inferos,
Recursus ad sedem Dei.

Aequalis aeterno patri
Carnis tropaeo accingere,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpetim.

Praesepe iam fulget tuum
Lumenque nox spirat novum,
Quod nulla nox interpolet
Fideque iugi luceat.

[Gloria tibi Domine,
Qui natus es de virgine
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula]

Hymnus et sententiarum gravitate et orationis luminibus e scriptura sacra depromptis et pii animi fervore maxime conspicuus, reperitur in breviariis vetustis fere omnibus, ponitur-que ad Vesperas vel ad Completorium in Adventu Domini, raro in ipsa Nativitate. Attamen mirum est Italos, Ambrosii cives, praeclarissimum carmen turpiter neglexisse. Neque enim legi-

tur in libris liturgicis, qui sub finem saeculi decimi quinti Venetiis prodierunt, neque hodie ut recitetur praeceptum est in Brev. Romano. Retinuerunt monachorum quidam ordines, ut Praedicatores, Praemonstratenses et alii. Porro Lutheri opera ecclesiae evangelicae servatum est, quum illud fecit Germanicum: „Nun komm der Heiden Heiland“ *) Hinc Danice expressum est teste Björnio „Kom Hedningernes Frelser sand.“ — PP. Maurini: *Brev. Cisterciense huic hymno strophen, quae nusquam alibi reperitur, sic exhibet:*

Intende qui regis Israël,
Super Cherubim qui sedes,
Et pare (rectius Thom. appare) Ephraem coram excita
Potentiam tuam et veni.

Sed unde id sumptum sit, quis divinare poterit.“ Miramur clar. viros id non vidisse quod luce meridiana clarius est, versiculos illos conflatos esse ex antiphona Qui regis Israel intende et collecta Excita quaesumus, quae ab ecclesia Dom. Adventus prima cantantur. Refert quidem Thom. Mss. Alex. 11. Vat. 82. eandem strophen habere primam carminis sed nihil inde probatur nisi in quibusdam ecclesiis hymnum ita cantari solitum esse. Non ab Ambrosio profectum esse additamentum, unus docet Cassiodorus, qui ad Ps. LXXI. ita hymni mentionem iniicit: *Hinc Ambr. ille quaedam ecclesiae candela lampavit, dicens: Veni red gentium:* docent praeterea omnes libri quos inspeximus. I. 2. Bd. Ct. venit redemptor — ostendens. Bd. redemptor omnium, ad imitationem hymni *Christe redemptor omnium.* 3. M. perperam Deo. 7. Verbum est omittunt Maurini, Ct. Praem. In Codice D. 2. secunda cura erasum est. 10. Ex codd. Thom. Al. 11. Vat. 82. M. Bd. Hv. Beb. Fabr. claustrum — permanet. 11. Al. 11. Vat. 82. virtute. M. H. micat. Weitzius: *Quem admodum vexilla imperatoribus Romanis praeferri solebant, quocunque irent et quotiescunque procederent, ut ita conspicui redderentur: ita mystice insignes virtutis in ipsa virgine conspiciebantur, unde Hugo Cardinalis*

Casta, Tacens, Residens, Operans, Humilis, Pia, Prudens
Hoc septiformi munere virgo micat

13. Thom.: Al. Ms. procedat e thalamo suo. Faustus Regiensis procede de thalamo tuo juxta edita in Bibl. PP. sed Maurini editores locum allegantes aiunt de thalamo suo. Sb. procedens e thal. suo. Aperte tangit poeta

*) Porro vernacule redditus est hymnus opera I. Frankii: Komm Himmelsfürst, komm Wunderheld: A. Knappii: Komm, o Weltheiland, Jesu Christ et editoris: Komm Weltheiland und zeige dich.

locum scripturae Ps. XVIII 6—7. *In sole posuit tabernaculum suum et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo exultavit ut gigas ad currendam viam etc.*: amant patres hoc psalmistae carmine illustrare Christi redemptoris a patre egressum et in terris conversationem. 15. Cass. *Id est duplicis naturae. Nam eccles. scriptores in hac disputatione naturam et substantiam idem valere confirmant. Ad quod probandum hic Ambr. locus adiicitur.* 16. Al. 11. Vat. 82. occurrat viam. 22. Accedimus ad locum carminis vexatissimum. Lectio quam recepimus trophaeum vel rectius tropaeum exstat in codd. H. D. 2. M. et omnibus codd. Thomasii: repperi praeterea in pervetusto Antiphonario Bambergensi. Porro apud Hilarium, Cassandrum, Fabricium, Clichtovaeum, Rambachium, editores Maurinos: addi possunt Brev. Hl. Mgd. Ms. Ct., recentiora ad unum omnia. *) Verborum sententiam ita constituit Clicht. *Christus per carnem assumptam debellato diabolo victor evasit ipsamque glorificatam carnem demum coelo intulit*: nec facile quis negaverit hanc demonstrandi rationem patribus esse usitatissimam. Male tamen convenit voci tropaeo verbum accingere, alteri scribendi rationi accommodatissimum. Legitur in cod. E stropheo vel strophio, ita Bd. Sb. Aug. Gron. Beb. Wimpf., Torr. Accedit quod testatur Clicht. plurimos sui temporis homines stropheum legisse pro tropaeo. Est autem Strophium cingulum aureum cum gemmis ut vult Isidor. Origen. XIX, 33. 3. interprete Torrentino „*fascia pectoralis, teutonice eyn Borstlappe.*“ Sensus verborum eruitur optimus: Praecinge lumbos tuos natura humana (quae etiam apud alios dicitur velum carneum, ut est apud Sedulium) ut indutus ea devictis hostibus gloriosa tropaea victoriaeque insignia et monumenta ponas. Quae cum ita sint non desunt lectioni stropheo acerrimi patroni, Frid. Lindenbrogius et Petrus Zornius (Dissert. de hymnorum latinae ecclesiae collectionibus, qua simul in hymno: Veni redemptor gentium vitiosa lectio nunc primum e Mst. Frid. Lindenbrogii emendatur. Kilon. 1709. Opusc. sacra I. p. 61. sqq.) neque quod proferunt Clicht. et Ven. Ramb. de metro voce stropheo turbato gravioris momenti est, cum in vocabulis graecis patres innumerabilia peccasse satis notum sit. Movet me tamen codicum auctoritas, ut tropaeum in textum recipiam. Accedit quod saepius confunduntur trophaeum et strophaeum in Mss. praecedentibus vocibus in s. desinentibus. Ut exemplum afferam, Gron. in Hymno: Pange lingua gloriosi etc. legit

*) Lutherum tropaeum legisse apparet ex cantico suo „Nun komm etc. Canit enim „Führ den Sieg im Fleisch hinaus.“

Et super crucis stropheum
Dic triumphum nobilem

Tandem ne molesta quidem erat vetustis lectoribus confusa verborum sententia, cum latinus sermo medii aevi satis barbare voce stropheo utatur etiam pro trophaeo. Ne prolixiores simus audi tantummodo Ebrardum Betuniensem, haec versum mem riali iubentem

Zonam die strophium, palmam die esse strophaeum —

Cod. Thom. Al. 11. et Ell. legunt: carnis tropaeo cingere*) 24. Clicht. *Multi legunt hic et in illo hymno de spiritu s. Veni Creator, ubi duo postrema huius versus carmina etiam integra inseruntur perpetim pro perpeti Sed et hic et ibi aptior est sermo per ablativum adiectivi quod ordinatur cum substantivo virtute.*" Exhibent tamen sperpetim Hl. Mgd. Ms. Sb. Aug. Hv. Torr. Wimpf. Hil. Lud. Lips. Gron. 25 sqq. Wimpf: *Hic versus non canitur nisi in vigilia Nativitatis Domini.* Deest in Gron. 28. Vat. 82. fideique.

XI.

Hymnus matutinus.

Libri vet.		Brev. Rom.
Aeterne rerum conditor		Aeterne rerum conditor,
Noctem diemque qui regis		Noctem diemque qui regis
Et temporum das tempora		Et temporum das tempora
Ut alleves fastidium.		Ut alleves fastidium.
Praeco diei iam sonat	5	Nocturna lux viantibus,
Noctis profundae pervigil,		A nocte noctem segregans,
Nocturna lux viantibus		Praeco diei iam sonat
Ac nocte noctem segregans.		Iubarque solis evocat.

---

*) Favet praeterea scriptioni: tropaeo auctor sequentiae de nativitate Domini: Nato nobis salvatore etc. (Daniel Hymnol. Blüthenstrauss S. 4) quem Ambrosii vestigia persecutum esse facile dabis. Ita enim Christum affatur:

Gigas velox, gigas fortis,
Gigas, nostrae victor mortis,
Accinctus potentia,
Ad currendam venit viam,
Complens in se prophetiam
Et legis mysteria.

Adde Arator H. A. 1, 40.: Ingrediensque polum carnis comitante tropaeo.

Hoc excitatus Lucifer
Solvit polum caligine,
Hoc omnis errorum chorus
Viam nocendi deserit.

Hoc nanta vires colligit
Pontique mitescunt freta,
Hoc ipsa petra ecclesiae
Canente culpam diluit.

Surgamus ergo strenue,
Gallus iacentes excitat,
Et somnolentos increpat,
Gallus negantes arguit.

Gallo canente spes redit,
Aegris salus refunditur,
Mucro latronis conditur,
Lapsis fides revertitur.

Iesu, labantes respice,
Et nos videndo corrige;
Si respicis lapsi stabunt
Fletuque culpa solvitur.

Tu lux refulge sensibus
Mentisque somnum discute,
Te nostra vox primum sonet,
Et ore psallamus tibi.

Hoc excitatus lucifer
Solvit polum caligine,
Hoc omnis erronum chorus
Viam nocendi deserit.

Hoc nanta vires colligit,
Pontique mitescunt freta:
Hoc ipsa petra ecclesiae
Canente culpam diluit.

Surgamus ergo strenue,
Gallus iacentes excitat,
Et somnolentos increpat,
Gallus negantes arguit.

Gallo canente spes redit,
Aegris salus refunditur,
Mucro latronis conditur,
Lapsis fides revertitur.

Iesu, labantes respice,
Et nos videndo corrige:
Si respicis, labes cadunt
Fletuque culpa solvitur.

Tu lux refulge sensibus,
Mentisque somnum discute;
Te nostra vox primum sonet
Et vota solvamus tibi.

Hymnus praepositus cum in Brev. Romano, ut hodie est, tum in vetustioribus adsignatur Laudibus die dominica, (in singulis: ad primum galli cantum) non solum quod Björnius adnotavit a Dominica proximiori Calendi Octobr. usque ad Adventum sed etiam ab Octava Epiphaniae usque ad Dom. 1. Quadragesimae. Vetus monachorum S. Benedicti Brev. ponit carmen ad Nocturnum de tempore. Certe in permultis libris propterea desideratur, quod non in omnibus ecclesiis cantabatur ad Laudes. Exemplo sunt Magdeburgenses, Merseburgenses, Patavienses quos, inspectis harum ecclesiarum breviariis, neque ad Matutinum neque ad Laudes hymnos cantasse intelliges. Deinde testatur Clichtovaeus, huius hymni licet soli duo postremi versus in nonnullis ecclesiis cantari ad laudes soliti sint, quoniam totus apprime suavis sit et admodum elegans neque prolixitate fastidium habens, totum

tum in suo libro explicatum esse. — 3. O. dans. 3. 4. Clicht.: *Dicitur deus temporum dare tempora quoniam alternationes facit et vicissitudines temporum, ut huiusmodi variatione et immutatione tollat fastidium, quod nobis inferretur, si unius duntaxat sortis et conditionis tempus iugiter haberemus.* 8. Clicht. Fr. ac nocte. O. a nocte 6 — 8. Afferamus in his versibus exemplum allegoricae interpretationis, quam amant vet. interpretes. Hil. *Praeco dici i. e. Ioannes, qui ante lucem surrexit ut luceret hominibus qui erant in tenebris, segregans noctem a nocte i. e. peccatum à peccatore.* 11. Kehr.: *G. Fabr. hat fälschlich: errorum.* Tuetur V. D. lectionem Brev. Rom. erronum apud antiquos minime obviam. Tangit A. daemonum catervas lucifugas. 12. Cod. Thom. Vat. 82. vias. 13. Kehr.: *Am Morgen lassen die Stürme etwas nach.* 16. Fabr. canendo. 20. Vat. 82. negantem. 23. O. solvitur 25. Cass. Fabr. Bd. Ct. labentes. Vat. 82. O. paventes. 27. Mirum in modum fluctuat lectio. Nostram exhibent Bd. Hl. Sl. Fr. — Fabr. Hil. Beb. lapsi cadunt. Cass. et Editores Maurini: lapsus cadunt. Wimpf. si respicis peccata lapsi non cadunt, O. lapsi non cadunt. 30. O. noctisque. 32. Vat. 82. et Fr. ora solvamus tibi al. vota solvamus tibi.

XII.

Hymnus vespertinus.

Deus creator omnium
Polique rector, vestiens
Diem decoro lumine,
Noctem soporis gratia,

Artus solutos ut quies
Reddat laboris usui,
Mentesque fessas allevet
Luctusque solvat anxios.

Grates peracto iam die
Et noctis exortu preces
Votis, reos ut adiuves,
Hymnum canentes solvimus.

Te cordis ima concinant,
Te vox canora concrepet,
Te diligat castus amor,
Te mens adoret sobria.

Ut cum profundae clauserit
Diem caligo noctium,
Fides tenebras nesciat
Et nox fide reluceat.

Dormire mentem ne sinas,
Dormire culpa noverit
Castos fides refrigerans
Somni vaporem temperet.

Exuta sensu lubrico
Te cordis alta somnient,
Ne hostis invidi dolo
Pavor quietos suscitet.

Christum rogemus et patrem
Christi patrisque spiritum,
Unum potens per omnia
Fove precantes Trinitas.

Plerumque cantus: Deus creator in libris liturgicis proprius est Vesperis Sabbatorum post Octavam Epiphaniae Aug.: post Calendas Augusti. Sl. tempore hyemali. Ct. dominicis et ferialibus diebus ad Vesperas. Bd. ad Vesp. de tempore. Brev. Romanum non recepit carmen. — 9. Clicht.: *non nulli libri nimium mendose gratis.* 11. Aug. Bd. Hv. Torr. Thom. voti (sed Vat. 82. votis.) 14. Hl. concrepat. 17. Vat. 82. et cum profunda. 20. Hv. Cass. Thom. (Al. 11.) Torr. fidei luceat. Cass.: *putarem legendum* fideli, *nisi constanter omnia exemplaria, quae quidem vidi, fidei legerent* (legunt tamen fideli Sl. Beb.). *Produxisse autem non nullos e in hac voce manifeste apparet* (cf. Lud. de Cerda Adv. Sac. c. 171, 3.) *Credo autem magis dandi esse casum quam gignendi.* Verba a nobis recepta tuentur Vat. 82. Aug. Bd. Ct. 21. Al. 11. ne sinat. 23. E. Sl. Ct. Bd. Hv. Hil. Gron. Beb. refrigeret. 24. Al. 11. vapore. 25. Hv. exuta a 27. Al. 11 nec hostis in fide dolo. 27. Clicht. propter metrum mutare proponit ne in nec 31. Vat. 82. unus potens 32. Beb. peccantes.

XIII.

Hymnus ad Tertiam in Quadragesima.

Iam surgit hora tertia
Qua Christus ascendit crucem,
Nil insolens meus cogitet,
Intendat affectum precis.

Qui corde Christum suscipit,
Innoxium sensum gerit,
Votisque praestat sedulis
Sanctum mereri spiritum.

Haec hora qua finem dedit
Diri veterno criminis
Mortisque regnum diluit
Culpamque ab aevo sustulit.

Hinc iam beata tempora
Coepere Christi gratia,
Fide replevit veritas
Totum per orbem ecclesias.

Celsus triumphi vertice
Matri loquebatur suae:
En filius, mater, tuus,
Apostole, en mater tua.

Praetenta nuptae foedera
Alto docens mysterium,
Ne virginis partus sacer
Matris pudorem laederet.

Cui fidem coelestibus
Iesus dedit miraculis,
Nec credidit gens impia:
Qui credidit salvus erit.

Nos credimus natum Dei
Partumque virginis sacrae,
Peccata qui mundi tulit
Ad dexteram sedens patris.

Habent praeter editores Ambrosii Bd. etiam Thomasius et Cassander, ex breviariis nisi fallor ne unum quidem: nam antiquissimis tantum temporibus gaudebat Quadragesima suis hymnis propriis ad omnes horas positis, quorum numerus sensim magnopere diminutus est. Evaserunt cladem in Brev. Romano tres illi: Audi benigne conditor Ex more docti mystico, Iam Christe sol institiae qui hodieque cantantur. — 5. Vat. 82. suscepit, licet nequieri cura factum suscipit exhibeat. & Male Cass. (quem pessimo exemplari usum esse patet) sanctum muniri spiritum. In margine: fort. sancto spiritu. 9. Thom. quae. 10. Al. 11. Cass. diri veterni criminis. Vat. 82. diri veterno crimini. 11. Thom. Cass. diruit. 12. Cass. ab eo. 13. Al. 11. Hic iam beata tempora. 14. Thom. Christi cepere gratiam. 15. Cass. fidei. 17. Vat. 82. celsi triumphi vertice Ed. Bd. celso tr. vert. 21. Cass. nupta, in margine fort: nuptae. 22. Cass. doces. 23. 24. Cass.: *Hi duo versus depravatissime legebantur:*

Ne vergens partum sacer
Matris pudorem laedere

Cum hic sententia nulla appareat, admonuit me vitae et studiorum meorum socius et patronus Cornelius Gualtherus legendum sibi videri:

Ne verpa gens, partu sacrum (vel sacrae)
Matris pudorem laederet.

Sed nemo non videt in illis etiam latere lectionem, a Thomasio, editoribus Bd. et a nobis in textum receptam. 29. Thom. natum Deum.

XIV.

Hymnus de Epiphania Domini.

Illuminans altissimus
Micantium astrorum globos,
Pax, vita, lumen, veritas,
Iesu fave precantibus.

Seu mystico baptismate
Fluenta Iordanis retro
Conversa quondam tertio
Praesentem sacraris diem.

Seu stella partum virginis
Coelo micans signaveris
Et hac adoratum die
Praesepe magos duxeris.

Vel hydriis plenis aqua
Vini saporem infuderis,
Hausit minister conscius
Quod ipse non impleverat.

cam. Sane vero in ecclesiasticum usum receptum est tantum fragmentum hymni v. 13—24. Fit porta Christi pervia (solemniis purificationis Mariae vel aliis S. Virginis festivitatibus cantatum), quod ut carmen integrum et ab Ambrosio profectum tuentur editores Maurini. — 1—4. Eadem fere verba repetuntur in Hymno Sedulii alphabetico: A solis ortus cardine, qui procul dubio poetam nostrum imitatus est. Quae consuetudo paullatim serpere ac propagari coepta est, cum hymnographi foetus suos fidelibus de meliore nota commendare studerent, antiquorum lumina et flores carminibus intexentes. Exemplo ut utar, in sexcentis hymnorum exordiis, eximium illud Fortunati Pange lingua gloriosi, primi versus locum obtinet. 1. Ps. CXII, 3: *A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen etc.* 13—16. Respexit poeta ad Ezech. XLIV. 1—3: *Dixit dominus ad me: Porta haec clausa erit: non aperietur et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea* etc. 14. Luc. I, 28: *Ave gratia plena.* 15. 10, 10: *claustra pudoris permanent.* 18. 10, 13: *procedens de thalamo.* 20. 10, 15: *gigas geminae substantiae.* 21. Fabr. honor et parentis. 24. H. E. Ct. resolve. 25—28. Christum in S. scriptura cum lapide comparari satis notum. Eph. II, 20. I. Cor. III, 11. I. Petr. II, 4. Item in ipso N. T. Ies. XXVIII, 16. et Ps. CXVIII, 22. typice ad Christum redemptorem referuntur (Rom. IX, 33. Act. IV, 11. Matth. XXI, 42.) Neque vero patribus inter hos fines subsistere placuit. Gregorio I. Reg. IV, 14. V, 12. Iesus sub lapidum figura latere visus est; prae ceteris gratus erat mysticis interpretibus locus Dan. II, 34. a poeta nostro in usum suum conversus: *videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus.* Non dubitant, quin a propheta partus intemeratae virginis significatus vit quam saepius montem in V. T. appellari affirmant. Adeas eundem Gregorium ad verba I. Reg. I, 1. (fuit vir de monte Ephraim): *Potest huius montis nomine b. semper virgo Maria D. genitrix designari: mons quippe fuit, quae omnem electae creaturae altitudinem electionis suae dignitate transcendit. An non mons sublimis M. quae ut ad conceptionem aeterni verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes angelorum choros usque ad solium deitatis erexit. Hinc enim montis praecellentissimam dignitatem Isaias vaticinans ait: Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium.* 33—36. Is. XLV, 8: *Rorate coeli desuper et nubes pluant iustum, aperiatur terra et germinet salvatorem.* 42. 43. cf. 10, 1. *Veni redemptor gentium.* 44. Sedul.: *ut carne carnem liberans ne perderet quos condidit.* 45—48. Divinae incarnationis admiratione, ut ita dicam, obstupefacti poetae similibus verbis celebrant miraculum illud, quo nil potest cogitari

sublimius. Damasus: *Qui non spatiis terrae, non aequoris undis, nec capitur coelo, parvos confluxit in artus.* Fortunatus: *Quem totus orbis non capit puellae portant viscera* — et Lutheri: *Den aller Weltkreis nie beschloss, der liegt in Mariens Schooss.* Vix moneamus necesse est, canticum: Gelobet sei'st du, Iesus Christ, nihil sonare nisi Ambrosium, Sedulium, Fortunatum.

XVI.

Hymnus ad Sextam.

Bis ternas horas explicans
Diei sol ingreditur,
Ut sex idemque transigat
Et noctis claudat aditum.

Nos ergo nunc confamuli,
Prophetae dicti memores
Solvamus ora in canticis,
Prece mixta Davidicis.

Ut septies diem vere
Orantes cum psalterio,
Laudesque cantantes Deo
Laeti solvamus debitum.

Sic enim Christi gratia
Peccantibus dat veniam,
Saepeque confitentibus
Non aderit mors impia.

Memento non desit tamen
Orantibus servis Dei,
Quod Pauli vox apostoli.
Servandum praedixit nobis.

Cuius vox hoc promeruit
Ut diceret idem Deo:
Orabo mente Dominum
Orabo simul spiritu.

Ne vox sola Deo canat.
Sensusque noster alibi
Ductus aberret fluctuans
Vanis praeventus casibus.

Tunc enim Deo accepta est
Oratio canentium,
Si pura mens idem gerat.
Quod explicat vox cantici.

Editores Ambrosii Bd. tanquam sextum hymnum proferunt carminis quod modo exhibuimus partem v. 23—28. Orabo mente dominum et sq. „*Sextum hymnum vel potius hymni fragmentum auctoritate Cassiodori repraesentamus, eius quippe de illo testimonium legimus in haec verba: (in Psalm. CI. p. 337. ed. Rotom.) (Hinc etiam S. Ambrosii secundum apostolum horae sextae roseus hymnus ille volvitur: ait enim: Orabo mente dominum et sq.) Neque vero his senatoris laudibus hic hymnus indignus est, si tantummodo spectetur sensus; verumtamen in dubium non immerito revocari potest, num vere ab Ambrosio fuerit compositus, cum in eodem carminis leges prorsus negligantur. Etenim ex iis omnibus, de quibus iam ante a nobis dictum est, clare ostenditur peritiorem exstitisse in hoc genere*

sacrum antistitem, quam ut tam crebro impingeret. Sed Cassiodori non putavimus negandum auctoritati, ut inter Ambrosii nostri carmina suaviesimum illud poematium recipiatur.“ Neque vero P. P. Bd. hymnum, cuius fragmentum laudant, investigarunt, neque recentiores Cassiodori editores. Notat enim Garetius in margine: Hymnus iste desideratur — quam adnotationem et ab auctoribus eiusdem patris operum editionis venetae, vulgato iam Thomasii hymnario, repetitam videmus. Reperit enim vir diligentissimus integrum Ambrosii carmen in Cod. Vatic. 82.: quod cum Thomasius proh dolor apud nos quoque sat incognitus sit, plurimos nostri temporis hymnologos latuit. — 4. quam recepimus scripturam, est de coniectura. Vatic. in noctis claudat auditum. Quod cum displiceret Thomasio, scripsit: innocens claudat auditum. Sed haec coniectura quem aptum habeat sensum non intelligo: praeterea male tornatum efficit carmen. Quae cum ita sint, equidem propono et noctis claudat aditum; et et ut millies confundi non est quod doceamus (Weber ad Lucan. Phars. VI, 153. VIII, 184 et a). 6—12. Ps. CXVIII, 164: *Septies in die laudem dixi tibi super iudicia iustitiae tuae.* 23. 24. I. Cor. XIV, 15: *Orabo spiritu, orabo et mente: psallam spiritu, psallam et mente.*

XVII.

Hymnus ad Matutinum.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Splendor paternae gloriae,	Splendor paternae gloriae,
De luce lucem proferens,	De luce lucem proferens,
Lux lucis et fons luminis	Lux lucis et fons luminis
Dies diem illuminans.	Diem dies illuminans:
Verusque sol illabere,	Verusque sol illabere,
Micans nitore perpeti:	Micans nitore perpeti:
Iubarque sancti spiritus	Iubarque sancti spiritus,
Infunde nostris sensibus.	Infunde nostris sensibus.
Votis vocemus te patrem,	Votis vocemus et patrem,
Patrem perennis gloriae,	Patrem potentis gratiae,
Patrem potentis gratiae;	Patrem perennis gloriae,
Culpam releget lubricam.	Culpam releget lubricam.
Informet actus strenuos,	Confirmet actus strenuos,
Dentem retundat invidi	Dentes retundat invidi:

Casus secundet asperos,
Donet gerendi gratiam.

Mentem gubernet et regat
Caste, fideli corpore,
Fides calore ferveat,
Fraudis venena nesciat.

Christusque nobis sit cibus,
Potusque noster sit fides:
Laeti bibamus sobriam
Ebrietatem spiritus.

Laetus dies hic transeat,
Pudor sit ut diluculum,
Fides velut meridies,
Crepusculum mens nesciat.

Aurora cursus provehit,
Aurora totus prodeat,
In patre totus filius
Et totus in verbo pater.

Casus secundet asperos.
Agenda recte dirigat.

Mentem gubernet et regat,
Sit pura nobis castitas,
Fides calore ferveat
Fraudis venena nesciat.

Christusque nobis sit cibus,
Potusque noster sit fides,
Laeti bibamus sobriam
Profusionem spiritus.

Laetus dies hic transeat,
Pudor sit ut diluculum,
Fides velut meridies,
Crepusculum mens nesciat.

Aurora lucem provehit,
Cum luce nobis prodeat,
In patre totus filius
Et totus in verbo pater.

Plurima breviaria ponunt hymnum feria secunda ad laudes, qua hodieque in ecclesia Romana cantatur. Vetusti Benedictinorum et Cartusianorum libri, qui per totam hebdomadem eodem hymno utuntur ad Matutinum, eodemque ad Laudes, carmen nostrum Laudibus adsignant. — 3. Ed. Bd. primordiis lucis novae, quod unde sumpserint, prorsus ignoro. Utut est, viros doctos, ceterum de Ambrosio meritissimos, in hymnis negligentiores novi quam ut in hac lectionis varietate acquiescere possim. O. dies dierum. 6. Refert Clicht. singulos libros legere perpetim (e. g. Fr.) 9 Ed. Bd. et patrem. O. Sl. vocemus patrem. 10. Hil. perennis gloriae patrem. 11. Fr. Bd. Ct. pater. 12. religet. 13. Clichtov.: alii libri informet. Cita Ed. Bd. Beb. Fabr. Wimpf. Bd. Fr. Sl. Hl.) alii conformet. Male Cass. et Ramb. confirmet. 14. Hil. Hl. Fabr. Beb. retundet. 15. Hil. Ct. secundet. 18. Cass. al.: castos Hil. Beb. fideli et corpore. Hincmar de non trina Deit ed. Par. p. 528 ebrietate. Wimpf.: *ebrietas Sp. scti est sobria et modesta et temperata, quae homines inflammat amore Dei et reservat ab amore peccati. Sicut ille qui ebrius est vino omnia tradit oblivioni nec recordatur quicquid, sic qui plenus est spiritu sancto omnia mundana obliviscitur.* Fabr. s. v. ebrietas confert Paulinum ad Cyth. (v. 685) *inebrietur sobriante*

poculo de fonte sancti spiritus et Nat. IX. 59 sq. *Tubis ubi lectas implevit crapula mentes, Ructavere sacras ieiuno gutture laudes.* 26. O. diluculo. 29. W. Hil. amor Cass. iucundior erit comparatio si εὐκτικῶς optandi modo legas; provehat aurora cursum suum acceleret et simul Christus instar aurorae nobis illucescat. (Bd. Fabr. provehat. O. protegat.)

XVIII.

Hymnus ad Matutinum.

Libr. vet.	Brev Rom.
Somno refectis artubus	Somno refectis artubus
Spreto cubili surgimus,	Spreto cubili surgimus,
Nobis pater canentibus	Nobis, pater, canentibus
Adesse te deposcimus.	Adesse te deposcimus.
Te lingua primum concinat,	Te lingua primum concinat,
Te mentis ardor ambiat,	Te mentis ardor ambiat,
Ut actum sequentium	Ut actum sequentium
Tu sancte sis exordium.	Tu sancte sis exordium.
Cedant tenebrae lumini	Cedant tenebrae lumini
Et nox diurno sideri,	Et nox diurno sideri:
Ut culpa quam nox intulit	Ut culpa, quam nox intulit
Lucis labascat munere.	Lucis labascat munere.
Precamur iidem supplices	Precamur iidem supplices,
Noxas ut omnes amputes,	Noxas ut omnes amputes
Et ore te canentium	Et ore te canentium
Lauderis in perpetuum.	Lauderis omni tempore.

Omnes ecclesiae, quae ad Matutinum hymnos canere consueverunt, tribuunt cantum: Somno refectis Feriae secundae neque ab hac consuetudine discessit Brev. Romanum — 2. Hil. somno, cubili. 12. Fr. Wimpf. Hil. labescat. 14. Hil. noxias ut omnes. 16. Fabr. omne saeculum.

XIX.

Hymnus ad Matutinum.

Consors paterni luminis,
Lux ipse lucis et dies,
Noctem canendo rumpimus
Assiste postulantibus.

Aufer tenebras mentium,
Fuga catervas daemonum,
Expelle somnolentiam
Ne pigritantes obruat.

Sic Christe nobis omnibus
Indulgeas credentibus
Ut prosit exorantibus
Quod praecinentes psallimus.

Item carmen supra scriptum proprium est Feriae tertiae ad Matutinum atque integrum servatum est in Brev. Rom. In vetusto Brev. Eremitarum S. Augustini canitur omnibus diebus ferialibus ad Matutinum. — 3. Hincmar. de non trina deit. ed. Par. p. 528 rupimus. 4. Thom. adesto.

XX.

Hymnus de Martyribus.

Brev. Rom.

De Martyribus:

Christo profusum sanguinem
Et martyrum victorias
Dignamque coelo lauream
Laetis sequamur vocibus.

Libr. vet.

Aeterna Christi munera
Et martyrum victorias,
Laudes ferentes debitas
Laetis canamus mentibus.

De Apostolis:

Aeterna Christi munera,
Apostolorum gloriam
Palmas et hymnos debitos
Laetis canamus mentibus.

Ecclesiarum principes,

Ecclesiarum principes,

Fervens sole dies, igneus ardor
Ipsas urit aves, frondea rami
Fessis tecta negant, pulvis arenae
Sicco dispuitur ore viantis.

Ventis ora ferae, bestia ventis,
Captantesque viri flamina ventis,
Ventis et volucres ora recludunt,
Hac mulcere sitim fraude volentes.

Foetus cerva suos, pignore cerva,
Foetus cerva siti fessa recusat,
Foetus cerva pios moesta relinquit
Quaesitam quoniam non vehit herbam.

Venerunt iuvenes, pocula noti
Quaerentes putei, lymphaque fugit
Et vasis vacuis tecta revisunt,
Fletus heu proprios ore bibentes.

Bos praesepe suum linquit inane
Pratorumque volens carpere gramen,
Nudam versat humum, sic pecus omne
Fraudatum moriens, labitur herbis.

Radices nemorum rustica plebes
Explorat misero curva labore
Solarique famem cortice quaerit
Nec succos teneros arida praestat.

Hanc peccata famem nostra merentur,
Sed merce propria Christe faveto
Quo culpa gravior gratia maior
Iusti supplicii vincla resolvat.

Iam coelos reseres, arvaque laxes
Fecundo placidus imbre rogamus,
Heliae meritis impia saecla
Donasti pluvia: nos quoque dones.

Aeterne genitor gloria Christo
Semper cum genito sit tibi sancto
Compar spiritai, qui Deus unus
Pollens perpetuis inclyte saeclis.

---

3. Recte Kehrein: *Beda und Rambach haben nullus roris, was ich wegen v. 5 nicht aufnehmen wollte, ruris hat Fabr.* Bene rus legitur post arva, agrum, terram, male ros. 39. perperam Fabr. legit Abrami.

XXIII.

Hymnus ad Completorium.

Christe, qui lux es et dies,
Noctis tenebras detegis,
Lucisque lumen crederis
Lumen beatum praedicans.

Precamur sancte domine
Defende nos in hac nocte,
Sit nobis in te requies,
Quietam noctem tribue.

Ne gravis somnus irruat,
Nec hostis nos surripiat,
Nec caro illi consentiens
Nos tibi reos statuat.

Oculi somnum capiant
Cor ad te semper vigilet,
Dextera tua protegat
Famulos qui te diligunt.

Defensor noster adspice,
Insidiantes reprime,
Guberna tuos famulos
Quos sanguine mercatus es.

Memento nostri domine
In gravi isto corpore,
Qui es defensor animae
Adesto nobis domine.

Est hymnus Completorio proprius vel festis diebus, ut est apud Wimpfelingium vel tempore quadragesimali, quod plurimi adnotant libri. e. g. Hl. „*iste hymnus cantetur ad compl. singulis diebus usque ad coenam domini.*“ Aliter iubet Mgd. „*iste hymnus servatur tribus septimanis et non mutatur nisi cum inciderit festum annunciationis et adventus reliquiarum S. Mauritii.*“ In vetusto Carthusianorum Brev. canitur ad Complet. per totum annum. Vetusta Italorum breviaria ut Fr. carmine nostro carent, item hodiernus Romanae ecclesiae usus *). Quo verecundior exstitit Lutheri diligentia, qui, veterem poetam imitatus, composuit canticum „Christ der du bist Tag und Licht“ neque post eius tempora cura piae cantilenae defuit. Dico cantionem Erasmi Alberi „Christ, der du bist der helle Tag“ quam Knappius Mich. Weissii esse perhibet. Et recte quidem opinor: cum a partibus eius iam steterit Ioh. Weitzius, haec commentario suo praefatus: *Auctor huius Odae germanicae esse scribitur Mich. Weissius etc.* Minime vero germanicam hymnum illustravit Weitzius, sed versionem Iosephi Clauderi in Psalmodiae Novae cent. I. n. 39: Lux Christe lucidissima. Exstant praeterea carminis versiones germanicae vetustissimae cf. Hoffmann Gesch. des deutschen Kirchenliedes S. 143. 150. 180. 183. 185. — K. E. P.

---

*) Monastica quaedam retinuerunt, ut Brev. Ord. Praed. a. 1643 excusum.

Wackernagel das deutsche Kirchenlied p. 333. (interpretatio Urb. Regii.) 1. O. die 2. Th. detegens. 3. Cass. al: lux ipse lucis. Thom. lucifer lucem proferens, sed cum Cassandro et hic et omnibus carminis versibus codd. H. et E. O. faciunt 4. Thom. vitam beatam tribue. 6. O. nocte et 7. Thom. ut sit. 10. Thom. ne hostis. 11. Thom. Fabr. ne caro. O. Msn. Lps. consentiat. O. om. caro. 12. Thom. et ne nos Fabr. reos tibi. 14. D. 2. vigilat fortasse propter locum scripturae Cant. 5, 2. *ego dormio et cor meum vigilat.* 22. Thom. Gron. in isto gravi. 23. Gron. es qui. Addit idem hymnarius hunc versiculum:

Ad te clamamus domine,
Noli nos derelinquere,
Festina, ne tardaveris,
Succurre nobis miseris.

Qui, procul dubio supposititius, occurrit etiam in versione germanica apud Riederer, Nachrichten zur Kirchen-Gelehrten- und Bücher-Geschichte. II. S. 165.

Wir schreien zu dir, rufent an,
nit wöllest uns in nöten lan,
eil bald und nit zu lang verzeih,
dein hilf die wone uns armen bei *).

XXIV.

Hymnus ad Matutinum.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Summae Deus clementiae,	Summae parens clementiae
Mundique factor machinae,	Mundi regis qui machinam
Unus potentialiter	Unius et substantiae
Trinusque personaliter.	Trinusque personis Deus.

*) Der Mönch v. Salzburg: den ympnum singt vnd list man ze den Completen; wer den mit andacht pey der nacht spricht den mag der tiefel nicht angeweigen noch kain sweerer trawm czu gefallen.

Nostros pius cum canticis
Fletus benigne suscipe,
Quo corde puro sordibus
Te perfruamur largius.

Lumbos iecurque morbidum
Adure igne congruo
Accincti ut sint perpetim
Luxu remoto pessimo.

Ut quique horas noctium
Nunc concinendo rumpimus,
Donis beatae patriae
Ditemur omnes affatim.

Nostros pius cum canticis
Fletus benigne suscipe,
Ut corde puro sordium
Te perfruamur largius.

Lumbos, iecurque morbidum
Flammis adure congruis,
Accincti ut artus excubent
Luxu remoto pessimo.

Quicumque ut horas noctium,
Nunc concinendo rumpimus,
Ditemur omnes affatim
Donis beatae patriae.

Da dexteram surgentibus,
Exurgat ut mens sobria,
Flagrans et in laudem Dei
Grates rependat debitas.

Praesta pater piissime etc.

Breviaria, quae Matutinum cantionibus ornant, carmen praecedens Sabbato assignant. Brev. Rom. praeterea festo S. Trinitatis canere iubet ad Matutinum strophas, quas maiusculis litteris excudi curavimus. Versus Da dexteram est hymni: Aeterna coeli gloria. 1. Cass. summe — clementia. 6. Cass. benignus. 11. Fabr. accinctus ut sim.

XXV.

Hymnus matutinus.

Libr. vet.

Tu Trinitatis unitas,
Orbem potenter qui regis,
Attende laudum cantica,
Quae excubantes psallimus.

Brev. Rom.

Tu Trinitatis unitas,
Orbem potenter quae regis,
Attende laudis canticum,
Quod excubantes psallimus.

Iam lectulo consurgimus
Noctis quieto tempore,
Ut flagitemus vulnerum
A te medelam omnium.

Quo fraude quicquid daemonum
In noctibus deliquimus,
Abstergat illud coelitus
Tuae potestas gloriae.

Ne corpus adsit sordidum,
Nec torpor instet cordium,
Nec criminis contagio
Tepescat ardor spiritus.

Ob hoc redemptor quaesumus
Reple tuo nos lumine,
Per quod dierum circulis
Nullis ruamus actibus.

Nam lectulo consurgimus,
Noctis quieto tempore,
Ut flagitemus omnium
A te medelam vulnerum.

Quo fraude quicquid daemonum
In noctibus deliquimus,
Abstergat illud coelitus
Tuae potestas gloriae.

Ne corpus adstet sordidum,
Nec torpor instet cordium,
Ne criminis contagio
Tepescat ardor spiritus.

Ob hoc redemptor quaesumus
Reple tuo nos lumine
Per quod dierum circulis
Nullis ruamus actibus.

Ortus refulget Lucifer
Praeitque solem nuntius,
Cadunt tenebrae noctium,
Lux sancta nos illuminet,

Praesta pater piissime etc.

Cantatur secundum praeceptum Brev. Romani feria sexta ad Nocturnum; duo versiculi maioribus litteris descripti Dominica Trinitatis ad laudes. Versus: Ortus refulget lucifer et ipse depromptus est ex hymno: Aeterna coeli gloria. — 4. Cass. concinentes. 5. Non oblivioni dandum est Wimpfl. ingenium lectus dicitur ab electis et mollioribus herbis super quas antiqui requiescebant. 8. Cass. ad te. Fabr. medelas. 10. Cass. delinquimus.

XXVI.

Hymnus vespertinus.

Libr. vet.	Brev. Rom.
O lux beata trinitas	Iam sol recedit igneus:
Et principalis unitas,	Tu lux perennis unitas,

Iam sol recedit igneus:
Infunde lumen cordibus.

Te mane laudum carmine
Te deprecemur vesperi,
Te nostra supplex gloria
Per cuncta laudet saecula.

Deo patri sit gloria etc.

Nostris, beata Trinitas,
Infunde amorem cordibus.

Te mane laudum carmine,
Te deprecamur vespere,
Digneris ut te supplices,
Laudemus inter coelites.

Patri simulque filio etc.

Carmen antiquo ecclesiae usu celebratum atque honestatum. Refert Thomasius in Brev. Mozarabum positum esse Dominica secunda post Octavam Epiphaniae: in aliis libris duplicem obtinet locum. Primo est cantus vesperarum Sabbati, vel per totum annum (ita Brev. Romanum) vel per anni partem (Aug. ab adventu usque ad Calendas Augusti. Sl. tempore aestivo). Nam apud quosdam alternat cum Ambrosiano illo: Deus creator omnium, qui apud alios solus est Sabbati hymnus vespertinus. Praeterea Festo SS. Trinitatis reperitur in Vesperis sive Laudibus, neque tamen ubique (omittit e. g. Brev. ordinis Praedicatorum). Denique pars est officii Trinitatis votivi, quod apud nonnullas ecclesias constituto tempore per annum decantabatur nisi fallor, ut populum ad Deum unum et verum saepius revocarent. Sane vero id minime infitiandum est quod saepissime tacetur, iam ante Lutheri tempora plurimos fuisse qui vulnus illud nimiae hagiolatriae viderint ipsique medelam afferre nequaquam omiserint *). Itaque (ne a proposito aberrare videamur) multorum

---

*) Quod adnotare iuvat propter maledicam istam levissimorum hominum loquacitatem et turpem ignorantiam, quae quantum ignominiae ecclesiae protestantium inusserit vix credibile est. Eademque me movit ut alia quaedam sobrietatis in sanctis colendis afferrem exempla. In libello qui inscriptus est „Hortulus animae“ narrantur haec p. XXXVIII. b. „Fuit quidam clericus satis sollicitus et diligens salutare matrem domini dicens: Ave Maria gratia plena etc. Et in ipsa salutatione apparuit ei dominus ipse Iesus et dixit: Mater mea iam valde gratam habet hanc tuam salutationem et ex ea te multum diligit: tamen et me salutare memento. Cui clericus: Nescio domine quomodo te debeam salutare. Tunc dominus Iesus ipse clerico in cella constituto infra scriptas revelavit salutationes.“ — Nec minorem iniicit animo admirationem quae monachus anonymus inscripsit exemplari nostro Breviarii Ordinis minorum, quod prodiit Venetiis a. 1481. „Legitur in vita b. Alberti de Alemania quod fuerunt VII. fratres et omnes episcopi sanctae vitae inter quos erat sanctior S. Albertus, qui scire desiderabat, quae essent Deo placentiora in divina confisus clementia. Dum

offendit animos, quod SS. Trinitas una tantum festivitate eademque haud duplici primae classis celebraretur neque festo propter diem corporis Christi concessa esset Octava (exceptis ecclesiis, quae S. Trinitati dedicatae sunt). Ideo trino numini dies festos recens constitutos dedicarunt. Veluti in ecclesia Halberstadensi ex institutione Frederici Haken praepositi post Octavas Epiphaniae cantatur de S. Trinitate ritu semiduplici: in aliis dioecesibus ultima post Pentecosten dominica est summum festum Trinitatis. Omnibus vero diebus festis adhibetur hymnus: O lux beata, ut SS. Trinitati

---

semel celebraret post consecrationem divinum tenens in manibus dominum, protulit haec verba, dicens: O domine Iesu Christe, nec te dimittam nec te levabo nisi prius dixeris, quae sunt placidiora tibi. Qui audivit vocem dicentem sibi: Decem, inquit, Alberte quae sunt placidiora mihi et tibi utiliora. Primum est dare in tua vita cum sanitate unum denariorum pro amore mei, plus est mihi gratum et tibi utilius, quam si haberes unum montem aureum attingentem a terra usque ad coelos et disponeres eum dare pauperibus pro amore mei post mortem tuam: Secundum est: una sola lacrima, ad memoriam passionis meae et pro peccatis tuis effusa mihi plus placet et tibi utilior est, quam si plorares pro temporalibus tantum sicut est aqua maris vel si post mortem tuam alveum quasi balneum foveres de lacrimis pro offensis pro te. Tertium: est unum verbum iniuriosum tibi contrarium ad memoriam meam pati plus est mihi gratum et tibi utilius quam quod rumperes omnes virgas silvarum super dorsum tuum te disciplinando. Quartum est: vigilare in orationibus et gaudere in me et sufferre tibi de somno aliquantulum ob memoriam mei mihi plus gratum est et tibi utilius quam quod habens XII. milites contra Saracenos qui pugnarent cum eis omnibus diebus vitae suae quousque viveres in mundo. Quintum est: infirmis compati et colligere peregrinis ob amorem mei plus mihi gratum est et tibi utilius, quam si ieiunares in aqua et pane XL annis. Sextum est: abstinere a detractione proximi, plus gratum est, quam si transires nudis pedibus usque ad effusionem sanguinis. Septimum est: ut a te abiicies omne mendacium, quicquid audis vel vides converte in melius, et hoc mihi plus est gratum et tibi utilius, quam si ascenderes per contemplationem usque ad tertium coelum. Octavum est: pro te met ipso deprecare ut tua peccata dimittam et tibi gratiam infundam, hoc plus est mihi gratum et tibi utilius, quam si mater mea et omnes sancti, qui fuerunt ab initio mundi usque ad mundi finem pro te orarent. Nonum: quod habens opem et fiduciam firmam in solo Deo semper et ubique, hoc mihi carius est, quam si erigeres unam columnam attingentem a terra usque ad coelum munitam gladiis acutis et eam nudus ascenderes, corpus tuum lanians et sanguinem effundens. Decimum: consolationem omnem terrenam despicere et in solo Deo quaerere consolationem, hoc mihi plus est gratum et tibi utilius, quam si laborares propriis manibus tantum, quod exinde reficeres omnes pauperes huius mundi. Hoc fac, dixit Christus, et vives in saecula saeculorum. Amen.

prae ceteris congruus atque acceptus. Adde Lutheri canticum „Der du bist drei in Einigkeit.“ — quod cum primo versiculo discrepet, alterum Tu trinitatis unitas expressum habere apertum est. Interponit strophae primae et secundae Brev. Mozarabum haec

Iam noctis tempus advenit,
Quietam noctem tribue,
Diluculo nos respice
De coelo clementissime.

Tu Christe solve vincula,
Absterge nostra vitia,
Relaxa prius crimina
Et indulge facinora.

Oramus ut exaudias,
Precamur ut subvenias,
Christe Iesu omnipotens
Tu nos a malo libera.

6. Cass. vespere. 7. Ct. Hil. simplex. Addere invat quod annotavit Santen ad Terentian. p. 166: *Perfecti satis at cum metro coniuncti ὁμοιοτελεύτου primum occurrit exemplum in Hymno Ambrosii: O lux beata Trinitas.* Sed quod viro docto nullam movit suspicionem, carmen ab Ambrosio re vera esse profectum, sat ambiguum est.

XXVII.

Hymnus matutinus.

Aeternae lucis conditor,
Lux ipse totus et dies,
Noctem nec ullam sentiens,
Natura lucis perpeti.

Iam cedit pallens proximo
Diei nox adventui,
Obtundens lumen siderum
Adest et clarus Lucifer.

Iam strato lecti surgimus,
Grates canentes et tuas,
Quod caecam noctem vicerit,
Revectans rursus sol diem.

Te nunc nec carnis gaudio,
Blandis subrepant aestibus
Dolis nec cedat saeculi
Mens nostra, sancte, quaesumus.

Ira nec rixas provocet,
Gula nec ventrem incitet,
Opum pervertat nec fames,
Turpis nec luxus occupet.

Sed firma mente sobrii,
Casto manentes corpore,
Toto fideli spiritu
Christe ducamus hunc diem.

Thomasius: S. Ambrosii ex Ms. Rg. Sueciae et Brev Mozarabum Fer. VI. post Dominic. I. in Quadragesima. Accedit cod. O. — 2. O. solus. 4. O. perpete. 5. O. cedet. 13. 16. 17. Thom. nc. 18. O. gulam venter. 24. O. Christo.

XXVIII.

Hymnus ad Sextam.

Iam sexta sensim solvitur
Ter binis hora cursibus,
Diesque puncto aequabili
Utramque noctem respicit.

Venite, servi supplices,
Mente et ore extollite
Dignis beatum laudibus
Nomen Dei cum cantico.

Hoc namque tempus illud est,
Quod saeculorum iudicem
Iniustae morti tradidit
Mortalium sententia.

Cum sol repente territus,
Horrore tanti criminis,
Mortem minatur saeculo,
Diem refugit impium.

Hoc et beatus tempore
Abrahamus fideliter
Peritus in mysterio
Tres vidit, unum credidit.

Hanc ad precandum congruam
Salvator horam tradidit,
Cum diceret fidelibus
Patrem rogandis servulis.

Nec non et ille pertinax
Hostis fidei gratiam,
Quam praedicavit gentibus
Hoc est adeptus tempore,

At nos amore debito
Timore iusto subditi,
Adversus omnes impetus
Quos saevus hostis incutit,

Unum rogemus et patrem
Deum regemque filium
Simulque sanctum spiritum
In Trinitate dominum,

Ut quos redemit passio
Isto peracta tempore,
Posset sub ipso tempore
Servare deprecatio.

Reperit Thomasius hymnum in Ms. vetustissimo reginae Sueciae. Commemoratur praeterea in regula Aureliani episcopi neque desideratur apud Cassandrum. Notatur etiam in Ellingeri libri tertio XXI. nomine Hymnus ad Sextam in Quadragesima. — 3. Thom. aequali. 15. Quoniam signum novissimi temporis erit obscuratio solis. 17—29. Desunt in Cassandro et Ellingeri libris. 18. Thom. Abraham. 19. Thom.

al: reperitus. 19. 20. Pelbartus Pomoer. Serm. de Trinit. II. *Tertio lex mosaica ostendit Trinitatem revelatam patriarchis multiplici praesignatione. Primo Abrae quod vidit tres angelos in persona domini descendentes: tres vidit et unum adoravit. Item Isaac ter Iacob benedixit, Iacob vidit scalam trium graduum etc.* 26. Thom. *Erat alia manu in codice, cuius priores litterae obsoluerant, indicatus Paulus, de quo hic est sermo.* 17. Th. et nos. 21. 22. Cass, unum rogemus cum patre, dominum regemque filium. 26. Cass. peracto. 27. Id. sub isto.

XXIX.

Hymnus ad Nonam.

Ter hora trina volvitur,
Redire qua Christus solet,
Mercede largus vineae
Locare mercenarios.

Decet paratos sistere
Ne transeat merces Dei,
Plantare quae vitem solet
Christumque cordi affigere.

Haec hora, quae resplendnit
Crucisque solvit nubila,
Mundum tenebris exuens,
Reddens serena lumina.

Haec hora, qua resuscitat
Iesus sepulcris corpora
Prodire mortis libera,
Iussit refuso spiritu,

Redit favilla in sanguinem
Cinisque carnem reddidit,
Mixtique vivis mortui
Videre Christi gloriam.

Novata saecla crederes
Mortis solutis legibus,
Vitae beatae munere
Cursu perenni currere.

Dicamus ergo proximi
Laudes Deo cum cantico:
Confessus est latro fidem,
In quo est redemptus tempore.

Qua gratia ieiunia
Laeti solemus solvere
Instar futuri ut muneris
Famem probati nesciant,

Thom.: *Al* 11. *inscribitur Hymno ad Vesperum in die ieiunii. Ex codice vetust. Reg. Sueciae et Vat.* 82. 83. *Aureliani Episcopi Regula in die Paschae praescribit.* 1—4 cf. Matth. XX, 5. 2. Al: 11. quia. 3. Vat. 82. mercedem largus. 9—12. Matth. XXVII, 45. 9. Cass. qua. 13—24. Matth. XXVII, 52. 53. 13. Thom. resuscitans. 21. Cass. credere. 28. Thom. quo est. Cass. hoc est: scriptionem nostram tuetur Al. 11. 29—32. Veteres Christiani diebus stationum ieiunare solebant usque ad Nonam.

XXX.

Hymnus ad Nocturnum.

Deus qui certis legibus
Noctem discernis ac diem,
Ut fessa curis corpora
Somnus relaxet otio.

Te noctis inter horridae
Tempus precamur, ut, sopor
Mentem dum fessam detinet,
Fidei lux illuminet.

Hostis ne fallax incitet
Lascivis curis, gaudiis,
Secreta noctis advocans
Blandos in aestus corporis.

Subrepat nullus sensui
Horror timoris anxii,
Illudat mentem nec vagam
Fallax imago visuum.

Sed cum profundus vinxerit
Somnus curarum nescius,
Fides nequaquam dormiat,
Vigil te sensus somniet.

Thomasius Ex Cod. Reg. Sueciae. Aurelianus Episcopus in sua Regula ad Lucernarium. Vide Breviar. Mozarabum p. 107. Continet praeterea cod. O. — 4. Thom. somno relaxet otio Brev. Moz. somnus relaxet otium. 10. Thom. cura. 12. O. blandus in isto corpore. 16. O. visui. 20. O. vigilve.

XXXI.

Hymnus ad Nocturnum.

Mediae noctis tempus est,
Prophetica vox admonet:
Dicamus laudes domino
Patri semper ac filio.

Sancto quoque spiritui:
Perfecta enim Trinitas,
Uniusque substantiae
Laudanda nobis semper est.

Terrorem tempus hoc habet,
Quod cum vastator angelus
Aegypto mortes intulit,
Delevit primogenita.

Haec hora iustis salus est,
Quod ibidem tunc angelus
Ausus punire non erat
Signum formidans sanguinis.

Aegyptus flebat fortiter
Natorum dira funera,
Solus gaudebat Israel
Agni protectus sanguine.

Nos verus Israel sumus,
Laetemur in te domine,
Hostem spernentes et malum,
Christi redempti sanguine.

Ipsum profecto tempus est
Quo voce evangelica
Venturus sponsus creditur,
Regni coelestis conditor.

Occurrunt sanctae virgines
Obviam tunc adventui,
Gestantes claras lampadas,
Magno laetantes gaudio.

Stultae vero remanent,
Quae exstinctas habent lampadas,
Frustra pulsantes ianuam,
Clausa iam regni regia.

Pervigilemus sobrie,
Gestantes mentes splendidas,
Adveniente ut Iesu
Digni occuramus obviam.

Mediae noctis tempore
Paulus quoque et Silcas
Christum vincti in carcere
Collaudantes soluti sunt.

Nobis hic mundus carcer est,
Te laudamus Christe Deus,
Solve vincla peccatorum
In te, Christe, credentium.

Dignos nos fac rex hagie.
Venturi regni gloria,
Aeternis ut mereamur
Te laudibus concinere.

Thomasius ex Cod. Reg. Sueciae et Cod. O. — 1. O. tempore. 10. Thom. unius quoque. 11. Thom. Aegyptum mortem. 18. Thom. tantorum. 21. O. vero. 24. O. defensi. 34. Thom. quia stinctas. 37. Thom. quare vigilemus. 38. Thom. splendidas manus. 41. O. noctisque mediae.

XXXII.

Hymnus matutinus.

Fulgentis auctor aetheris,
Qui lunam lumen noctibus,
Solem dierum cursibus
Certo fundasti tramite.

Nox atra iam depellitur,
Mundi nitor renascitur,
Novusque iam mentis vigor
Dulces in actus erigit.

Laudes sonare iam tuas
Dies relatus admonet,
Vultusque coeli blandior
Nostra serenat pectora.

Vitemus omne lubricum,
Declinet prava spiritus,
Vitam facta non inquinent
Lingua in culpa non implicet.

Sed sol diem dum conficit,
Fides profunda ferveat,
Spes ad promissa provocet,
Christo coniungat caritas.

Thom.: Ms. vetustissimum Reg. Sueciae, et Brev. Mozarabum Fer. post. Dom. I. Epiphaniae. Aurelianus Episcopus in sua regula hunc Hymnum ponit ad Primam. In Ms. Alexandr. praesentis hymni inscriptio ita se habet: Hymnus quarta Feria dicendus. Vides haud modicum a vero aberrasse Rambachium in Anth. p. 117: *Die Hymne: „Fulgentis auctor" ist aus einem, vormals dem Fr. Iunius zugehörigen, jetzt auf der Bibliothek zu Oxford befindlichen Codex, der 26 in der alten fränkischen oder Allemannischen Kirche gebräuchliche Kirchengesänge enthält (Tenzels Monatl. Unterredungen 1691 S. 726) und aus welchem in I. G. ab Eckhart Commentarius de rebus Francicis orient I. II. p. 948. drei (Mediae noctis tempore. Aeternae (non Aeterne) lucis conditor, und der hier wiederholte) nebst einer fränkischen wahrscheinlich aus dem 9ten Jahrhundert stammenden Uebersetzung abgedruckt stehen. Sicher gehören diese Hymnen zum allerwenigsten in das siebente Jhdt. und sind, auch abgesehen von ihrem eigenthümlichen Werthe, schon deswegen höchst merkwürdig, weil sie zum Beweise dienen, dass die älteste deutsche Kirche, gleich der in Irland, auch im Gesange und in der Liturgie eine Selbstständigkeit hatte, die sie in der Folge fast ganz verlor.*" Fugit virum doctum Thomasii auctoritas, qua prorsus aliter constituitur temporum ratio. Postea cum reliquis nostrum quoque carmen ex codice Oxoniensi evulgavit Grimmius.

XXXIII.

Hymnus ad Laudes.

Post matutinas laudes,
Quas trinitati psallimus,
Psallamus rursus admonet
Verus pater familias.

Simus semper solliciti
Ne praetereat opus Dei,
Sed oremus sedule
Sicut docet apostolus.

Psallamus mente domino,
Psallamus simul spiritu,
Ne vaga mens in turpibus
Inertes tegat animos.

Sed septies in hac die
Dicamus laudes domino,
Divinitati perpetim
Debitam demus gloriam.

Thomasius: Ex Cod. Ms. Reginae Sueciae num. 1352 et cod. O. — 10. O. simul et. 15. O. perpeti. 16. O. debita demus gloriae.

XXXIV.

Hymnus ad Tertiam.

Certum tenentes ordinem,
Pio poscamus pectore
Hora diei tertia
Trinae virtutis gloriam.

Ut simus habitaculum
Illi sancto spiritui,
Qui quondam in apostolis
Hac hora distributus est.

Hoc gradientes ordine,
Ornavit cuncta splendide
Regni coelestis conditor,
Aeternae vitae praemiis.

Thomasius: Ms. vetustissimum Reg. Sueciae, et Breviarium Mozarabum. Inscribitur hymnus ad Tertiam quotidianus. Cod. O. — 10. O. splendida. 12. O. praemio.

XXXV.

Hymnus ad Sextam.

Dicamus laudes domino
Ferventi rursus spiritu:
Hora voluta sexies
Nos ad orandum provocat.

Quia in hac fidelibus
Verae salutis gratia,
Beati agni hostia,
Crucis virtute redditur.

Cuius luce clarissima
Tenebrescit meridies,
Sumamus toto pectore
Tanti splendoris gratiam.

Thomasius: Ex Ms. vetustissimo Reg. Sueciae. Cod. O. — 2. O. fervente prompti spiritu, interpretem theotiscum prompto legisse probabile est. 14. O. tenebricat.

XXXVI.

Hymnus ad Nonam.

Perfectum trinum numerum
Ternis horarum terminis,

Laudes canentes debitas,
Nonam dicentes psallimus.

Sacrum Dei mysterium
Puro tenentes pectore,
Petri magistri regulam
Signo salutis proditam.

Et nos psallamus spiritu
Adhaerentes apostolis.
Qui plantas adhuc debiles
Christi virtute dirigant.

Thomasius: Ex Cod. vetustissimo Reg. Sueciae. Ad nonam praescribitur Hymnus iste in Alex. 11. in quo incipit: Perfectum trinum numerum etc. Cod. O. — Thom. perfecto trino numero. 5. O. regula. 6. O. prodita. 11. O. habent. 12. Thom. dirigunt. — 8. Act. III, 1. Petrus et Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.

XXXVII.

Hymnus ad Christum.

Christe rex coeli domine,
Mundi salvator maxime,
Qui nos hoc crucis munere
Mortis solvisti crimine.

Te nunc orantes poscimus:
Tua conserves munera;
Quae per legem catholicam
Cunctis donasti gentibus.

Tu verbum patris aeterni
Ore divino editus,
Deus ex Deo subsistens
Unigenitus filius.

Te universa creatura
Mundi fatetur dominum.
Iussu patris inchoata
Tuis perfecta viribus.

Tibi omnes et angeli
Coelestem praestant gloriam,
Te chorus archangelorum
Divinis laudant vocibus.

Te seniorum multitudo,
Bis duodenus numerus,
Odoramentis plenas gestans
Supplex adorat pateras.

Tibi Cherubim et Seraphim
Throni paterni luminis,
Senis alarum plausibus,
Clamore iugi personant.

Sanctus Sanctus Sanctus
Dominus Deus Sabaoth,
Omne coelum atque terra
Tua sunt plena gloria.

Hosianna fili David,
Benedictus es a Patre
Qui in nomine Dei
Venisti de excelsis domine.

Tu agnus immaculatus
Es datus terrae victima
Qui sanctorum vestimenta
Tuo lavisti sanguine.

Te multitudo beatorum
Coeli locata martyrum,
Palmis insignis et coronis,
Ducem sectantur gloriae.

Quorum nos addas numero
Te precamur domine,
Una voce te sonamus
Uno laudamus carmine.

Thomasii Ms. vetustissimum Reg. Sueciae et Cod. O. — 1. O. om. rex. 3. O. om. hoc. 4. O. m. legibus. 5. Thom. te precantes. 11. Thom. consistens. 17. O. om. et 18. Al. 11. praesentant. 21. O. mult. seniorum. 24. O. adorant. 33. O. Davidis. 34. O. om. es. 38. O. om. es. 43. O. palmis signis. 47. O. desonamus. 48. Thom. unum.

XXXVIII.

De SS. Gervasii et Protasii Martyrum Inventione.

Grates tibi Iesu novas,
Novi repertor muneris,
Protasio, Gervasio,
Martyribus inventis cano.

Piae latebant hostiae,
Sed non latebat fons sacer,
Latere sanguis non potest.
Qui clamat ad Deum patrem.

Coelo refulgens gratia,
Artus revelavit sacros;
Nequimus esse martyres,
Sed reperimus martyres.

Dic quis requirat testium
Voces, ubi factum est fides:
Sanatus impos mentium
Opus fatetur martyrum.

Caecus recepto lumine
Mortis sacrae meritum probat,
Severus est nomen viro,
Usus minister publici.

Ut martyrum vestem attigit,
Et ora tersit nubila,
Lumen refulsit illico,
Fugitque pulsa caecitas.

Soluta turba vinculis,
Spiris draconum libera,
Emissa totis urbibus
Domum redit cum gratia.

Vetusta saecla vidimus
Iactata semicinctia,
Tactu et umbra corporum
Aegris salutem redditam.

Gloria tibi Domine.
Gloria Unigenito etc.

Reperitur in Hymnario Thomasii, quem unde sumpserit silentio praeterisse vehementer doleo. Exstat praeterea apud Bollandistas Act. SS. Iun. III. p. 842 ex vetusto Brev. Mediolanensi descriptus. Addunt viri docti, hymnum ipsius esse S. Ambrosii sine ulla dubitatione credi posse. Quae sententia etsi non satis explorate percepta sit et cognita, multis argumentis commendatur. Sed de his infra. Ipsa Gervasii et Protasii corporum inventio describitur ab Ambrosio in epistolis. Opp. ed. Bd. II. p. 873. (epist. supposititia in append. p. 483.) Adeas praeterea Augustinum de civ. Dei 22, 8. Conf. 9. 7. — 1. 2. 11. 12. Ambrosius in sermone quem habuit inventis lipsanis apud populum: *Etsi hoc Dei munus est, tamen gratiam quàm temporibus sacerdotii mei dominus Iesus tribuit, negare non possum: et quia ipse martyr esse non mereor, hos vobis martyres acquisivi.* 6. Ambr.: *Ossa omnia integra, sanguinis plurimum: sanguine tumulus madet, apparent cruoris triumphalis notae.* Greg. Tur. Mir. 1, 48. 8. Amb. l. c.: *legistis dicente Deo: sanguis fratris tui clamat ad me. Et hic sanguis clamat coloris indicio, sanguis clamat operationis praeconio, clamat passionis triumpho.* 13. Thom, hic. 14. Amb. l. c.: *isti (Ariani) beneficium negant qui factum negare non possunt.* 15. 16. Nil de hoc miraculo compertum habeo 17. sqq. Ambr. 1. 1. *Negant* (Ariani) *caecum illuminatum sed ille non negat se sanatum. Ille dicit: Video qui non videbam. — — Notus homo est, publicis cum valeret mancipatus obsequiis. Severus nomine, lanius ministerio. Deposuerat officium postquam inciderat impedimentum. Vocat ad testimonium homines, quorum ante sustentabatur obsequiis: eos iudices suae visitationis arcessit, quos habebat testes et arbitros caecitatis. Clamat quia ut contigit fimbriam de veste martyrum, qua sacrae reliquiae vestiuntur, redditum sibi lumen sit.* — Non temerarium est iudicium quod addunt editores: *Nihil hoc miraculo certius aut magis testatum, non modo propter gravissimam Amb. auctoritatam — — verum etiam propter Augustini oculatum, sit venia verbo, testimonium, quod lib. 22. de Civit. Dei cap. 8 et expressius adhuc Serm. in Natali Mart. Ger. et Prot. legere est. Idem etiam miraculum simul cum aliis, quae memorantur in hac epistola, narrat, qui similiter oculatus testis esse potuit, Paulinus in Ambrosii vita.* 22. Act. S. tergit. 25—28. Aut dicit poeta daemoniacos, martyrum munere liberatos, aut spectat Arianorum in Catholicos saevitiam, hac Sanctorum manifestatione debilitatam, ne dicam fractam. 29—32. Act. V, 15. XXX, 11. 12. *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super languidos deferrerentur a corpore eius sudaria et semicinctia et recedebant ab eis languores et spiritus nequam egrediebantur.* Similiter Gervasii Protasiique corpora coruscasse miraculis his versibus poeta affirmat.

XXXIX.

Hymnus Tempore Paschali ad Tertiam.

Hic est dies verus Dei,
Sanctus sereno lumine,
Quo diluit sanguis sacer
Probrosa mundi crimina.

Fidem refundens perditis,
Caecosque visu illuminans:
Quem non gravi solvit metu
Latronis absolutio.

Qui praemio mutans crucem
Iesum brevi acquirit fide,
Iustusque praevio gradu
Pervenit in regnum dei.

Opus stupent et angeli,
Poenam videntes corporis,
Christoque adhaerentem reum
Vitam beatam carpere.

Mysterium mirabile,
Ut abluat mundi luem,
Peccata tollit omnium,
Carnis vitia mundans caro.

Quid hoc potest sublimius:
Ut culpa quaerat gratiam
Metumque solvat caritas,
Reddatque mors vitam novam.

Hamum sibi mors devoret
Suisque se nodis liget:
Moriatur vita omnium
Resurgat ut vita omnium.

Cum mors per omnes transeat,
Omnes resurgant mortui:
Consumpta mors ictu suo
Perisse se solam gemit.

Exstat in cod. O. apud Cassandrum, Ellingerum III, 35. et Thomasium. (Aurelianus Ep. in sua regula apud Holstenium in Cod. Reg. P. III. p. 57. eum cantari vult ad Lucernarium et matutinum toto Paschate. Al. 11. Vat. 82. hymnum habent eumque commemoratum praeterea reperimus ab Hincmaro. Positum est etiam in vetusto Cartusianorum brev. ad Matutinum in temp. paschali usque ad ascensionem domini. — 2. Thom. Ct. sancto serenus lumine. O. sanctus serenus. 3. Al. 11. quod diluit. 5. Thom. perfidis. 6. Vat. 82. visus inluminans. 7. O. solvat. 9. Id et Ct. cruce. 16. Cass. Vat. 82. Iesu breve adquisivit fidem Thom. Ct. Iesum brevi quaesivit fide. Ell. Iesu brevi acquirit fidem. 12. Al. 11. praevenit. O. 13. obstupent et 14. O. corpore. 19. O. tollat. 25. sqq. Notissima est veterum patrum sententia, diabolum, divinitatis Iesu Christi nescium, sacerdotes Iudaeorum instigasse, ut θεάνθρωπον interficerent, sed ipsa redemptoris morte miserri-

me esse deceptum, quae saluti humanae non solum non fuerit impedimento, sed etiam una omnium maxime adiumento. Idem placet carminis auctori. Morte Christi quasi illecebra allectus, Satan hamum devoravit i. e. suo se gladio interfecit. Fortasse poetae ob oculos versabatur locus libri Iobi c. XL, 20. „an extrahere poteris Leviathan hamo et fune ligabis linguam eius“ — id saltem certum est, diabolum saepissime cum Leviathane comparari. Conferas etiam vetustam Germanicam cantionem sc. XII. apud H. Hoffmann Geschichte des deutschen Kirchenliedes bis auf Luthers Zeit S. 23. sqq., cuius stropha quinta haec est

Ein angelsnuor geflohtin ist,
dannen dû geborn bist,
daz was din dîn kunescaft,
der angel was diu gotes kraft,
dâ der tôt wart ane irworgen,
der von dir wart verborgen
Sancta Maria!

28. O. om ut Cass. **resurgat vita omnium**, Ell. interserit voculam et. 32. Thom. **quaerit**, Cass. **perisse se sola**. O. **gemat**.

XL.

Hymnus ad Tertiam.

Nunc sancte nobis spiritus,
Unus patris cum filio,
Dignare promptus ingeri
Nostro refusus pectori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessionem personet
Flammescat igne caritas,
Accendat ardor proximos.

[Praesta pater piissime
Patrique compar unice,
Cum spiritu paraclito
Nunc et per omne saeculum.]

Hic hymnus tertiae horae propterea ad spiritum sanctum potissimum relatus, quod is ea hora ignearum linguarum specie in apostolos descendisse commemoratur, in omnibus libris ecclesiasticis reperitur. Consentiunt enim omnes in hymnis horarum, quae dicuntur minores: in ipsis vetustissimis membra-

nis, quae carmina ad Matutinum et Vesperas continent nulla, non desunt hymni hi: Iam lucis orto — Nunc sancte — Rector potens — Rerum deus. Abhorrere videtur ab hac lege cod. M., qui ne Tertiae quidem hymnum adsignaverit. Sed negligentiae id potius quam consilio tribuendum esse, demonstrat Brev. ecclesiae Merseburgensis typis descriptum, hymnum loco consueto exhibens. — 2. Legebant Hinc. et Gotéschalkus: unus patris cum filio: ita Vatic. 82. E. Hil. unus vel unum. Cod. H. unum cum patri filio. Wimpf. unus cum patri filio. Lud. unum cum patre et filio. Cass. Fabr. Hv. unum patri cum filio. 4. H. infusus. 6. Vat. 82. H. Hl. Sl. Msb. Pt. Mgd. Torr. Lps. confessione Vat. 82. H. Cass. Fabr. personent. 7. D. 2. flammascat. Vat. 82. flammascat ignis caritas. 8. Fabr. H. proximus Hil.: *In sole tria sunt: sphaera, claritas et calor ipsius. Sicut sphaera solis naturaliter splendens est et calens: sic summus pater naturaliter sapiens et amans est. Et sicut sphaera solis et splendor et calor non sunt tres soles sed unus sol: sic summus pater et sapientia eius et amor non sunt tres Dii sed unus est Deus. In sphaera solis ignea patrem intelligere debemus, in splendore filium, in calore spiritum.* Saepissime apud veteres summum trinitatis mysterium solis exemplo illustratur. Exempla collegit Barth Adv. XLV, 10.

XLI.

Hymnus ad Sextam.

Libr. vet.		Brev. Rom.
Rector potens, verax Deus		Rector potens, verax Deus,
Qui temperas rerum vices		Qui temperas rerum vices,
Splendore mane instruis		Splendore mane illuminas
Et ignibus meridiem.		Et ignibus meridiem.
Extingue flammas litium,	5	Extingue flammas litium,
Aufer calorem noxium,		Aufer calorem noxium,
Confer salutem corporum		Confer salutem corporum
Veramque pacem cordium.		Veramque pacem cordium.
		Praesta pater piissime etc.

Hymnus et in omnibus vetustis Breviariis et in Romano per totum annum ponitur ad Sextam. Hilar.: *Materia huius hymni sumitur contra qualitates aëris ex hoc quia maximus calor solet esse in meridie et solet nocere corpori. Unde Dgum rogare debemus*

ut in nobis extinguat flammas vitiorum — rogare debemus in sexta hora, qua Adam eiectus fuit de paradiso: illuc redeamus per bonam operationem Christo annuente qui eadem hora in cruce positus fuit. Addit Ludecus sextam horam tempus esse edendi exemplo S. Petri. Act. X, 9. — 3. Lud. Fabr. splendore qui. 4. Fabr. quique ignibus. 6. Cass. nescio qua auctoritate fretus, maximum. 8. Lud. in margine firmaque.

XLII.

Hymnus ad Nonam.

Libr. vet.	Brev Rom.
Rerum Deus tenax vigor,	Rerum Deus tenax vigor,
Immotus in te permanens,	Immotus in te permanens,
Lucis diurnae tempora	Lucis diurnae tempora
Successibus determinans.	Successibus determinans.
Largire clarum vespere	Largire lumen vespere
Quo vita nusquam decidat,	Quo vita nusquam decidat,
Sed praemium mortis sacrae	Sed praemium mortis sacrae
Perennis instet gloria.	Perennis instet gloria.

Praesta, pater piissime etc.

Eodem pacto omnium librorum in unum congruunt sententiae, quorum testimonio hymnus horae nonae addictus est. — 1. Lud.: qui omnes res firmas et integras conservas. 2. H. Sl. Hv. Ct. Mgd. Gron. Torr. permanet. 3. Vat. 82. diurna. 7. Sl. atrae. 8. H. Hv. instat.

XLIII.

Hymnus ad Completorium.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Te lucis ante terminum	Te lucis ante terminum
Rerum creator poscimus,	Rerum creator poscimus,
Ut solita clementia	Ut pro tua clementia
Sis praesul ad custodiam.	Sis praesul et custodia.

Procul recedant somnia
Et noctium phantasmata,
Hostemque nostrum comprime
Ne polluantur corpora.

Praesta pater omnipotens etc.

Procul recedant somnia
Et noctium phantasmata,
Hostemque nostrum comprime
Ne polluantur corpora.

Praesta pater piissime etc.

Hymnus, quo petitur victoria de nocturnis illusionibus, apud vetustos et recentiores vel per totum annum vel ferialibus diebus proprius est Completorio (confer tamen quae adnotavimus ad c. XXIII.) Merati in Gavant. Thes. III. p. 228: *Psalmos (Completorii) statim sequitur Hymnus, quem pro temporis diversitate variabant monachi, ut refert Martene. Nobis (Romanis) hymnus nunquam mutatur, sed per totum anni spatium idem est.* Sed errant homines docti cum monachorum tantum mentionem iniiciunt. Non praetermittere debebant plurimas Germaniae, Angliae aliarumque regionum ecclesias, quas medio aevo (nam hodie Romanum morem sequuntur) festivis diebus cantasse hymnum in Completorio ad liquidum perductum est (e. g. Hl. Mgd. Hv. Ef. multique alii). Plerumque partem hymni, qui cantatur in Vesperi, repetunt in Completorio vel ita disiungunt carmen, ut utrique horae aptum sit atque idoneum. — 3. Cass.: constabit carmen si legas pro tua: placuit emendatoribus. 4. Cass.: aliqui legunt et custodia, ita Gron. H. Hl. Clicht. Fabr. ac custodia.

XLIV.

Hymnus ad Matutinum.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Rerum creator optime,	Rerum creator optime,
Rectorque noster adspice,	Rectorque noster adspice,
Nos a quiete noxia	Nos a quiete noxia
Mersos sopore libera.	Mersos sopore libera.
Te, sancte Christe, poscimus,	Te, sancte Christe, poscimus,
Ignosce tu criminibus,	Ignosce culpis omnibus
Ad confitendum surgimus	Ad confitendum surgimus
Morasque noctis rumpimus.	Morasque noctis rumpimus.
Mentes manusque tollimus.	Mentes manusque tollimus.
Propheta sicut noctibus	Propheta sicut noctibus

Nobis gerendum praecipit
Paulusque gestis censuit.

Vides malum quod gessimus,
Occulta nostra pandimus,
Preces gementes fundimus,
Dimitte quod peccavimus.

Nobis gerendum praecipit
Paulusque gestis censuit.

Vides malum quod fecimus,
Occulta nostra pandimus,
Preces gementes fundimus,
Dimitte quod peccavimus,

Praesta pater piissime etc.

Omnes libri, qui Hymnos Matutino adsignant, tribuunt carmen Feriae quartae ad Nocturnum — 6. Fabr. nostro crimini. 10. Cass.: *Noctibus legendum, ut habet liber S. Benedicti, cum tamen in omnibus quae vidi exemplaribus, novimus legatur vitio librariorum. Quod hinc factum puto, quod idem fere versus in alio hymno: „Primo dierum omnium" legatur, ubi novimus legendum esse constat. Porro Clichtov. quamvis in huius editione novimus legatur, apte tamen locum interpretatur ac si noctibus legisset. Addu it enim locum prophetae David Ps.* 134: *In noctibus extollite manus vestras in sancta. Et alibi Ps.* 119. *Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo. Item testimonium Pauli Rom.* 13. *Hora est nos iam de somno surgere. Et exemplum, qui de nocte manibus laboraverit et in carcere cum Sila inclusus intempesta nocte Deum laudaverit.* 14. Wimpf. prodimus.

XLV.

Hymnus ad Matutinum.

Nox atra rerum contegit
Terrae colores omnium,
Nos confitentes poscimus
Te iuste iudex cordium.

Ut auferas piacula
Sordesque mentis ablnas,
Donesque Christi gratiam
Ut arceantur crimina,

Mens ecce torpet impia
Quam culpa mordet noxia,
Obscura gestit tollere
Et te redemptor quaerere.

Repelle tu caliginem
Intrinsecus quam maxime,
Ut in beato gaudeat
Se collocari lumine.

Carmen, in quo nihil mutarunt Breviaria Romanae ecclesiae recentiora, ubique decantatur Feria quinta ad Nocturnum — 2. Clicht.: non nulli legunt calores, ita Hil. 3.

Male Cass. confidentes. 5. Wimpf.: tu auferas. 8. Id ut arceamus.

XLVI.

Hymnus ad Laudes.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Aeterna coeli gloria,	Aeterna coeli gloria,
Beata spes mortalium,	Beata spes mortalium
Celsi tonantis unice	Summi tonantis unice
Castaeque proles virginis.	Castaeque proles virginis.
Da dexteram surgentibus,	Da dexteram surgentibus
Exurgat et mens sobria	Exurgat ut mens sobria
Flagransque in laudem Dei	Flagrans et in laudem Dei
Grates rependat debitas.	Grates rependat debitas.
Ortus refulget Lucifer	Ortus refulget Lucifer
Sparsamque lucem nuntiat,	Praeitque solem nuntius,
Cadit caligo noctium	Cadunt tenebrae noctium
Lux sancta nos illuminet,	Lux sancta nos illuminet.
Manensque nostris sensibus	Manensque nostris sensibus
Noctem repellat saeculi	Noctem repellat saeculi,
Omnique fine diei	Omnique fine temporis
Purgata servet pectora.	Purgata servet pectora.
Quaesita iam primum fides	Quaesita iam primum fides
Radicet altis sensibus,	In corde radices agat,
Secunda spes congaudeat	Secunda spes congaudeat
Quo maior exstat caritas.	Qua maior exstat caritas.

Deo patri sit gloria etc.

Hymnus adscriptus est omnium librorum testimonio Feriae Sextae ad Laudes — 3. Wimpf. coeli. 7. Fr. fragransque Clicht. al: laude. Ipse vir doctus propter metricas rationes proponit flagrans et in laudem Dei, quod haud displicuit correctoribus. 9. Clicht. al. natus, ita Beb. 15. Fabr. ea qua solet audacia mutavit diei in temporum. 18. Wimpf. nostris. Hil. imis. 20. Ita Clicht. Hil. Fr. Aug. Multi legunt qua maior exstat caritas.

XLVII.

Hymnus ad Laudes.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Aurora iam spargit polum,	Aurora iam spargit polum,
Terris dies illabitur,	Terris dies illabitur,
Lucis resultat spiculum,	Lucis resultat spiculum,
Discedat omne lubricum.	Discedat omne lubricum.
Phantasma noctis decidat,	Phantasma noctis exulet,
Mentis reatus subruat,	Mentis reatus corruat,
Quicquid tenebris horridum	Quidquid tenebris horridum
Nox attulit culpae, cadat.	Nox attulit culpae, cadat.
Ut mane illud ultimum,	Ut mane, quod nos ultimum
Quod praestolamur cernui,	Hic deprecamur cernui
In lucem nobis effluat	Cum luce nobis effluat
Dum hoc canore concrepat.	Hoc dum canore concrepat.

Deo patri sit gloria etc.

Est Laudum in Sabbato. — 3. Hil. Wimpf. speculum. 10. Hil. praestolamus.

XLVIII.

Hymnus ad Primam.

Iam lucis orto sidere	Sint pura cordis intima
Deum precemur supplices,	Absistat et vecordia,
Ut in diurnis actibus	Carnis terat superbiam
Nos servet a nocentibus.	Potus cibique parcitas.
Linguam refrenans temperet	Ut cum dies abscesserit
Ne litis horror insonet,	Noctemque sors reduxerit,
Visum fovendo contegat	Mundi per abstinentiam
Ne vanitates hauriat.	Ipsi canamus gloriam.

Deo patri sit gloria etc.

Auctorem carminis cogitasse de die ieiunio nemo non perspicit. Sed ex antiquo ecclesiae usu quotidie recitatur ad

Primam nec alii cedit per totum anni spatium. Merati (Gav. Thes. III. p. 211.: *Amalarius refert Primam incipiendam esse ab illa prece: „Deus in adiutorium cum Gloria patri" sed nihil habet de Hymno: „Iam lucis orto" quia nulli Hymni eius aetate Romae recitabantur (?). S. Benedictus tamen Amalario antiquior, qui Primam a Laudibus distinguit cap. 17. suae regulae hunc ordinem in ea servari praescribit: Prima hora, inquit, dicantur Psalmi tres singulatim et non sub una Gloria, Hymnus eiusdem horae post Versum „Deus in adiutorium" antequam Psalmi incipiantur.* Id sane affirmare possum me nullum inspexisse librum nisi qui Hymnum Iam lucis orto posuerit in Prima. Nihil mutavit Brev. Rom. — 2. Bd. precamur. 5. Torr. refrenet. 14. Torr. Gron. sol.

XLIX.

Hymnus de diei primae opere.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Lucis creator optime,	Lucis creator optime,
Lucem dierum proferens,	Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis novae	Primordiis lucis novae
Mundi parans originem.	Mundi parans originem.
Qui mane iunctum vesperi	Qui mane iunctum vesperi
Diem vocari praecipis,	Diem vocari praecipis,
Tetrum chaos illabitur,	Illabitur tetrum chaos:
Audi preces cum fletibus.	Audi preces cum fletibus.
Ne mens gravata crimine	Ne mens gravata crimine
Vitae sit exul munere,	Vitae sit exul munere,
Dum nil perenne cogitat	Dum nil perenne cogitat
Seseque culpis illigat.	Seseque culpis illigat.
Coelorum pulset intimum,	Coeleste pulset ostium,
Vitale tollat praemium	Vitale tollat praemium,
Vitemus omne noxium	Vitemus omne noxium
Purgemus omne pessimum.	Purgemus omne pessimum.

Praesta pater piissime etc.

Omnes ecclesiae, qui consueverunt hymnos canere ad Vesperas (nonnullae ἄμουσοι ut ita dicam prorsus omittunt), die dominica cantandum denotarunt. Usus admodum singularis est Brev. Aug., quo id sancitum est, ut recitaretur:

Lucis creator usque ad Kalendas Augusti, postea O lux beata. — 10. Lud.: al. muneris.

L.

Hymnus de opere diei secundae.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Immense coeli conditor,	Immense coeli conditor,
Qui mixta ne confunderent,	Qui mixta ne confunderent,
Aquae fluenta dividens	Aquae fluenta dividens
Coelum dedisti limitem.	Coelum dedisti limitem.
Firmans locum coelestibus,	Firmans locum coelestibus
Simulque terrae rivulis	Simulque terrae rivulis
Ut unda flammas temperet,	Ut unda flammas temperet,
Terrae solum ne dissipet.	Terrae solum ne dissipent.
Infunde nunc piissime	Infunde nunc piissime
Donum perennis gratiae	Donum perennis gratiae,
Fraudis novae ne casibus	Fraudis novae ne casibus
Nos error atterat vetus.	Nos error atterat vetus.
Lucem fides inveniat,	Lucem fides adaugeat,
Sic luminis iubar ferat,	Sic luminis iubar ferat,
Haec vana cuncta terreat,	Haec vana cuncta proterat,
Hanc falsa nulla comprimant.	Hanc falsa nulla comprimant.

Praesta pater piissime etc.

Hymnus est Feriae Secundae ad Vesperas. — 2. Hl. Mgd. confunderes. Hil. Fabr. Wimpf. confunderet. 8. Ita libri omnes, quos vidi. Cass. dissipent sc. flammae. Sed vox dissipet coniungenda est cum unda, ut poetae sententia haec sit: Aqua et ignis ita moderantur gubernante Deo, ut neutrum nocere possit orbi terrarum. Unda temperat flammas firmamenti, quae alioquin exurerent arva, flamma cohibet aquarum multitudinem, quominus inundando terrae solum dissipet, evanescere faciat. Clichtov.: *Auctor secutus vulgatam multorum sententiam dicit a Deo constitutas esse aquas super firmamentum, ut temperent aestum siderum, ne coelos ipsos exurant. Quae quidem ratio philosophiae naturali non est consona, cum orbes coelorum non nati sint incalescere, neque possint incendio conflagrare. Id circa ea clausula „ut unda etc.“ ad*

aquam quae sub firmamento est potius est referenda, temperantem flammas astrorum, ne illae terram comburant. Sane quod super coelos collocatae sint aquae, scriptura multis in locis testatur. Quam autem ob causam illic positae sint, non oportet nos curiosius esse sollicitos. 16. Beb. **comprimant.**

LI.

Hymnus de opere diei tertiae.

Libr. vet.	Brev. Rom:
Telluris ingens conditor,	Telluris alme conditor,
Mundi solum qui eruens,	Mundi solum qui separans,
Pulsis aquae molestiis	Pulsis aquae molestiis
Terram dedisti immobilem:	Terram dedisti immobilem.
Ut germen aptum proferens,	Ut germen aptum proferens,
Fulvis decora floribus,	Fulvis decora floribus,
Fecunda fructu sisteret,	Fecunda fructu sisteret,
Pastumque gratum redderet.	Pastumque gratum redderet.
Mentis perustae vulnera	Mentis perustae vulnera
Munda viroris gratia,	Mundae virore gratiae,
Ut facta fletu diluat	Ut facta fletu diluat
Motusque pravos atterat.	Motusque pravos atterat.
Iussis tuis obtemperet,	Iussis tuis obtemperet:
Nullis malis approximet,	Nullis malis approximet:
Bonis repleri gaudeat	Bonis repleri gaudeat
Et mortis actum nesciat.	Et mortis ictum nesciat.

Praesta, pater piissime etc.

Vesperarum carmen Feria tertia. — 2. Lnd.: al. detegens. 3. Hil. Wimpf. Beb. atque. 6. Aug. fultus. 7. Hv, Lud. fructum. 8. Cass.: al. partumque. 10. Fr. Beb. Lud. Cass. virore gratia. Aug. Hv. Sl. viroris gratia Hl. Mgd. Hl. Wimpf. Fabr. vigoris gratia. Clichtov.: al. vigore gratiae. Placuit nobis scriptio secundo loco posita, nam reliquis quoque, quae alias inter sese dissentiunt, commendatur. 16. Hl. Mgd. actus. Lud. Fabr. ictum.

LII.

Hymnus de opere diei quartae.

Coeli Deus sanctissime
Qui lucidum centrum poli
Candore pingis igneo,
Augens decoro lumine.

Quarto die qui flammeam
Solis rotam constituens,
Lunae ministrans ordinem,
Vagos recursus siderum.

Ut noctibus vel lumini,
Diremptionis terminum
Primordiis et mensium
Signum dares notissimum.

Illumina cor hominum,
Absterge sordes mentium,
Resolve culpae vinculum,
Everte moles criminum.

Praesta pater piissime etc.

Legunt hymnum Feria quarta ad Vesperas. — 4. Hil. decore. 7. Cass. lunae ministras ordini. *Ita potius legendum videtur, quam ut habent nonnulla xemplaria „lunae ministrans ordinem.“* Idem Clichtov. *„minus apte et congruenter“* a quibusdam legi testatur. Sed praeter Fabricium atque Ludecum nullum repperi librum, qui praeberet illud ministras, nec video cur sit minus aptum et congruens: immo optime quadrat ad praecedentia augens, constituens. Libros in voce ordinem (ordine, ordini) dissentire levioris momenti est. 10. Aug. directionis. In permultis direptionis. 12. Multi daret. 13. Fabr. Lud. in margine: omnium.

Coeli Deus sanctissime
Qui lucidas poli plagas
Candore pingis igneo,
Augens decoro lumine.

Quarto die qui flammeam
Dum solis accendis rotam
Lunae ministras ordinem
Vagosque cursus siderum.

Ut noctibus vel lumini,
Diremptionis terminum
Primordiis et mensium
Signum dares notissimum.

Expelle noctem cordium,
Absterge sordes mentium,
Resolve culpae vinculum,
Everte moles criminum.

LIII.

Hymnus de opere diei quintae.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Magnae Deus potentiae,	Magnae Deus potentiae,
Qui ex aquis ortum genus	Qui fertili natos aqua
Partim remittis gurgiti,	Partim relinquis gurgiti,
Partim levas in aera.	Partim levas in aera.
Dimersa lymphis imprimens,	Demersa lymphis imprimens
Subvecta coelis irrogans	Subvecta coelis erigens:
Ut stirpe una prodita	Ut stirpe ab una prodita
Diversa rapiant loca.	Diversa repleant loca.
Largire cunctis servulis,	Largire cunctis servulis,
Quos mundat unda sangui-	Quos mundat unda sanguinis
nis,	Nescire lapsus criminum
Nescire lapsus criminum	Nec ferre mortis taedium.
Nec ferre mortis taedium.	
Ut culpa nullum deprimat,	Ut culpa nullum deprimat,
Nullum levet iactantia,	Nullum efferat iactantia:
Elisa mens ne concidat,	Elisa mens ne concidat,
Elata mens ne corruat.	Elata mens ne corruat.

Praesta pater piissime etc.

Adhibetur carmen in Vesperis feriae quintae. — 5. Wimpf. Mgd. diversa. Fabr. Lud. Thom. demersa. 6. Cass. Clichtov. aliique irrigans Hil. Wimpf. perperam collo irrogans. 10. Kehrein.: „*unda sanguinis*“ *für* „*unda et sanguis.*“ *Unter letzterem ist der Kreuzestod des Heilandes zu verstehen; unter ersterem könnte man die Taufe verstehen; besser wird man es jedoch ebenfalls auf den Kreuzestod beziehen und zwar auf die Seitenwunde des Erlösers, wie in dem Hymnus des Fortunatus.*

LIV.

Hymnus de opere diei sextae.

Plasmator hominis Deus,	Hominis superne conditor,
Qui cuncta solus ordinans	Qui cuncta solus ordinans

Humum iubes producere
Reptantis et ferae genus.

Qui magna rerum corpora,
Dictu iubentis vivida,
Ut serviant per ordinem
Subdens dedisti homini.

Repelle a servis tuis
Quicquid per immunditiam
Aut moribus se suggerit
Aut actibus se interserit.

Da gaudiorum praemia,
Da gratiarum munera
Dissolve litis vincula,
Adstringe pacis foedera.

Humum iubes producere
Reptantis et ferae genus.

Et magna rerum corpora,
Dictu iubentis vivida,
Per temporum certas vices
Obtemperare servulis.

Repelle quod cupidinis
Ciente vi nos impetit,
Aut moribus se suggerit
Aut actibus se interserit.

Da gaudiorum praemia,
Da gratiarum munera
Dissolve litis vincula,
Adstringe pacis foedera.

Praesta pater piissime etc.

Exhibent libri hymnum Feria sexta ad Vesperas. — 6. Lud. dicto.

LV.

Hymnus de Ascensione Domini.

Optatus votis omnium
Sacratus illuxit dies
Quo Christus, mundi spes, Deus,
Conscendit caelos arduos.

Ascendens in altum Dominus,
Propriam ad sedem remeans,
Gavisa sunt ceoli regna
Reditu unigeniti.

Magni triumphum proelii,
Mundi perempto principe,
Patris praesentat vultibus
Victricis carnis gloriam.

Est elevatus nubibus
Et spem fecit credentibus,
Aperiens paradisum.
Quem protoplastus clauserat.

O grande cunctis gaudium!
Quod partus nostrae virginis.
Post sputa, flagra, post crucem
Paternae sedi iungitur.

Agamus ergo gratias
Nostrae salutis vindici,
Nostrum quod corpus vexerit
Sublimem ad coeli regiam.

Sit nobis cum caelestibus
Commune manens gaudium,
Illis quod se praesentavit,
Nobis quod se non abstulit.

Nunc provocatis actibus
Christum expectare nos decet
Vitaque tali vivere,
Quae possit coelos scandere.

[Gloria tibi Domine,
Qui scandis super sidera
Cum patre et sancto spiritu
In sempiterna saecula. Amen.]

Repperit Thomasius hunc hymnum in cod. Vat. 82., Ambrosii nomine insignitum neque dubitat Gallandus Bibl. Patr. VII. p. 772, quin hymni: Optatus votis omnium, Iesu nostra redemptio, Iam Christus astra ascenderat vere a D. Ambrosio sint confecta. Quem primo posuimus loco, rarissimus est in libris liturgicis: in nostris legitur apud Ellingerum et in vetusto Carthusianorum Brev. 4. Ephes. IV, 8. *Ascendens Christus in altum* etc. 5. fortasse legendum scandens. 6. Thom. Ct. omittunt ad. 11. Ct. praesentans. 13. Act. I. 9: *elevatus est et nubes suscepit illum.* 14. Ell. fecitque. 16. Thom. protoplasti clauserant. 20. Ell. sedi paternae. 22. Ct. iudici. 24. Ct. regna. Simili ratione celebrat ascensionem Domini Arator Hist. Ap. 1, 36. sqq.

— *resultant*
Coelestes in laudes chori, cum rector Olympi
Evehit excelsis, quicquid suscepit ab imis
Ingrediensque polum carnis comitante tropaeo:
Exuvias atri raptas de fauce profundi
Lucis in arce locat terrenosque erigit artus.

31. 32. Aug. Serm. de Asc. 2: *Ascendamus cum Christo corde, cum dies eius promissus advenerit, sequemur et corpore. Scire tamen debemus, quia cum Ch. non ascendit superbia, non avaritia, non luxuria, nullum vitium nostrum ascendit cum medico nostro.*

LVI.

Hymnus de Ascensione Domini.

Libr. vet.

Iesu, nostra redemptio,
Amor et desiderium,
Deus creator omnium,
Homo in fine temporum.

Brev. Rom.

Salutis humanae sator,
Iesu, voluptas cordium,
Orbis redempti conditor
Et casta lux amantium.

Quae te vicit clementia
Ut ferres nostra crimina,
Crudelem mortem patiens
Ut nos a morte tolleres.

Inferni claustra penetrans,
Tuos captivos redimens,
Victor triumpho nobili
Ad dextram patris residens.

Ipsa te cogat pietas,
Ut mala nostra superes
Parcendo et voti compotes
Nos tuo vultu saties.

Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurus praemium,
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper saecula.

Qua victus es clementia,
Ut nostras ferres crimina,
Mortem subires innocens
A morte nos ut tolleres.

Perrumpis infernum chaos
Vinctis catenas detrahis:
Victor triumpho nobili
Ad dexteram patris sedes.

Te cogat indulgentia
Ut damna nostra sarcias,
Tuique vultus compotes
Dites beato lumine.

Tu dux ad astra et semita,
Sis meta nostris cordibus,
Sis lacrimarum gaudium
Sis dulce vitae praemium.

In plurimis ecclesiis, suavissimus hymnus ornat Completorium in Ascensione Domini (Fr. ad Vesperas). Ut nunc est, magna cum sollemnitate in Vesperis atque Laudibus intonatur. Gavant. Thes. S. R. III. p. 471: *In eisdem Vesperis (Ascensionis) ad principium hymni: „salutis humanae sator“ debet celebrans seu officiator iungere, extendere et elevare manus, ac caput inclinare versus altare et ut ex Caerimoniali Episc. lib. 2 monet Bauldry par ratio est de hymno in Laudibus dicendo.* — 3. Fabr. curator. 4. Ell. in fine homoque temporum. 6. Lips. ferens. 10. Fabr, redimis. 12. Ell. ad dexteram patris sedes. Corn. resides. 16. Ps. XVI, 15.: *ego satiabor cum apparuerit gloria tua.* 17 — 20. om. Hi. Msb. 17. Ell. sis quaeso. 18. Clicht.: al. futurum. Ell. es qui. 19. Corn. nostra in te sit. 20. Ell. in cuncta semper saecula.

LVII.

Hymnus de die Pentecostes.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Iam Christus astra ascenderat,	Iam Christus astra ascenderat,
Regressus unde venerat,	Reversus unde venerat
Promissum patris munere	Patris fruendum munere
Sanctum daturus spiritum.	Sanctum daturus spiritum.

Sol-

Sollemnis urgebat dies,
Quo mystico septemplici
Orbis volutus septies
Signat beata tempora.

Dum hora cunctis tertia
Repente mundus intonat,
Orantibus apostolis
Deum venisse nunciat.

De patris ergo lumine
Decorus ignis advenit,
Qui fida Christi pectora
Calore verbi compleat.

Impleta gaudent viscera,
Afflata sancto spiritu,
Voces diversas intonant,
Fantur Dei magnalia.

Ex omni gente cogniti,
Graecis, Latinis, Barbaris,
Cunctisque admirantibus
Linguis loquuntur omnium.

Iudaea tunc incredula,
Vesana torvo spiritu,
Ructare musti crapulam
Alumnos Christi concrepat.

Sed signis et virtutibus
Occurrit et docet Petrus,
Falsa profari perfidos
Ioëlis testimonio.

[Sic Christe, nunc paraclitus
Per te pius nos visitet
Novansque terrae faciem
Culpis solutos recreet.]

Sollemnis urgebat dies
Quo mystico septemplici
Orbis volutus septies
Signat beata tempora.

Cum lucis hora tertia
Repente mundus intonat,
Apostolis orantibus
Deum venire nuntiat.

De patris ergo lumine
Decorus ignis almus est
Qui fida Christi pectora
Calore verbi compleat.

Impleta gaudent viscera
Afflata sancto spiritu,
Vocesque diversas sonant
Fantur Dei magnalia.

Notique cunctis gentibus,
Graecis, Latinis, Barbaris,
Simulque demirantibus
Linguis loquuntur omnium.

Iudaea tunc incredula,
Vesana torvo spiritu
Madere musto sobrios
Christi fideles increpat.

Sed editis miraculis
Occurrit et docet Petrus,
Falsum profari perfidos
Ioële teste comprobans.

Deo patri sit gloria etc.

Hymnus in perpaucis breviariis vetustioribus legitur, ex lege Brev. Romani Matutino die festivo Pentecostes adscriptus. — 3. Pd. promisso patris munere Hil. Ct. Fabr. Wimpf. promissa p. munera. 5. W. 1. Cs. surgebat. 6. Beb. mystice. Cass.: *Huius loci obscuritas optime tolli videtur, si septemplici, quod natura adiectivum est, pro substantivo intelligas hoc*

sensu: urgebat iam sollemnis dies, quo orbis coeli volutus ac circumactus septies septemplici s. septenario mystico significat beata tempora, c. i. futuram quietem typo iubilaei, qui constabat septenario annorum septies, decursu adumbratam (cf. 7, 13.). 7. Beb. orbe soluto. 9. Cass. al.: tum W. 1. Thom. Cs. cum. 11. W. 1. Beb. Ef. Fabr. Thom. Cs. ap. orantibus. 12. Thom. W. 1. Cs. nuncians. Fabr. Ell. venisse nunciat Deum. 14. Beb. decorans W. 1. Fr. Hil. Cs. Ct. ignis almus est. Wimpf. Fabr. Pd. ignis missus est. Sed cum poetae Christiani ad sacrae scripturae eloquia sese accommodare soleant, id vero simile est, nostrum sequi vestigia B. Lucae Act. II, 2. *factus est repente de coelo sonus tanquam spiritus advenientis et replevit totam domum.* 16. Beb. Ct. Pd. complevit. 18. Alii afflatu s. spiritus vel afflato s. spiritu. W. 1. Cs. sancto lumine. 19. W. 1. Thom. Cs. diversae consonant Fabr. voces disertas intonant. 20. Act. II. 11. *audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.* 21. W. 1 Cs. ex omni gente cogitur. Fabr. tum gente ab omni cogniti. 22. W. 1.° Ct. Cs. Graecus, Latinus, Barbarus. 24. al. omnibus. 26. W. 1. Cs. vesana turba. Vat. 82. vesano turbas sp. Beb. v. tacta sp. Cass.: al. ves. torva spiritu. Spiritus vesanus, a diabolo profectus, opponitur spiritui sancto. 27. Ct. crapula. Act. II, 13.: *musto pleni sunt isti.* 29—32. Hunc versiculum Hymnarius Groningensis perperam adnexuit ad Hymnum: Beata nobis gaudia. 29. Fabr. Ell. signis sed. 31. Hil. Wimpf. Fabr. falsos probavit. 32. W. 1. Thom. Cs. lohele teste comprobans cf. Act. II, 16. 32—36. invenies apud Thom. Beb. Cl. 33. Thom. hic, al. hinc.

LVIII.

Hymnus matutinus.

Deus, qui coeli lumen es
Satorque lucis, qui polum,
Paterno fultum brachio
Praeclara pandis dextera.

Aurora stellas iam tegit
Rubrum sustollens gurgitem,
Humectis namque flatibus
Terram baptizans roribus.

Curçus iam poscit phosphorus
Radiis rotisque flammeis
Quod coeli scandens verticem
Profectus moram nesciens.

Iam noctis umbra linquitur
Polum caligo deserit,
Typusque Christi Lucifer
Diem sopitum suscitans.

Dies dierum agius es
Lucisque lumen ipse es,
Unum potens per omnia,
Potens in unum Trinitas.

Te nunc salvator quaesumus
Tibique genu flectimus,
Patrem cum sancto spiritu
Totis rogamus vocibus.

Pater qui coelos contines,
Cantemus nunc nomen tuum,
Adveniat regnum tuum
Fiatque voluntas tua.

Haec inquam voluntas tua
Nobis agenda traditur,
Simus fideles spiritu,
Casto manentes corpore.

Panem nostrum quotidie
De te edendum tribue
Remitte nobis debita
Ut nos nostris remittimus.

Tentatione subdola
Induci nos ne siveris,
Sed puro corde supplices
Tu nos a malo libera.

Ex cod. O. primus evulgavit hymnum I. Grimmius itemque carmina Deus qui claro lumine, meridie orandum est, Tempus noctis surgentibus (apud nos LIX. LXVII.). Et recte quidem vir summus, donec aliud doceatur, hos hymnos nunc primum a se prolatos existimabit, quos, nisi me omnia fallunt, ad hoc usque tempus nemo unquam in ullo libro inuestigaverit. — Ceterum subnascitur mihi suspicio, carmen conflatum esse ex duobus, quorum alterum incipiat a stropha: Pater qui coelos contines. Nam praecedens continet doxologiam, in quam hymnos desinere poetis semper cordi erat: itaque apte v. 21—24. concluditur hymnus prior. Deinde usque ad finem orationem dominicam, ad carminis leges revocatam, a poeta decantari facile apparet.

LIX.

Hymnus matutinus.

Tempus noctis surgentibus
Laudes Deo dicentibus
Christo Iesuque domino
In Trinitatis gloria.

Chorus sanctorum psallimus,
Cervices nostras flectimus,
Genua prosternimus
Peccata confitentibus.

Oremus Deo ingiter,
Vincamus in bono malum,
Cum fructu poenitentiae
Votum pereune reddere.

Christum rogemus et patrem
Sanctum patrisque spiritum
Ut det nobis auxilium,
Vincamus hostem invidum.

Habet solus Cod. O.

LX.

Hymnus matutinus.

Diei luce reddita
Primis post somnum vocibus
Dei canamus gloriam
Christi favente gratia.

Per quem creator omnium
Diem noctemque condidit,
Aeterna lege sanciens,
Ut semper succedant sibi.

Tu vera lux fidelium,
Quem lex veterna non tenet,
Noctem nec ortu succedens
Aeterno fulgens lumine.

Christe precamur annue
Orantibus servis tuis
Iniquitas haec saeculi
Ne nostram captivet fidem.

Non cogitemus impie,
Invideamus nemini,
Laesi ne reddamus vicem
Vincamus in bono malum.

Absit nostris ex cordibus
Ira, dolus, superbia,
Absistat avaritia,
Malorum radix omnium.

Vinum mentem non occupet
Ebrietate perpeti,
Sed nostro sensui competens
Tuum bibamus poculum.

Conservet pacis foedera
Non simulata caritas,
Sed illibata castitas
Credulitate perpeti.

Addendis non sit praediis
Malesuada semper fames,
Si affluant divitiae
Prophetae nos psalmus regat.

Praesta pater ingenite,
Totum ducamus ingiter
Christo placentes hunc diem
Sancto repleti spiritu.

Reperitur in Cod. O. et in Hymnario Thomasii „diei sabbati.“ — 4. Thom. fatentes gratiam. 10. Thom. aeterna. 11. Thom. nec ortus occidens. 24. I. Tim. VI, 10.: *radix omnium malorum est cupiditas.*

LXI.

Hymnus matutinus.

Deus aeterni luminis
Candor inenarrabilis,
Venturus diei index
Qui mentis occulta vides.

Tu regnum coelorum tenes
Et totus in verbo tu es,
Per filium cuncta regis,
Sancto Spiritui fons es.

Trinum nomen alta vides
Unum per omnia potens,
Mirumque per signum crucis
Tu rector immensae lucis.

Tu mundi constitutor es,
Tu in septimo throno sedes
Iudex, ex alto humilis
Venisti pati pro nobis.

Tu Sabaoth omnipotens,
Osanna summi culminis,
Tibi laus est mirabilis,
Tu es prima anastasis.

Tu fidei adiutor es
Et humiles tu respicis,
Tibi alta sedes thronus,
Tibi divinus est honor.

Christo aeternoque domino
Patri cum sancto spiritu
Vitae solvamus munera
A saeculis in saecula.

Thom. Hymn. et Cod. O. — Al. 11. inscribit: Hymnus quinta feria dicendus. 8. O. sancti spiritus. 9. Al. 11. potens. O. alta fides. 14. O. tu septimo. 17. Al. 11. pro omnipotens legit homini. 18. Thom. Tu Hosianna. 20. O. tu rex primus anastasis, sed pertinent verba ad Apoc. XX, 5. 6. 21. Thom. auditor. 23. O. altae sedis thronus. 24. O. tibique. 25. Thom. Deo.

LXII.

Hymnus matutinus.

Iam lucis splendor rutilat
Noctis fugatis tenebris,
Reddamus laudes domino,
Qui manet ante saecula.

Pellamus omne noxium,
Poscamus omne prosperum,
Defendat suos famulos
Virtus aeterna iugiter.

Ut ore ei consono
Et corde devotissimo
Possimus omni tempore
Laudes referre debitas.

Ex Thomasii Hymnario.

LXIII.

Hymnus ad Primam.

Christe coelorum conditor,
Deus dominator omnium,
Placabilis nos aspice
Precantes tuos famulos.

Hora prima psallimus,
Laudes Deo referimus,
Qui caecam noctem vicimus
Christum regem requirimus.

Deo patri sit gloria,
Eiusque soli filio,
Cum spiritu paraclito
Et nunc et in perpetuum.

[Gloria tibi Pater
Gloria unigenito.
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula. Amen.]

Ex Thomasii Hymn. Al. 11. inscribit: Hymnus ad Tertiam. Vocem conditor v. 1. om. Vat. 82.

LXIV.

Hymnus ad Tertiam.

Iam surgit hora tertia
Et nos intenti currimus,
Psallendi opus implemus
Christum laudemus dominum.

Hora quoque iam tertia
Christus cruce suspensus est,
Voluntatem patris implevit,
Mundi peccatum abstulit.

Conscendit sedem propriam,
Sed et ad patris dexteram,
Collaudant throni dominum
Quem perfidi negaverant.

Nos Christum Deum colimus,
Iudicemque speramus,
Quem prophetae cecinerunt,
Apostoli secuti sunt.

Egressus hora tertia
Sanctus pater familias
Per singulos denarios
Conduxit operarios.

In tua, Christe, vinea
Quam praemio iam cernimus,
Sequimur opus mysticum
Propter promissum optimum.

Ecce processit hora
In qua sanctus spiritus
Apostolorum vascula
De verbo fecit ebria.

Infunde sensus domine
Ut te canamus laudibus,
Christe redemptor omnium
Sanctifica nostrum chorum.

Habet Thomasii Hymnarium ex Brev. Mozarabum sed Plurimis locis vitiosum.

LXV.

Hymnus ad Tertiam de Passione Domini.

Dei fide, qua vivimus,
Spe perenni, qua credimus,
Per caritatis gratiam
Christo canamus gloriam.

Qui ductus hora tertia
Ad passionis hostiam
Crucis ferens suspendia
Ovem reduxit perditam.

Precemur ergo subditi,
Redemptione liberi,
Ut eruat a saeculo
Quos solvit a chirographo.

Gloria tibi Trinitas,
Aequalis una Deitas,
Et ante omne saeculum
Et nunc et in perpetuum.

Legitur apud Cassandrum, Thomasium et in cod. O. — 2. O. om. qua. 4. O. Christi. 12. Col. II, 14. *delens quod adversus nos erat chirographum.* Inepte vertit interpres theotiscus: dea arloste fona luzzilemu kascribe.

LXVI.

Hymnus ad Sextam.

Iam cursus horae sextae
Rotat diei tempora,
Nos admonet per omnia
Laudes referre debitas.

Nunc Petrus orans genibus
Fidem futuram prospicit,
Nunc viva Christus semina
Instat fluenta tradere.

Hoc solis aevo mystice
Tres patriarcha hospitat,
Carnis figurae nuncios
Sub Trinitatis numine.

Perfecta summi calculi,
Et prima constat partibus,
Quae data sese perficit,
Tenetque mundi fabricam.

Haec nempe, Christe, condita.
Manent tua potentia,
Cuius potestas gloriae
Per cuncta regnat saecula. Amen.

Ex Thomasii Hymnario. 5. 6. Act. X, 9. sqq.

LXVII.

Hymnus ad coenam.

Meridie orandum est,
Christus deprecandus est,
Ut iubeat nos cedere
De suo sancto corpore.

Ut ille sit laudabilis
In universo populo,
Ipse coelorum dominus
Qui sedet in altissimis.

Det nobis auxilium
Per angelos mirabiles
Qui semper nos custodiant
In omni vita saeculi.

Reperitur in uno Cod. O.

LXVIII.

Hymnus post cibos resumptos.

Cibis resumptis congruis,
Coenae peractis usibus,
Ad te, redemptor inclyte,
Laudes venimus promere.

Occurre nobis ocyus,
Tollens cibi gravedinem,
Corpus parandum ad precem,
Confessionis dans fidem.

Ut quidquid ore promimus
Tuis sacris in laudibus,
Nobis coronam conferens,
Soli Deo dans gloriam.

Presta Pater piissime etc.

Thom. Hymn.: Brev. Mozarabum in Officio ante Completorium in Quadragesima.

LXIX.

Hymnus ad Nonam.

Convexa solis orbita,
Novem voluta circulis
Horae peracto tramite
Ter conficit ternario.

Hoc passionis tempore
Complevit auctor omnium,
Nunc ad laborem vineae
Misit vocatos servulos.

Hac Petrus hora mystice
Claudi resolvit vincula,
Nunc visionem cogitat,
Terno recursu terminat.

Hymni canamus gloriam
Cum voce, puris mentibus,
Deo creanti prospera
Per acta iustis saecula.

Thomasius in Hymnario. 11. 12. cf. Act. X. 19. sq.

LXX.

Hymnus ad Nonam.

Ternis ter horis numerus
Sacrae fidei panditur,
Nunc Trinitatis nomine
Munus precamur veniae.

Latronis en confessio
Christi meretur gratiam,
Laus nostra vel devotio
Meretur indulgentiam.

Mors per crucem nunc interit,
Et post tenebras lux redit,
Horror dehiscat criminum,
Splendor nitescat mentium.

Gloria tibi Trinitas,
Aequalis una Deitas,
Et ante omne saeculum,
Et nunc et in perpetuum.

Ex Thomasii Hymnario.

LXXI.

Hymnus ad Vesperas.

Deus, qui claro lumine
Diem fecisti, domine,
Tuam rogamus gloriam
Dum pronus solvitur dies.

Iam sol urgente vespere
Occasum suum graditur,
Mundum concludens tenebris
Suum observans limitem.

Sed tunc excelse domine,
Precantes tuos famulos,
Labore fessos diei
Quietos nox suscipiat.

Ut non fuscatis mentibus
Dies abscedat saeculi,
Sed tua tecti gratia
Cernamus lucem prosperam.

Debemus carmen cod. O. — 9. cod. O. vitiose sed tu exc. domine. Grimmius commendat legere sed fac exc.

domine. Si quid video scriptura codicis unice vera est tunc quod cum voce tu saepissime confundi non est quod prolixe doceamus.

LXXII.

Hymnus in Adventu Domini.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Conditor alme siderum	Creator alme siderum,
Aeterna lux credentium,	Aeterna lux credentium,
Christe redemptor omnium	Iesu redemptor omnium
Exaudi preces supplicum.	Intende votis supplicum.
Qui condolens interitu	Qui daemonis ne fraudibus
Mortis perire saeculum,	Periret orbis, impetu
Salvasti mundum languidum	Amoris actus, languidi
Donans reis remedium.	Mundi medela factus es.
Vergente mundi vespere	Commune qui mundi nefas
Uti sponsus de thalamo,	Ut expiares, ad crucem
Egressus honestissima	E virginis sacrario
Virginis matris clausula.	Intacta prodis victima.
Cuius forti potentiae	Cuius potestas gloriae
Genu curvantur omnia,	Nomenque cum primum sonat;
Coelestia, terrestria	Et coelites et inferi
Fatentur nutu subdita.	Tremente curvantur genu.
[Occasum sol custodiens,	
Luna pallorem retinens,	
Candor in astris relucens	
Certos observat limites.]	
Te deprecamur Hagie,	Te deprecamur ultimae
Venture index saeculi,	Magnum diei iudicem,
Conserva nos in tempore	Armis supernae gratiae
Hostis a telo perfidi.	Defende nos ab hostibus.
Laus, honor, virtus, gloria etc.	Virtus, honor, laus, gloria etc.

Minime spectat, opinor, carmen proprie ad Adventum domini, sed est Vesperarum (cf. ad v. 24). Id tamen largimur quod ab ecclesia antiquo more factum esse video,

in plurimis locis aptissime referri posse ad tempus sacrum Nativitati praecedens. Est sane in omnibus libris, quos vidi, positus Hymnus in Adventu ad Vesperas. — 2. Kehr. aeterne. Addit: *ich möchte lieber aeterna lesen.* Ego vero cognoscere velim, unde perversa scriptura fluxerit. Ne apud Fabricium quidem exstat, quem Kehr. in hoc carmine sequitur. 5—8. Cod. W. 1. Cs.

Qui condolens hominibus,
Mortis subvectis legibus,
Factus homo restitutis
Vitam in tuo sanguine.

8. H. M. regis. 9. Cass. Corn. urgente. Ut quibusdam placet, ante oculos erat poetae locus Zachar. XIV, 7: Et erit dies una, quae nota est domino, non dies neque nox et in tempore vesperi erat lux. Clicht. *Dicitur venisse Christus cum propinquaret mundi vespera. Nam expletis iam quinque mundi aetatibus in sexta eius venit aetate, quae ad finem usque saeculi porrigetur.* Ipsis patribus disputatio de mundo senectutis molestiis laborante est usitatissima; unum audias Ambrosium de bono mort. c. 10.: *Senescens creatura robur iuventutis suae velut iam marcescente virium suarum vigore deponit.* Eodem sensu noster mundum languidum appellat. 10. Ps. XVII, 6. cf. 1, 13. 11. M. beatissimae. 12. Gron. matris virginis. Kehr: *Das hier in etwas ungewöhnlicher Bedeutung stehende Wort clausula ist mit dem claustrum pudoris eines andern Hymnus (10, 12.) gleichbedeutend und steht für utero.* Recte si vox in puri sermonis trutina examinatur; apud inferioris latinitatis scriptores clausula idem significat atque cella, area septo clausa cf. Du Cange s. v. clausura. 13—16. Phil. II, 10. *Ut in nomine Iesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum.* Cod. W. 1. et Cs. ad hunc locum propius accedunt, legentes coelestium, terrestrium, nec non et infernalium. 14. Cass. al. curvantes Lud. flectuntur, in nonnullis genua. W. 1. genu flectatur omnium. 16. Fr. Aug. Gron. Lips. Pd. nuntu fatentur. 17—20. Reiecit Brev. Rom. versum neque iniuria. Ne illud commemorem, parum eum cohaerere cum reliquis carminis partibus in quibusdam libris etiam abest. Ita explicat verba Loss. *Corporum coelestium certus et perpetuus motus de duobus admonet ecclesiam. Primum de omnipotentia et sapientia Dei, secundo de aeterno foedere, quod Deus per filium humanum genus sibi copulavit. Ierem. 33. Foedus meum cum ipsis inviolabile erit sicut coelum est sempiternum.* 19. Beb. renitens. 20. Cass. observavit. 21. Miramur Kehr. haec monentem: *Agie könnte man, freilich sprachwidrig, für age fassen, besser wird man es jedoch für das griechische ἅγιος halten.* 22. Aug. venturi. 23. 24. Cass. In libro S. Benedicti ita legitur: Conserva nos

in tempore noctis a telo perfidi, quorum verborum sententia manifesta est. Quamquam reliqui fere omnes exhibent hostis ego quoque illam scripturam genuinam putaverim. W. 1. Cs. quo diu simus advenae. 24. D. 2 vitiose a telo providi.

LXXIII.

Hymnus de Adventu Domini.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Vox clara ecce intonat,	En clara vox redarguit
Obscura quaeque increpat:	Obscura quaeque personans,
Pellantur eminus somnia	Procul fugentur somnia
Ab aethere Christus promicat.	Ab alto Iesus promicat.
Mens iam resurgat torpida	Mens iam resurgat torpida,
Quae sorde exstat saucia,	Non amplius iacens humi:
Sidus refulget iam novum	Sidus refulget iam novum
Ut tollat omne noxium.	Ut tollat omne noxium.
E sursum agnus mittitur,	En agnus ad nos mittitur
Laxare omnis debitum	Laxare gratis debitum:
Omnes pro indulgentia	Omnes simul cum lacrimis
Vocem demus cum lacrimis.	Precemur indulgentiam.
Secundo ut cum fulserit	Ut cum secundo fulserit
Mundumque horror cinxerit	Metuque mundum cinxerit
Non pro reatu puniat	Non pro reatu puniat
Sed pius nos tunc protegat.	Sed nos pius tunc protegat.
	Virtus, honor, laus, gloria etc.

In Adventu ad Laudes, fere ubique. Id velim in hoc carmine ne praetermittas, poetam optime in usum suum convertisse pericopas scripturae sacrae dominicis diebus et festivis in ecclesia recitatas. Conferas v. 3—6. cum epistola Dom. Adv. 1. Rom. XIII, 11. sq. v. 13—16. cum Evangel. Dom. II. (vel in Romana Ecclesia, ut hodie est I.) Luc. XXI, 25. sqq.: initium denique cum illa pericopa, quae in Lectionario vetustissimo tribuitur Domin. IV. Marc. I, 1. sq. — 1. Ioannes etiam atque etiam inculcat poenitentiam et increpat omnia vitia atque peccata. 3. Bd. procul. 4. Cass. Ramb. ab aethre. 5. E. Msn. turbida Pd. resurget.

9. Fabr. desursum. Male commiscet poeta in sequentibus tropos de Christo usurpatos. 13. Cass. Ramb. ut cum secundo. 14. Hl. mundumque horrore c. 16. Hl. pios nos tunc. Cass. Ramb.: sed nos pius

---

LXXIV.

De Adventu Domini.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Verbum supernum prodiens,	Verbum supernum prodiens
A patre olim exiens,	E patris aeterno sinu,
Qui natus orbi subvenis	Qui natus orbi subvenis
Cursu declivi temporis.	Labente cursu temporis.
Illumina nunc pectora	Illumina nunc pectora
Tuoque amore concrema,	Tuoque amore concrema,
Audito ut praeconio	Ut cor caduca deserens
Sint pulsa tandem lubrica.	Caeli voluptas impleat.
Indexque cum post aderis	Ut cum tribunal iudicis
Rimari facta pectoris,	Damnabit igni noxios
Reddens vicem pro abditis	Et vox amica debitum
Iustisque regnum pro bonis.	Vocabit ad coelum pios,
Non demum arcemur malis	Non esca flammarum nigros
Pro qualitate criminis,	Volvamur inter turbines
Sed cum beatis compotes	Vultu Dei sed compotes
Simus perennes caelibes.	Coeli fruamur gaudiis.

Hymnus supra positus passim reperitur in Breviaris vetustioribus vel ad Vesperas vel ad Matutinum. Nunc ubique in nocturno officio recitatur tempore Adventus: praeterea (cum duobus qui antecedunt) in festivitate Exspectationis B. V. Mariae. Hil. hoc hymno respondendum esse censet haereticis, qui dicerent Christum venisse, sed non de patre. — 2. E. Cass. prodiens, 4. cf. 69, 9. 7. Gron. Beb. audito quo praeconio Bd. audita ut praeconia. 11. Cass. reddes vicem. 13. Cass. non des ut: alios legisse refert non damnis. Bd. Hil. Beb. arcemur. Wimpf. arceamur. 16. Clicht.: *Per coelibatum perennem futurae vitae petitur status regnique coelestis perpetua mansio, quoniam in eo iugis est continentia atque vacatio a carnali consortio — — sunt etiam qui legunt coelites. Et*

hi apertiorem exprimunt huius loci sententiam. Verum qui legeret simus perenne coelibes vel coelites multo aptius diceret. Nam et lenior est prolatio et melior orationis structura. Utut est, librorum auctoritate unum stat caelibes, neque alio modo explicandum, quam explicavit Hil.: *coelestem vitam ducentes.* Nam ex loco Matth. XXII, 30.: *in resurrectione neque nubent neque nubentur sed erunt sicut angeli Dei in coelo* proficisci potuit illa loquendi ratio, ut caelebs pro beatus usurparetur.

LXXV.

De Nativitate Domini.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Christe redemptor gentium,	Iesu redemptor omnium,
De patre patris unice,	Quem lucis ante originem
Solus ante principium	Parem paternae gloriae
Natus ineffabiliter.	Pater supremus edidit.
Tu lumen, tu splendor patris,	Tu lumen et splendor patris,
Tu spes perennis omnium,	Tu spes perennis omnium,
Intende quas fundunt preces	Intende quas fundunt preces
Tui per orbem famuli.	Tui per orbem servuli.
Memento salutis auctor	Memento rerum conditor,
Quod nostri quondam corporis	Nostri quod olim corporis,
Ex illibata virgine	Sacrata ab alvo virginis
Nascendo formam sumpseris.	Nascendo formam sumpseris.
Sic praesens testatur dies	Testatur hoc praesens dies
Currens per anni circulum	Currens per anni circulum
Quod solus a sede patris	Quod solus e sinu patris
Mundi salus adveneris.	Mundi salus adveneris
Hunc coelum, terra, hunc mare,	Hunc astra, tellus, aequora,
Hunc omne quod in eis est,	Hoc omne quod coelo subest,
Auctorem adventus tui	Salutis auctorem novae
Laudans exultet cantico.	Novo salutat cantico.

Nos quoque qui sancto tuo
Redempti sumus sanguine
Ob diem natalis tui
Hymnum novum concinimus.

Et nos beata quos sacri
Rigavit unda sanguinis
Natalis ob diem tui
Hymni tributum solvimus.

Iesu tibi sit gloria
Qui natus es de virgine etc.

Hymnus in vetustis non nisi raro obvius (Fr. Aug. et al.). nunc maiori cum observantia in ecclesia colitur. Canitur enim in utrisque Vesperis Nativitatis, diebus infra Octavam eiusdem festis haud impeditis et festo Circumcisionis. Praeterea versus tertius, iunctus cum alio aliunde desumpto (Maria mater gratiae, Dulcis parens clementiae, Tu nos ab hoste protege Et hora mortis suscipe) ac doxologia inservit Officio parvo Mariae ad Completorium et omnes horas, quae dicuntur minores. — 1. Fr. Aug. omnium. cf. ad 1, 1. Exstat hymnus serioris aetatis Christe redemptor omnium de omnibus sanctis. 2. Pd. ex. 5. Cass. Ramb. (qui in hoc carmine Cassandri vestigia premit) aliique et Voculae et — ut cum alias (cf. doct. Ungeri quondam collegae Theb. Parad. p. I. 31.) tum in hymnis saepissime a librariis confunduntur e. g. 5, 11. 18, 7. 13. Cass.: al. hic. 15. Clicht.: *Solus advenisse dicitur C. quoniam solus ipse per incarnationem humanam induit naturam. Neque enim pater incarnatus est neque spiritus sanctus.* 19. Aug. auctoris adventum sui. 20. Aug. Pd. laudat exultans. 24. Ps. XCV, 1. XCVII, 1. Similiter Gellertius: *Und Erde, die ihn heute sieht, sing ihm, dem Herrn ein neues Lied.*

LXXVI.

De Nativitate Domini.

Mysterium ecclesiae,
Hymnum Christo referimus,

Quem genuit puerpera,
Verbum patris in filio.

Sola in sexu femina,
Electa es in saeculo,
Et meruisti dominum
Sancto portare in utero.

Vates antiqui temporis
Praedixerant quod factum est,
Quia virgo conciperet,
Et pareret Emanuel.

Mysterium hoc magnum est,
Mariae quod concessum est,
Ut Deum per que momnia,
Ex se videret prodere.

Vere gratia plena es
Et gloriosa permanes
Quia ex te nobis natus est
Christus per quem facta sunt
omnia. 20

Pastores qui audierunt,
Gloriam Domino cantarunt,
Cucurrerunt in Bethelehem
Natum videre dominum.

Sic magi ab orta solis 25
Per stellae indicium
Portantes typum gentium
Primi offerunt munera.

Rogemus ergo populi
Dei matrem et virginem 30
Ut ipsa nobis impetret
Pacem et indulgentiam.

Gloria tibi domine
Qui natus es de virgine etc,

Repperi carmen in Cod. W. 1. in Thomasii Hymnario (in Vat. 82. inscriptus: Hymnus sanctae Mariae) in vetustis Carthusianorum et Cisterciensium Brev. in Sollemnitatibus et Octavis b. virginis. Mariae ad Matutinum vel ad Vesperas. — denique apud Ellingerum (in Epiphania) sed prorsus mutatum et aliis in multis dissonum. — 4. W. Ct. Cs. filium. 10. W. 1. praedixerat. 11. 12. Ies. VII, 14. *ecce virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emanuel.* 13. Vat. 82. om. est. 14. Thom. Et Mariae quod concessum. 17. Luc. I, 28. *angelus dixit: Ave gratia plena.* 19. al. om. nobis. 22. W. 1. Ct. Cs. Deo cantaverunt. 23. Luc. II, 16. *et venerunt festinantes.* 28. Nota res est magos significare gentium multitudinem ad dominum convertendam. Minus notum, eos ex veterum opinione non suo nomine sed tanquam legatos delectos a toto sapientium orientalium choro illud iter confecisse. Unde Iuvencus 1, 228 sq. *nomen tenuere Magorum, Hinc lecti proceres Solymam per longa viarum Deveniunt.* Gaudentius Ep. Brixianus ad Paulum fratrem: *stellae obsequentis fulgor magnum declarat Deum, quem legati universarum gentium magi suppliciter adorantes* etc. 28. Sequuntur apud Ellingerum duo versiculi, in quibus nullum carminis nostri vestigium:

Et vagienti basia
Fixere regi parvulo,
Thus, myrrham et auri
braeteas
Larga obtulere munera.

Dei parentem virginem,
Ecclesiae typum sacrae,
Laudemus, in cuius tener
Quiescit ulnis Iesulus.

LXXVII.

Hymnus Quadragesimalis.

Iam ter quaternis trahitur
Horis dies ad vesperum,
Occasu sol praenuntiat
Noctis redire tempora.

Nos ergo signo domini
Tutemus claustra pectorum
Ne serpens ille callidus
Intrandi tentet aditum.

Sed armis pudicitiae
Mens fulta vigil liberae
Sobrietate comite
Hostem repellat improbum.

Sed nec ciborum crapula
Tandem distendat corpora,
Ne vi per somnum animam
Ludificatam polluat.

Wimpf. Sb.: Dominica tertia et quarta in Quadragesima. Thom.: Ponitur in Hymnario vetusto monastico Sabbato in Quadrag. ad Vesperas. Non male Torr.: *Hic hymnus canitur circa aequinoctium vernum quando dies est aequalis nocti s. duodecim horarum.* Sane rarissimus est in Breviariis. — 1. O. sic. 2. Gron. dies horis. 3. O. Wimpf. praenuntians. Torr. pronuntians. Clicht. Sb. pronuntiat. 4. Cass. Thom. Clicht. venire. O. noctem redire temporum. 6. Cass. Gron. tutemur. Sb. tutamur. O. tundimus casta (Torr. Wimpf.) pectora 7. Gen. 3, 1. *serpens erat callidior cunctis animantibus terrae.* 8. O. attemptet, attentet Sb. aditus. 10. O. liberis. Sb. Torr. Wimpf. libere. 14. Cass. Thom. distentet. 15. Sb. Cass. Nec vi per s. animas ludificatas O. glorificatam. Hil. *venter mero aestuans de facili spumescit in libidinem et gravitas somni quae post crapulam venit facit ut incautiores simus et imbecilliores ad resistendum insidiis diaboli.* Addit Sb. versum quintum: Praesta beata Trinitas etc. depromptum ex hymno: Audi benigne conditor.

LXXVIII.

De passione Domini.

Hymnum dicamus domino,
Laudes Deo cum cantico,
Qui nos crucis patibulo
Suo redemit sanguine.

Die decursa ad vesperum,
Qua Christus morti traditur,
Ad coenam venit impius
Qui erat Christi proditor.

Iesus futura nuntiat
Coenantibus discipulis:
Unus ex discumbentibus
Ipse me traditurus est.

Iudas mercator pessimus
Osculo petit dominum,
Ille ut agnus innocens
Non negat Iudae osculum.

Denariorum numero
Christus Iudaeis traditur
Innocens et innoxius,
Quem Iudas tradit impius.

Praeses Pilatus proclamat:
Nullam culpam invenio;
Ablutis aqua manibus
Christum Iudaeis tradidit.

Fallaces Iudaei impii
Latronem petunt vivere,
Christum accusant graviter:
Crucifigatur, reus est.

Tunc Barabbas dimittitur,
Qui reus mortis fuerat:
Vita mundi suspenditur,
Per quam resurgunt mortui.

[Gloria tibi domine.
Gloria unigenito.
Una cum sancto spiritu
In sempiterna saecula. Amen.]

Habent Cod. W. 1. et Brev. Cs. (A Dominica passionis usque ad pascha praeter dominicam in ramis.) Thomasii Hymnarium ex Cod. Vat. 82. ex reliquis unus Ellingerus, qui carmen, ut solet, ad carminis leges revocavit itaque funditus mutavit. 5. W. 1. Cs. decurso. 6 W. 1. Cs. quo. — 13. sq. Multi sunt poetae Christiani in enarrando et detestando Iudae facinore horrendo, quo ut mercator pessimus dominum suum manibus impiorum tradiderit. Neque deest irae et odio ex tanta pravitate suscepta lamentatio, nec desideratur lenior animi affectus. Sic in vetustis hymnis Germanicis et exsecrantur et miserantur poetae proditorem. Conferas cantionem quae vocatur „Das Iudaslied“ (Hoffmann Gesch. d. K. S. 140.)

O du armer Iudas, was hastu getan,
dafs du unsern herrn also verraten hast?
des mustu in der helle
immer leiden pein,
Lucifers geselle
mustu ewig sein.

29. W. 1. Cs. et. 32. W. 1, quem. Caeterum vix est quod moneamus, hymnum supra positum fere totum ex ipsis scripturae sacrae dictis esse compositum.

LXXIX.

Hymnus paschalis.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Aurora lucis rutilat,	Aurora coelum purpurat,
Coelum laudibus intonat,	Aether resultat laudibus,
Mundus exultans iubilat,	Mundus triumphans iubilat,
Gemens infernus ululat,	Horrens avernus intremit.
Cum rex ille fortissimus	Rex ille dum fortissimus
Mortis confractis viribus,	De mortis inferno specu
Pede conculcans tartara	Patrum senatum liberum
Solvit a poena miseros.	Educit ad vitae iubar.
Ille qui clausus lapide	Cuius sepulcrum plurimo
Custoditur sub milite,	Custode signabat lapis,
Triumphans pompa nobili	Victor triumphat et suo
Victor surgit de funere.	Mortem sepulcro funerat.
Solutis iam gemitibus	Sat funeri, sat lacrimae
Et inferni doloribus	Sat est datum doloribus:
Quia surrexit dominis	Surrexit exstinctor necis,
Resplendens clamat angelus.	Clamat coruscans angelus.
Tristes erant apostoli	Tristes erant apostoli
De nece sui domini,	De Christi acerbo funere,
Quem poena mortis crudeli	Quem morte crudelissima
Servi damnarant impii.	Servi necarant impii.
Sermone blando angelus	Sermone verax angelus
Praedixit mulieribus:	Mulieribus praedixerat:
In Galilaea dominus	Mox ore Christus gaudium
Videndus est quantocyus.	Gregi feret fidelium.
Illae dum pergunt concite	Ad anxios apostolos
Apostolis hoc dicere,	Currunt statim dum nuntiae,
Videntes eum vivere	Illae micantis obvia
Osculantur pedes domini.	Christi tenent vestigia.
Quo agnito discipuli	Galilaeae ad alta montium
In Galilaeam propere	Se conferunt apostoli
Pergunt, videre faciem	Iesuque voti compotes
Desideratam domini.	Almo beantur lumine.

Claro paschali gaudio
Sol mundo nitet radio,
Cum Christum iam apostoli
Visu cernunt corporeo.

Ostensa sibi vulnera
In Christi carne fulgida
Resurrexisse dominum
Voce fatentur publica.

Rex Christe clementissime,
Tu corda nostra posside,
Ut tibi laudes debitas
Reddamus omni tempore.

Paschale mundo gaudium
Sol nuntiat formosior,
Cum luce fulgentem nova
Iesum vident apostoli.

In carne Christi vulnera
Micare tanquam sidera
Mirantur et quidquid vident
Testes fideles praedicant.

Rex Ghriste clementissime
Tu corda nostra posside,
Ut lingua grates debitas
Vitae renatos libera.

Passim in breviariis vetustis sed plerumque mutilus. Nonnulli habent strophas quinque (v. 1—20.) ut Sb. Beb. Omittit Hv. v. 29—40. Brev. Romanum ex antiquo more v. 1—16. cantandos decrevit tempore Paschali ad Laudes, reliqua de Communi apostolorum tempore paschali. Pius V. divisit Hymnum Tristes erant apostoli in duas partes, ita ut altera in Laudibus cantari queat cum varietate (Gavanti Thes. S. R. III. p. 555.) — 1. Beb. rutilans. 8. O. catena. 12. Ell. Fabr. resurgit f. Hv. surgit a funere. 14. Beb. ąc inferni. 16. Beb. Hv. splendens clamabat. O. splendens clamat. Fortasse secundum scripturam Matth. XXVII, 5. *respondens autem angelus dixit* — legendum est respondens. 20. O. Hv. sacvi. 21. Similiter in pervetusto cantico vernaculi sermonis

mit ſenften ſuezen worten
der engel zuo zin sprach:
lât iuwer vorcht under wegen
ir lieben frouwen zart,
Iesus der kuëne degen
der ist erstanden wart.

22. O. praedicit. Matth. XXVII, 7. ecce praedixi vobis. 25. Cass. Thom. Sb. Beb. Fabr. concitae. 28. O. osculant. 30. O. Galilaea. 37. Clicht.: al. ostensis vulneribus cf. in cantico: Pone luctum Magdalena verba: quinque plagas inspice: fulgent en ut margaritae, ornamenta novae vitae. Hil. *Quatuor de causis cicatrices vulnerum ostendit dominus, ut essent signum victoriae ut deinceps de resurrectione non dubitarent aut ut esset ad patrem intercessio.*

LXXX.

Hymnus (paschalis) matutinus.

Libr. vet.	Brev. Rom.
O rex aeterne domine,	Rex sempiterne coelitum
Rerum creator omnium,	Rerum creator omnium,
Qui eras ante saecula	Aequalis ante saecula
Semper cum patre filius.	Semper parenti filius.
Qui mundi in primordio	Nascente mundi qui faber
Adam plasmasti hominem,	Imaginem vultus tui
Cui tuae imagini	Tradens Adamo nobilem
Vultum dedisti similem.	Limo ingasti spiritum.
Quem diabolus deceperat	Cum livor et fraus daemonis
Hostis humani generis,	Foedasset humanum genus,
Cuius tu formam corporis	Tu carne amictus perditam
Assumere dignatus es.	Formam reformes artifex.
Ut hominem redimeres	
Quem ante iam plasmaveras,	
Et nos Deo coniungeres	
Per carnis contubernium.	
Quem editum ex virgine	Qui natus olim ex virgine
Pavescit omnis anima,	Nunc e sepulcro nasceris,
Per quem et nos resurgere	Tecumque nos a mortuis
Devota mente credimus.	Iubes sepultos surgere.
Qui nobis per baptismata	Qui pastor aeternus gregem
Donasti indulgentiam,	Aqua lavas baptismatis,
Qui tenebamur vinculis	Haec est lavacrum mentium
Ligati conscientiae.	Haec est sepulcrum crimi-
	num.
Qui crucem propter hominem	Nobis diu qui debitae
Suscipere dignatus es,	Redemptor affixus cruci,
Dedisti tuum sanguinem	Nostrae dedisti prodigus
Nostrae salutis pretium.	Pretium salutis sanguinem.
Nam velum templi scissum est	
Et omnis terra tremuit	
Tunc multos dormientium	
Resuscitasti domine.	
Tu hostis antiqui vires	
Per crucem mortis conteris,	

Qua nos signati frontibus
Vexillum fidei ferimus.

Tu illum a nobis semper
Repellere dignaveris,
Ne unquam possit laedere
Redemptos tuo sanguine.

Qui propter nos ad inferos
Descendere dignatus es
Ut mortis debitoribus
Vitae donares munera.

Tibi nocturno tempore
Hymnum deflentes canimus,
Ignosce nobis domine,
Ignosce confitentibus.

Quia tu ipse testis et iudex,
Quem nemo potest fallere,
Secreta conscientiae
Nostrae videns vestigia.

Tu nostrorum pectorum
Solus investigator es,
Tu vulnerum latentium
Bonus assistens medicus.

Tu es qui certo tempore
Daturus finem saeculi,
Tu cunctorum meritis
Iustus remunerator es.

Te ergo sancte quaesumus
Ut nostra cures vulnera
Qui es cum patre filius
Semper cum sancto spiritu.

Cass.: *Hic hymnus in vulgaribus nunc hymnorum libellis non reperitur, neque illius in mentem mihi venisset, nisi a Beda libro primo de re metrica admonito. Ad eum autem quaerendum incitatus sum verbis eiusdem Bedae qui eum mirifice commendat. Nam titulo de Rhythmo „Plerumque, inquit, casu quodam invenies etiam rationem in rhythmo, non artificis modo ratione servata sed sono et ipsa modulatione ducente. Quomodo instar iambici metri pulcherrime factus est hymnus ille praeclarus: Rex aeterne Domine.“ Hac itaque commendatione inductus in obsoleto quodam libro annos ante* 56 *impresso (*ut vero simillimum est in Hymnario Coloniensi) *repertum inserendum hoc loco duxi.* Sed ex his recte colligitur solum Germa-

niae atque Angliae libros Cassandro ad manus fuisse, cum in Italorum libris hymnus haud raro reperiatur. Vezzosi apud Thomasium eundem hymnum esse suspicatur, qui ab Aureliano episcopo in regula sua citatur. Si rationem habueris versuum, quas I. Grimmius primus ex cod. O. protulit, poetam festum paschatis celebrasse vix ac ne vix quidem putabis. Spectant omnia ad Matutinum neque ab hoc officio aliena redemptionis per Iesum Christum peractae accuratior enarratio. Tamen hoc damus, iam apud veteres octo strophas carminis primas paschalem effecisse hymnum: de qua re, ne dicam de inscriptionibus, nihil admodum superest dubitationis propter doxologias paschales, carmini annexas. Brev. Romanum ut hodie est, electis strophe prima, secunda, tertia, sexta, septima, octava composuit carmen paschale, recitandum Dominica in Albis ad Matutinum et toto tempore paschali usque ad Ascensionem. — 1. Fabr. o rex, reliqui om. interiectionem. Si insolitae erga Fabricium observantiae requiris causam, metrum carminis tibi in mentem venit. Neque id opponas, me metricas legas apud poetas christianos alias saepissime neglectas conquestum esse. Probatur enim Bedae testimonio, hunc hymnum „*instar iambici metri pulcherrime factum esse.*“ Accedit altera causa, quod librarii ad scribendi licentiam adeo liberi fuerunt, ut commatum initiis interdum vel litteras otiose appingerent vel etiam demerent. Stat a nostra sententia Santen ad Terent. p. 186: *malim cum Hieronymo van Alphen interiectionem addere o rex, accentu rectius servato acatalectos constituens.* Quod in superioribus notavit dimetros catalecticos effici, legendo „omnium, saecula, filius“ duabus syllabis, in nostro carmine minime valet, procul dubio acatalectico. 3. O. qui es ante saec. Cass. Hil. es et. 15. O. om. et. 21. Fabr. quique nobis. Thom. per baptismata, reliqui per baptismum. 39—64. solus cod. O. continet. 29—32. Matth. XXVI, 51—53. *et velum templi scissum est ... et terra mota est .. et multa corpora sanctorum qui dormierant resurrexerunt.* 45 sqq. Fortasse hic incipit hymnus proprius ad Nocturnum. 49. Grimmius vult legi: quia tu ipse iudex es, quamquam interpres theotiscus haec habet thanta du selbo urchundo inti suanari pist: voluit V. D. metro medelam afferre. Quae tamen verbis poetae integris minime opus est. Nam quia saepissime apud poëtas serioris aetatis est monosyllabum cf. Barth. ad Coripp. de laud. Iust. II, 109. 53. Interpres: thu unserero prastio, sed pro pectorum poeta scripsisse videtur peccatorum, ut existat versus satis salebrosus, tamen octo syllabis compositus cf. 21, 47. 59. fortasse: tunc et.

LXXXI.

Hymnus paschalis.

Libr. vet.	Brev Rom.
Ad coenam agni providi	Ad regias agni dapes
Et stolis albis candidi,	Stolis amicti candidis
Post transitum maris rubri	Post transitum maris rubri
Christo canamus principi.	Christo canamus principi.
Cuius corpus sanctissimum	Divina cuius caritas
In ara crucis torridum,	Sacrum propinat sanguinem,
Cruore eius roseo	Almique membra corporis
Gustando vivimus Deo.	Amor sacerdos immolat.
Protecti paschae vespere	Sparsum cruorem postibus
A devastante angelo,	Vastator horret angelus,
Erepti de durissimo	Fugitque divisum mare,
Pharaonis imperio.	Merguntur hostes fluctibus.
Iam pascha nostrum Christus est,	Iam pascha nostrum Christus est
Qui immolatus agnus est,	Paschalis idem victima,
Sinceritatis azyma	Et pura puris mentibus
Caro eius oblata est.	Sinceritatis azyma.
O vere digna hostia,	O vera coeli victima,
Per quam fracta sunt tartara,	Subiecta cui sunt tartara,
Redempta plebs captivata,	Soluta mortis vincula,
Reddita vitae praemia.	Recepta vitae praemia.
Cum surgit Christus tumulo,	Victor subactis inferis
Victor redit de barathro,	Tropaea Christus explicat
Tyrannum trudens vinculo	Coeloque aperte subditum
Et reserans paradisum.	Regem tenebrarum trahit.
Quaesumus auctor omnium	Ut sis perenne mentibus
In hoc paschali gaudio:	Paschale Iesu gaudium,
Ab omni mortis impetu	A morte dira criminum
Tuum defende populum.	Vitae renatos libera.

Fere ubique in Breviariis tempore paschali. Idem praecipit Brev. Rom. (ad Vesperas usque ad Vigiliam Ascensionis) quod tamen non solum vetustatis rubiginem ex more detersit sed in hoc carmine rerum novarum, opinor, nimis fuit

studiosam. Hilarius: *Materia huius hymni est, quod nos invocat auctor ad coenam agni illius qui tollit peccata mundi, scilicet ad accipiendum corpus et sanguinem domini, de quo dictum est: qui sumit corpus Christi indigne iudicium sibi manducat et bibit, qui vero digne, habet vitam aeternam: — nos vero positi ad coenam agni providi.* Quae cum a vero haud longe abesse videantur, ego audacius quid proferam, hymnum: Ad coenam agni in antiqua ecclesia cantari solitum esse, dum catechumeni baptizati corpore et sanguine Domini rite munirentur. Omnia sane optime coenae sacrae conveniunt neque id praetermittas, ab aliis poetis hanc sententiam disertius esse expressam. Ut in cantico paschali sc. XIV. apud Hoffmann p. 69.

Ir sult iuch mit dem osterlemblin spisen
und nemt sin heilic fleisch und blut.
o Sâthanas, dû schiuzlicher scherge
Christus gezâmet hât din erge,
dô dir din nacht roup grôzen nam.
Dia nacht erschein dem künig Pharaônen,
do în verslant daz rôte mer etc.

— 1. Apoc. XIX, 9. Beati qui ad coenam nuptiarum agni vocati sunt. 2. O. stolis in albis Fabr. stol. et albis. Candida veste induebantur baptizati omnes. Hinc Paulinus Ep. XII. ad Sever. *inde parens sacro ducit de fonte sacerdos Infantes niveas, corpore, corde, habitu.* 3. Baptismi typus fuit transitus Israelitarum per mare rubrum I. Cor. X, 1 sqq. Arator Hist. Ap. II. 81 sq. Avitus l. v. (de transitu maris rubri) Sedul. op. pasch. I, 120. Ceterum Pharao rex saepissime typice refertur ad diabolum ut in ipso carmine II. 12. Addas. insignem locum ex cantico paschali iam supra allato. 5. O. sacrum corpusculum. 5. Ô. Corn. *assatum et arefactum in cruce igne irae Dei, ut ipse ait: aruit sicut testa virtus mea.* Accedit quod comparatur cum agno paschali assato. Quae imago, a Brev. Rom. in textu correcto non recepta, quam sit inepta et potius fastidium quam devotionem movens, nemo non nobis concedet. Tamen mire in ipsa acquieverunt poetae nostrae ecclesiae v. c. Lutherus (Christ lag in Todesbanden) *Hie ist das rechte Osterlamm, Davon Gott hat geboten, Das ist an des Kreuzes Stamm In heisser Lieb' gebroten.* 7. Loss. resido. 9. O. vesperum. 13 sq. I. Cor. V, 78. *pascha nostrum immolatus est Christus: epulemur in azymis sinceritatis.* 17. Cass.: al. o vera et digna. 20. A nobis stant O. E. W. 2. Md. Pd. Thom.: reliqui redit ad. Sed continet ex mea sententia versus tria asyndeta, quae procedunt a minori ad maius. Non solum fracta sunt tartara, sed etiam plebs in vincula coniecta liberatur, accedit tertium: red-

dantur ipsi vitae beatae dona. Locus est palmaris de descensu glorioso ad inferos. 21. Cass. Lg. Cs. Thom. Bch. Torr. consurgit. Fr. dum surgit. 22. O. per epexegesin tartaro. 23. O. tradens Fabr. tyranni tr. v. Lud. al. tyrannum trahens vinculo. Cf. iubilum paschalem Also heilig ist der Tag „*der die Hölle überwandt und den leidigen Teufel darinne band.*“ 25—28. om. Fabr. Ut clausula annectitur stropha plurimis hymnis paschalibus. 28. O. Md. defendas.

LXXXII.

De S. Stephano.

Cassander Bebelius, Clichtovaeus.

Liber S. Benedicti.

Stephani corona martyris,
Quod nomen eius iudicat,
Christi decoram gloriam
Gratis canamus laudibus.

Stephano primo martyri
Cantemus canticum novum,
Quod dulce sit psallentibus,
Opem ferat credentibus.

Hic primus almo sanguine
Christi secutus gloriam,
Viam salutis caeteris
Amore mortis praebuit.

Hic enim per apostolos
Probatus in laude Dei,
Vexilla mortis rapuit
Ut praeferretur omnibus.

O praeferenda gloria,
O beata victoria,
Hoc meruisse Stephanum
Ut sequeretur dominum.

Hic levatis oculis
Vidit patrem cum filio,

Stephano primo martyri
Cantemus canticum novum,
Quod dulce sit psallentibus,
Opem ferat credentibus.

Hic primus almo sanguine
Christi secutus gloriam
Viam salutis aeternam
Contemptu mortis praebuit.

Hic cum supremis vocibus
Verbum salutis ederet,
Iudaea claram caecitas
Viam veritatis repulit.

Sed ille coelum intuens
Vidit paratam gloriam,
Nostrisque praestans saeculis
Sublimem usum prodidit

Invadit ergo perfida
Plebes docentem martyrem,

Monstrans in coelis vivere
Quem plebs quaerebat perdere

Et nuper agni sanguine
Manus cruentas exerit (erigit).

Judaei magis saeviunt
Saxaque prensant manibus,
Currebant ut occiderent
Verendum Christi militem.

At ille Christo protians
Tradit beatum spiritum,
Pro persequentium crimine
Precem secundam dirigit:

Deus creator omnium,
Dimitte caecis hoc malum,
Et hoc nefas, quod aspicis,
Indulge meis precibus.

Praesta pater per filium,
Praesta per almum spiritum,
Cum his per aevum triplici
Unus Deus cognomine.

At ille Christo protians
Tradens beatum spiritum
Pro persequentium crimine
Precem secundam dirigit:

Deus creator omnium,
Dimitte caecis hoc malum
Et hoc nefas, quod aspicis
Indulge meis precibus.

Praesta pater per filium,
Praesta per almum spiritum,
Cum his per aevum triplici
Unus Deus cognomine.

In Breviariis non repperi hymnum, (excepto Cs.) quamquam ad investigandum magnam diligentiam adhibui. Illud enim permirum accidit apud tres auctores diverso modo esse pronuntiatum: praeter nos enim quos novimus, Cassandrum, (Bebelium et Clichtovaeum) et librum S. Benedicti, Thomasius ita carmen exhibet: 1—4. cons. cum Cass. 5—8. Psallamus hoc discipuli, Laudem dicamus martyri, Qui primus post redemptorem, Christi secutus est crucem. 9—16. ut apud Cass. 17—20. Ipse martyr egregius, Amore Christi praedicans, Sancto repletur spiritu, Viretum gerens angelicum. 21—28. ut apud Cass. 17—24. 29—32. Iste paratus vertice, Gaudens suscepit lapides, Rogans pro eis dominum Gaudens tradidit spiritum. Versus Cassandri 25—36. desiderantur. Quo in librorum dissidio ea mihi perplacuit opinio duas de S. Stephano cantilenas a librariis confusas esse atque permixtas: nam alias quoque haec est hymnographorum consuetudo, ut sententiarum verborumque similitudine pellecti, diversa poetarum carmina commisceant. Primum hymnum ita constituere velim: I, Stephano primo martyri. II, Psalla-

mus hoc discipuli. III, Hic enim per apostolos. IV, O praeferenda gloria. V, Ipse martyr egregius. VI, Illic levatis oculis. VII, Iudaei magis saeviunt. VIII, Iste paratus vertice. Hymnus secundus: I, Stephani corona martyris. II, Hic primus almo sanguine. III, Hic cum supremis vocibus. IV, Sed ille coelum intuens. V, Invadit ergo perfida. VI, At ille Christo protinus. VII, Deus creator omnium. VIII, Praesta pater per filium. Nos recte vidisse, testis est Cs. primum carmen exhibens et Ellingerus, qui libro secundo hymnum, quem primum posui, mutatis tamen, ut solet, verbis exprimit. 1, Te protomartyr unice canam. 2, Psallamus hoc frater die. 3, Apostolis hanc gloriam. 4, O praeferenda gloria. 5, Tu martyr inclytus pio. 6, Levans ocellos cum patre. 7, Tum saevit ardens concio. 8, Paratus ille verticem.

Hymnus primus.

3. Cass. Beb. quam dulcis est. 9. 10. Act. VI, 6. *Hos statuerunt ante conspectum apostolorum et orantes imposuerunt eis manus.* 11. S. Stephanus est martyrum antesignanus, qui candidato martyrum exercitui vexilla praefert. Similiter in hymno: Sancte Dei pretiose: *Tu coelestis primitivus signifer militiae.* 16. sequebatur tanquam primus martyr. 20. Act. VI, 15. *Et intuentes eum omnes viderunt faciem eius tanquam faciem angeli.* 21—24. Act. VII, 55. 24. Cass. gaudebat. 26. Beb. pressant. 27. Cass. coniurant.

Hymnus secundus.

8. Cass.: amore mortis, Lib. S. Benedicti in quo Cassander carmen indagavit, contemptum. 13. Cass. at ille coelum intuens. 22. Cass. tradit. 23. Clicht. propter metrum persequentum. 24. Cass. preces sec. 30. Cass. indulge.

LXXXIII.

De S. Ioanne Apostolo.

Amore Christi nobilis
Et filius tonitrui,
Arcana Ioannes Dei
Fatu revelavit sacro.

Captis solebat piscibus
Patris senectam pascere,
Turbante dum natat salo
Immobili fide stetit.

Hamum profundo merserat,
Piscatus est verbum Dei,
Iactavit undis retia,
Vitam levavit omnium.

Piscis bonus pia est fides,
Mundi supernatans salum,
Subnixa Christi pectore
Sancto locuta spiritu.

„In principio erat verbum
Et verbum erat apud Deum,
Et Deus erat verbum,
Hoc erat in principio apud
Deum.

Omnia per ipsum facta sunt"
Sed ipse laude resonet
Et laureatus spiritu
Scriptis coronetur suis.

Comune multis passio,
Cruorque delictum lavans:
Hoc morte praestat martyrum
Quod fecit esse martyres.

Vinctus tamen ab impiis
Calente olivo dicitur
Tersisse mundi pulverem,
Stetisse victor aemuli.

Gloria tibi domine etc.

Exstat carmen apud Thomasium, Cassandrum, Ellingerum lib. III. (in quo fere nihil in hymnis mutavit) et in Brev. Cs. — 2. Marc. III, 17. Boanerges quod est filii tonitrui. 12. Thom. hominum. sed Vat. 82. omnium. 14. Cass. Ell. salo. 16. Vat. 82. locata. 17—22. Ne offensioni tibi sit versus male tornatus, agnosce ipsissima verba scripturae sacrae Ioann. I, 1—3. Saepissime Ambrosianis sancti spiritus eloquia immutata atque integra inseruntur. 28. Evangelio suo et apostolica doctrina. 29—32. Brev. Romanum in Officio S. Ioannis ante portam latinam mira brevitate haec refert: *Refert Tertullianus, quod Romae missus in ferventis olei dolium purior et vegetior exiverit quam intraverit.* Ne tamen paullo obscurior remaneat locus ex aliorum testimonio S. Ioannis aemulum intellige Cratonem philosophum. Ita enim Fr.: *C. philosophus in foro proposuerat de contemptu huius mundi spectaculum, ut duos iuvenes fratres ditissimos, quos fecerat distracto patrimonio gemmas emere singulas, quas in conspectu omnium frangerent populo. Quod, cum facerent pueri contigit ut inde transitum haberet s. apostolus. Et convocans ad se C. ait: Stultus est iste mundi contemptus, qui hominum ore laudatur et divino iudicio condemnatur. Cum aliquantulum litigassent Crato Fac, inquit, gemmas redintegrari ut quod ego feci ad famam hominum tu facias ad gloriam eius fieri, quem tuum magistrum esse commemoras. Tunc b. Ioannes colligens fragmenta gemmarum et ponens in manu sua elevavit oculos ad coelum et dixit.* — — Sequitur oratio, a Deo exandita. Coaluerunt enim gemmarum fragmenta.

LXXXIV.

De S. Agnete.

Agnis beatae virginis
Natalis est, quo spiritum
Coelo refudit debitum
Pio sacrata sanguine.

Matura martyrio fuit,
Matura nondum nuptiis,
Nutabat in viris fides
Cedebat et fessus senex.

Metu parentes territi,

Claustrum pudoris auxerant,
Solvit fores custodiae
Fides teneri nescia.

Prodire quis nuptum putet
Sic laeta vultu ducitur,
Novas vero ferens opes
Dotata censu sanguinis.

Aras nefandi numinis
Adolere taedis cogitur:
Respondet: Haud tales faces
Sumpsere Christi virgines.

Hic ignis exstinguit fidem,
Haec flamma lumen eripit,
Hic, hic ferite, ut profluo
Cruore restinguam faces.

Percussam quam pompam tulit,

Nam veste se totam tegit,
Curam pudoris praestitit
Ne quis retectam cerneret.

In morte vivebat pudor:
Vultumque texerat manu,
Terram genuflexo petit
Lapsu verecundo cadens.

Gloria tibi domine etc.

Antiquo cultu splendet in ecclesia S. Agnes, Virgo et Martyr. Tenet locum in canone, officium in Sacr. Gregorii proprium cum praefatione propria, ex decreti Pii V. cultum duplicem, psalmos de communi virorum sanctorum martyrum. Accedit singularis honos, quod octavo die celebratur ritu simplici Agnetis secundo, ob apparitionem Agnetis parentibus factam et Constantiae. Nam Octavam illud festum appellari vetant Rubricistae, et recte, cum diebus usque ad 28. diem Ianuarii, nulla fiat S. Agnetis mentio. Tamen in permultis vetustis breviariis ponitur octava Agnetis. Noster de S. Martyre hymnus exstat in Brev. Cs. apud Thomasium et Ellingerum. — 1. Patres gignendi casum vocis Agnes duplici ratione fingunt, Agnes, Agnetis, Agnis, Agnae ut ab Agatha, Agathe et Agathae. Vide quae annotarunt PP. S. Mauri passim ad Gregorii Sacrament. 5. 6. Tredecim erat annorum. Cf. Ambr. de Virg. I, 2: *nondum idonea poenae et iam matura victoriae,* 13. 14. Idem: *Non sic ad thalamum nupta properaret ut ad supplicii locum laeto successu virgo*

pervenit. 13. Vat. 82. Ell. Thom. **nuptam.** 25. Vat. 82. **pompa.** Ita legitur in Legenda S. Agnetis: *Iussit praefectus eam exspoliari et nudam duci ad lupanar. Tantum autem densitatem capillis eius dominus contulit, ut melius capillis quam vestibus tegeretur.* Cs. **percussa.** 26. Cs. **tegens.**

LXXXV.

De S. Agatha.

Agathae sacrae virginis
Diem festum colimus,
In quo devicto tyranno
Palmam subit martyrii.

Quintianus tyrannus,
Consularis Siciliae,
Audiens famam virginis
Fremere coepit invidus.

Vitiorum affectibus
Mentem vexabat invidam,
Ut Deo dicatam virginem
Rabido ore perimeret.

Statim adsunt miseri
Eius qui vellent pandere
Religionem sanctissimam,
Quam tenet ab infantia.

Sisti iubet martyrem
Suis tribunalibus
Et eam sic alloquitur,
Ut dis cervicem flecteret.

Sed dum nil valet insania
In mamma torquet virginem,
Et testas acutissimas
Igni succensas adhibet.

Cuius medendis artubus
Sanctus adest apostolus,
Qui verbo curat vulnera
Quae tyrannus inflixerat.

Dehinc ad sepulcrum veniens
Iuvenis splendidissimus,
Mentem sanctam praedicat
Patriae salutem plurimam.

Brev. Cs. Thomasius e Cod. Vat. 82. et Ellingerus libro secundo, in quo omnes hymnos ad carminis leges exegisse scimus. Ceterum vides fere omnibus versibus lucem allatam esse adnotationibus hymno IX. adspersis. — 22. Vat. 82. **mammam.** 31. Id. **praedicans** 29—32. Fr.: *Posuerunt Christiani corpus in sepulcro novo. Cumque collocaretur venit quidam iuvenis sericis vestibus indutus, quem sequebantur amplius quam centum pueri albati et pulchri. Et introivit ad locum ubi condiebatur et posuit ibi tabulam brevem marmoream, ubi scriptum est: „Mentem sanctam spontaneam, honorem Deo et patriae libationem.“ Et tam diu ibi stetit iuvenis donec sepulcrum eius cum diligentia clauderetur. Et abscedens ulterius non visus est in tota provincia Siculorum, unde non est dubium quin angelus Dei fuerit.*

LXXXVI.

Hymnus Quadragesimalis.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Ex more docti mystico	Ex more docti mystico
Servemus hoc ieiunium,	Servemus hoc iemnium,
Deno dierum circulo	Deno dierum circulo
Ducto quater notissimo.	Ducto quater notissimo.
Lex et prophetae primitus	Lex et prophetae primitus
Hoc protulerunt, postmodum	Hoc praetulerunt, postmodum
Christus sacravit, omnium	Christus sacravit, omnium
Rex atque factor temporum.	Rex atque factor temporum.
Utamur ergo parcius	Utamur ergo parcius
Verbis, cibis et potibus,	Verbis, cibis et potibus
Somno, iocis et arctius	Somno, iocis et arctius
Perstemus in custodia.	Perstemus in custodia.
Vitemus autem pessima,	Vitemus autem noxia,
Quae subruunt mentes vagas;	Quae subruunt mentes vagas;
Nullumque demus callido	Nullumque demus callidi
Hosti locum tyrannidis.	Hostis locum tyrannidi.
Dicamus omnes cernui	Flectamus iram vindicem,
Clamemus atque singuli,	Ploremus ante iudicem
Ploremus ante iudicem,	Clamemus ore supplici,
Flectamus iram vindicem.	Dicamus omnes cernui.
Nostris malis offendimus	Nostris malis offendimus
Tuam, Deus, clementiam,	Tuam, Deus, clementiam
Effunde nobis desuper	Effundé nobis desuper
Remissor indulgentiam.	Remissor indulgentiam.
Memento quod sumus tui	Memento quod sumus tui
Licet caduci plasmatis,	Licet caduci plasmatis,
Ne des honorem nominis	Ne des honorem nominis
Tui, precamur, alteri.	Tui, precamur, alteri.
Laxa malum, quod gessimus,	Laxa malum, quod fecimus,
Auge bonum quod poscimus,	Auge bonum quod poscimus
Placere quo tandem tibi	Placere quo tandem tibi
Possimus hic et perpetim.	Possimus hic et perpetim.

[Praesta beata Trinitas,
Concede simplex unitas,
Ut fructuosa sint tuis
Ieiuniorum munera.]

Plurimae ecclesiae canebant hunc hymnum tempore Quadragesimali (usque ad Dominicam Passionis) ad Nocturnum, idque fit etiam hodie in Romana ecclesia. In quibusdam dioecesibus (ut in Halberstadensi, Magdeburgensi, al.) duabus tantum septimanis in Quadragesima in psallentium ore versabatur. — 3. 4. Periphrasis quadragesimalis ieiunii ecclesiae. 4. H. Hil. novissimo. 6. Fabr. pertulerunt Hil. Aug. praetulerunt. 5—8. Corn.: *Laudat hoc ieiunium ab autorum praestantia: facit Mosen, Eliam prophetam et Christum eius auctores; tot enim ipsi dies ieiunaverunt. Exod.* 24. 3. *Reg.* 19. *Matth.* 4. 11. Lud. in margine et arctius. 12. H. praestemus. 14. Hil. Wimpf. quaeque. 16. Thom. Aug. et Brev. Minorum praeter callidi hostis — tyrannidi. 20. Lips. flectemus. 21. Wimpf. Deus tuam. 25. Ps. CXIII, 1. 29. Thom. Aug. omnia Brev. Minor quod fecimus. 32. Lips. possumus Gron. nunc et perpetim. 33—36. in permultis libris desiderantur.

LXXXVII.

In Natali S. Ambrosii.

Miraculum laudabile
Canite omnes populi,
Quod datum est ecclesiae
Fluctuanti in saeculo.

Ambrosium vatem magnum,
Praedestinatum a Deo,
Tempore quo diabolus
Foedaverat templa Dei.

Christus qui nunquam deserit
Quos suo redemit sanguine,
Direxit virum inclytum
Ut Arium destrueret.

Infulas dum gerit saeculi
Acquisivit paradisi,
Ius dum portat gladii
Suscepit Evangelii.

Mysterium incognitum,
Altissimus quod noverat,
Nondum ablutus lavacro
Pontifex eligitur.

Ingressus est ecclesiam
Plebem sedare turbidam,
Cunctorum ora conclamant
Ambrosium Episcopum.

Arii tunc perfidia
Purgatur de ecclesia,
Cuncta concrepant agmina,
Nec desunt Christi munera.

Nox tetra cedat lumini,
Confundantur haeretici,
Adest piissimus,
Qui purget mentes infidas.

Virtus ex alto data est
Ambrosio in baptismate.
Nam statim ut renatus est
Coepit fugare daemones.

Suscepit is ecclesiam
Gubernavit intrepidus,
Confessor esse meruit,
Dum Arianis non cedit.

Gloria tibi Domine etc.

Repperit Thomasius carmen in Cod. Vat. 82, Muratorius (Anecd. Tom. I. p. 170.) codici S. Paulini adscriptum. — 25. Vat. 82. om. tunc. 34. Id. baptismo. 35. Id. om. statim. 37. Id. om. is.

LXXXVIII.

In Natali S. Georgii Martyris.

Gesta sanctorum martyrum
Meminisse iucundum est,
Et in eorum laudibus
Deo canere gloriam.

Georgius Christi miles
Ortus est Cappadociae,
Qui vana mundi respuens
Mercatus est caelestia.

Pecuniam quam tulerat
Propter honorem fragilem,
Fide repletus domini
Stipem dedit pauperibus.

Tum compulsus a principe
Saxis vota persolvere,
Quos ille per fidem Christi
In profundum mersit abyssi.

Ira accensus Tyrannus
Poenas invexit martyri,
Flagella saeva, carceres,
Seras sive sartagines.

Quos ille non tremuit,
Confortatus a domino.
Sed et magis in populo
Fructus divinos intulit.

Reginam Alexandriam
Vocavit ad martyrium,
Contempsit mundi thesauros,
Dei coronam meruit.

Bis denis annis et uno
Triumphat mundi principem
Cervice caesa gladio
Migravit ad caelestia.

Ut Graecos omittam, qui sanctum Georgium proprio *μεγαλομάρτυρος* nomine insignitum prae ceteris colunt, vel ex celebratissimo illo germanicae gentis cantico: Georio fuer

ze male mit michilelmo herige etc. (Hoffmann Fundgruben u. sw. I. p. 10.) satis apparet, etiam occidentalem Europam S. Georgium ab initio summo honore tam dignum censuisse quam quem censuerit dignissimum. Atque hymnum illum (qui apud unum Thomasium invenitur) latinorum fortasse antiquissimum esse de S. Georgio, non dubitamus profiteri, quum aliis de causis tum quia hymnus magna et quae ab noto illo cum dracone certamine prorsus abhorreat simplicitate s. Georgii vitam explicat. Omninoque aut incuriae aut iniquitatis crimen subibit si quis mirabilem illam cautionem, qua Italorum saeculi XV. breviariorum plurima in enarrandis s. Georgii factis et fatis utuntur vel praetermiserit vel ea certe qua par est laude non ornaverit. Ita enim paene in omnibus scriptum legimus: *In Perside civitate Diospoli passio S. Georgii M., cuius gesta passionis et si inter apocryphas connumerentur scripturas, tamen illustrissimum eius martyrium inter coronas martyrum ecclesia Dei venerabiliter honorat.* Quid quod Breviarium quo hodie utuntur Romanum, quum Germana et Anglica vetusta in referendis S. Georgii miraculis veritatis fines mirum in modum egrediantur, his de rebus ne tantillum quidem exhibeat *). 9—12. Msb. *Georgius, factus tribunus, militiam suam bene regebat. Videns autem quod Christum nemo nominabat, dedit omnem substantiam suam pauperibus et ad martyrium se praeparabat.* 13. Nomen eius in legenda Dacianus. 15. 16. Pelbartus in serm. de S. Georgio I. *Flexis genibus Christum oravit G. statimque ignis de coelo descendit et templum cum aliis et sacerdotibus concremavit. Terraque se aperiens omnes eorum reliquias deglutivit.* 20. Pelb. l. l. *Iussit eum poni in sartaginem plumbo liquefacto, qui signo crucis edito, virtute Dei cepit in ea quasi in balneo refoveri.* 19. Fortunatus (Fabr. p. 713.) de S. Georgio: *Carcere, caede, fame, vinclis, site, frigore, flammis Confessus Christum duxit ad astra caput.* 25. A. uxor Daciani credidit in Ch. et martyrio coronata est. 29. Thom. ternis, quod cum minime conveniat S. Georgio, mendose scriptum est a librario.

---

*) Iuvat omnino moderationem et (paene dixerim) sobrietatem breviarii Romani propriam agnoscere atque approbare: quae cum in eligendis rebus conspicua sit tum in eo cernitur, quod octavas, quae in breviariis dioecesanis ad taedium usque locum habebant, rarissime adhibet. Ne desit exemplum, in calendario Misnensis ecclesiae praeter Octavas Brev. Romani enumerantur haec: Dorothea, Ioannes a. p. latinam, Visitatio, Anna, Donatus, Wenceslaus, Hieronymus, Hedwigis, Martinus, Catharina, Andreas, Barbara.

LXXXIX.

De S. Ioanne Baptista.

Almi prophetae progenies pia
Clarus parente et nobilior patre,
Quem matris alvus, claudere nescia,
Ortus herilis prodidit indicem.

Cum virginalis regia gloriam
Summi tonantis nomine piguoris
Gestaret, aula nobilis intimo
Claustro pudoris fertilis integro,

Vox suscitavit missa puerperae
Fovitque vatis gaudia parvuli,
Matres prophetant munere piguorum,
Mutus locutus nomine filii est.

Scribendus hic est vocis ut augeat
Nostrae canores, duraque vincula
Dissolvat oris, larga propheticis
Verborum habenis litera nominis.

Vox namque verbi, vox sapientiae est,
Maior prophetis et minor angelis,
Qui praeparavit corda fidelium
Stravitque rectas institiae vias.

Assertor aequi non ope regia
Nec morte dura linquere tramitem
Veri coactus: Non licet, ait, tibi
Uxorem habere fratris adulteram.

Hinc ira regis saevaque funera
Saltationis munere vendita,
Mensas tyranni et virginis ebrius
Luxus replevit sanguine sobrio.

Haec vitricus dat dona vesanior
Quam si veneni pocula traderet,
Negare praestat quam dare vitricum,
Odisse praestat, plus nocet horum amor.

Sit Trinitati maxima gloria
Laus et potestas et sapientia,
Sit fortitudo ac magnificentia
Uni Deo per saecla perennia.

Carmen de S. Ioanne elgantissimum exhibet Brev. Cs.; ex Cod. Vat. 82. descripsit Thomasius. — 2. Parens Aaron, pater Zacharias. 3. claudere se. foetum. 5. Cs. regiam. 8. cf. H. 10, 10. claustra pudoris permanent. 15. Vat. 82. prophetici. 18. De angelis intellexit poeta locum Matth. XI, 11: *qui autem minor est in regno coelorum, maior est illo.* 23. 24. Matth. XIV, 4. *Non licet tibi habere eam.*

XC.

De SS. Petro et Paulo Apostolis.

Apostolorum passio
Diem sacravit saeculis,
Petri triumphum nobilem,
Pauli coronam praeferens.

Coniunxit aequalis viros
Cruor triumphalis necis,
Deum secutos praesulem
Christi coronavit fides.

Primus Petrus apostolus
Nec Paulus impar gratia,
Electionis vas sacrae
Petri adaequavit fidem.

Verso crucis vestigio
Simon honorem dans Deo
Suspensus ascendit, dati
Non immemor oraculi.

Praecinctus ut dictum est senex
Et elevatus ab altero
Quo nollet ivit, sed volens
Mortem subegit asperam.

Hinc Roma celsum verticem
Devotionis extulit,
Fundata tali sanguine
Et vate tanto nobilis.

Tantae per urbis ambitum
Stipata tendunt agmina,
Trinis celebratur viis
Festum sacrorum martyrum.

Prodire quis mundum putet
Concurrere plebem poli,
Electa gentium caput
Sedes magistri gentium.

Brev. Cs. Thomasius in Hymnario, Bebelius, Cassander, Ellingerus lib. III. 2. Cs. Beb. saeculi. 3. Thom. nostrum. 5. Thom. Cs. aequales. 7. Cass. secuti. Beb. Cs. praesules. 11. Locus Act. IX, 15. *vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus* effecit, ut a poetis atque in ecclesiasticis officiis Paulus sollemni quodam ritu appellaretur vas electionis. 12. Beb. fidei. Ell. illius ad. 16 sq. Io. XXI, 18. *cum autem senueris extendes manus tuas et alius te cinget et ducet quo tu non vis.* 19. Cass. ibat. 20. Cass. in margine: fort. subivit. 21. Cass. Romam cel-

sum vertice Beb. Sic Roma. 24. Cass. et vate tanti nominis. Beb. vate tanto nobili. 25. Cass. tanta per orbis amb. in marg.: legendum puto urbis. 26. Cass. mendose pendent. 27. Cass. *Legendum puto „binis“ ut alludat ad illud Prudentii „Aspice per bifidas plebs Romula finditur plateas lux in duobus fervet, una festis.“* 28. Cass. celebrantur festa. Ell. inclytorum. 29. Vat. 82. mundo.

XCI.

De S. Sixto.

Magni palmam certaminis
Invicta fides contulit;
Pro Christo dimicantibus.
De caelo datur calculus.

Sic fortis Xystus athleta,
Petri sequens martyrium,
Ornavit mox ecclesiam
Confessionis titulo.

Ortus Athenis et altus
Philosophorum studiis,
Mutavit artem artium
Praeceptor apostolicus.

Nam carnifex tyrannidis
Fremens ut leo rabiens
Advectans secum martyres
Abdon et Sennen perimit.

Dein ad Xystum properans,
Vincla, catenas, carcerem
Minatur, interneciem
Gladioli sententia.

Tunc pius ille pontifex
Accersiens Laurentium,
Levitae fidelissimo
Commendavit ecclesiam.

Uterque consecuti sunt
Agonis sui bravium
Ensis et craticulae
Coronam dedit passio.

[Iungamur ergo socii,
Hymnum gerentes domino,
Ut horum interventibus,
Nostra purgentur crimina.]

Gloria tibi domine.
Gloria unigenito etc.

Thomasius in Hymnario. — 6. quia cruci affixus est. 13. 14. Decius Caesar et Valerianus praefectus praetorio. 16. Ita Fr.: *Abdon et Sennen in Corduba civitate Persarum sibi praesentari iussit — — — post menses quatuor veniens Decius Romam adducens secum b. Abdon et Sennen catenis vinctos* etc. 28. Vat. 82. craticula. 29—32. Meo iudicio versus est spurius.

XCII.

De S. Laurentio.

Apostolorum supparem
Laurentium Archidiaconem,
Pari corona martyrum
Romana sacravit fides.

Xystum sequens hic martyrem,
Responsa vatis retulit:
Moerere fili desine,
Sequeris me post triduum.

Nec territus poenae metu
Heres futurus sanguinis,
Spectavit obtutu pio
Quod ipse mox persolveret.

Iam tunc in illo martyre
Egit triumphum martyris,
Successor aequus syngraphum
Vocis tenens et sanguinis.

Post triduum iussus tamen
Census sacratos prodere,
Spondet pie nec abnuit,
Addens dolum victoriae.

Spectaculum pulcherrimum:
Egena cogit agmina,
Inopesque monstrat praedicans:
Hi sunt opes ecclesiae.

Vere piorum perpetes
Inopes perfectae sunt opes,
Avarus illusus dolet
Flammas et ultrices parat.

Fugit perustus carnifex
Suisque cedit ignibus,
Versate me, martyr vocat,
Vorate, si coctum est, iubet.

Gloria tibi domine
Gloria Unigenito etc.

Hymnus, quo luculente enarratur S. Laurentii martyrium, legitur apud Thomasium in Hymnario et in Brev. Cs. 1. Suppar apostolus vocatur L. propter miram animi constantiam et dirum quod passus est, martyrium ideoque in ecclesia omnium martyrum, S. Stephano excepto, summos cepit honores. Inde vigilia, inde officium per totum proprium *), inde Octava

*) Non possum quin huius loci opportunitate sic abutar, ut notem foedissimum errorem Graeseri (Die katholische Liturgie etc. p. 282.) „Die im Commune Sanctorum stehenden Gebete und Messen sind zu allen Zeiten und für alle Heiligen passend, und es braucht nur statt des Namens im Breviergebet oder der Messe der Name des Heiligen eingeschoben zu werden, so dass dasselbe Formular heute eine missa de S. Laurentio, morgen de S. Anna etc. sein kann.“ Nemo potuit talia ψεύδη conscribillare, nisi qui Brev. Romanum quasi per transennam et ne per transennam quidem inspexerit.

missa peculiari insignis. Neque vero Italiae in colendo Laurentio cessit Germania. Multae ecclesiae sub eius patrocinio militabant, in plurimis de eo recitabantur suffragia, ingens templorum numerus ipsi erat dedicatus. (De Germania septentrionali vide Wiggert Histor. Wanderungen durch die Kirchen des Regbz. Magdeburg. Neue Mittheilungen etc. des Thür. Sächsischen Vereins 1837. IV. S. 119). Quin etiam post Lutheri tempora, cum sanctorum dies festi iam dudum iacerent obsoleti, S. Laurentius in plurimis protestantium ecclesiis recolebatur. Apud Ludecum invenies liturgiam in festo S. Laurentii canendam atque adeo in bibliis nostris pericopas Martyri nostro aptissime descriptas. — 7. 8. cf. 90, 21 sqq. 12. Vat. 82. persolverat. 29. 30. Ipsos carnifices horrendis craticulae incendiis pernstos esse, nusquam in legendis reperi: puto in historiam S. Laurentii irrepsisse ex martyrio trium puerorum. Dan. VI, 47. 48. *Et effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem et erupit et incendit quos repperit iuxta fornacem de Chaldaeis.* 23. Cs. monstrans. 26. Cs. profecto. 31. 32. Ita Antiphona in officio martyris: *B. Laurentius dum in craticula superpositus ureretur ad impiissimum tyrannum dixit: Assatum est iam, versa et manduca nam facultates ecclesiae quas requiris in coelestes thesauros manus pauperum deportaverunt.*

XCIII.

De S. Michaele Archangelo.

Mysteriorum signifer
Caelestium, archangele,
Te supplicantes quaesumus,
Ut nos placatus visites.

Ipse cum sanctis angelis,
Cum iustis, cum apostolis
Illustra locum ingiter,
Quo nunc orantes degimus.

Castissimorum omnium.
Doctorum ac pontificum
Pro nobis preces profluas
Devotus offer domino.

Hostem repellat ut saevum
Opemque pacis dirigat
Et nostra simul pectora
Fides perfecta muniat.

Ascendant nostrae protinus
Ad thronum voces gloriae
Mentesque nostras erigat
Qui sede splendet fulgida.

Hic virtus eius maneat,
Hic firma flagret caritas,
Hic ad salutis commoda
Suis occurrat famulis,

Errores omnes auferat,
Vagosque sensus corrigat
Et dirigat vestigia
Nostra pacis per semitam.

Lucis in arce fulgida
Haec sacra scribat carmina,
Nostraque simul nomina
In libro vitae conferat.

Gloria tibi domine etc.

Exstat in Brev. Cs., in Thomasii Hymnario et correctus apud Ellingerum. — 5—8. I. Cor. XI, 10. 16. Vat. 82. maneat. 20. Spiritus Sanctus. 30. Vat. 82. agmina.

XCIV.

In Natali S. Martini Episcopi.

Bellator armis inclytus,
Martinus, actu nobilis,
Quae gesserit miraculis
Hymnis canamus debitis.

Qui frigoris sub tempore
Dum chlamyde nudum tegit,
Mox Christus ipsa, quam scidit,
Se veste tectum prodidit.

Tres arte sancta pallidos
Resuscitavit mortuos,
De febre Catechumenum
Et alterum suspendio.

Orationis ambitu
Latro sepultus proditur;
Qua non cadebat impetu
Pinus reflexa ducitur.

Profana dum succenderet
In aera flammam repulit,
Quo extincta sunt incendia
Imbris fuit praesentia.

Humore de paralysi
Curat puellam debilem,
Morbique rasit fomitem
Sancti liquoris unguine.

Pacem leproso dans viro
Sordes fugavit ulcerum,
Et quod lavaret morbidum
Iordanis est in osculo.

His et per orbem cognitis
Ingentibus miraculis,
Possessor alti spiritus
Nunc regnat in caelestibus.

Gloria tibi Domine etc.

Hoc de miraculis S. Martini carmen in Germania, Anglia etc. non fere vulgatum fuisse videtur. Praeter Cs. Tho-

masii hymnarium inest Ellingeri libri tertio. — 6. Ell. contegit. 11. 12. Ita Pelbartus: *Discedens paramper a monasterio et rediens defunctum repperit catechumenum sine baptismo. Quem in cellam ducens sua orationne resuscitavit. — — Alium insuper qui laqueo vitam finiverat vitae restituit.* 13. 14. Fortunatus de b. Martino (Fabr. p. 715.) *Dum latro exstinctus falso coleretur honore Voce huc Martini cogitur umbra loqui, se referens multa scelerum pro mole peremptum, se quoque nec iustum, se magis esse reum.* 12. 16. Fort. l. l. *Fanaticam pinum sanctus succidere cogens Iustum ibi supposuit rustica turba premi. Caesa secure arbor, cum iam daret alta ruinam Ad crucis imperium est ire coacta retro.* 17. 18. Sulpit. Sev. de vita B. M. c. 14: *Cum in vico quodam, fano antiquissimo et celeberrimo ignem immisisset, in proximam, immo adhaerentem domum agente vento flammarum globi ferebantur. Quod ubi M. advertit, rapido cursu tectum domus scandit, — — tum vero mirum in modum cerneres contra vim venti ignem retorqueri.* 18. Thom. aere 19. Thom. quo exstincta. 21. Ell. de paralysi humoriflua. Sulp. Sev. Dial. III, 9: *mulier prôfluvio sanguinis laborans cum Martini vestem exemplo mulieris illius evangelicae contigisset sub momento temporis sanabatur.* 23. 24. Fortunatus (Fabr. p. 715.) *serpentis morsu tumidum suprema agentem. Hic digitur ut posuit pestis iniqua fluit — — unguentumque novum digitis traxisse venenum. Et tactu artificis sic superesse neces.* 25—28. de miraculo illo Parisiis edito cf. Sulp. Sev. de v. B. M. c. 18. Iordanis erat in osculo quia tempore veteris testamenti huius fluminis unda Naëman a lepra liberatus est IV. Reg. V, 14. Similiter Fortunatus: *Quod Iordanes habet sanctus ab ore dedit.* 27. Ita Vat. 82. et Ell. Thom. et quo. 32. Ell. regnat.

XCV.

De Dedicatione ecclesiae.

Sacratum hoc templum Dei,
Altaris renovatio:
Nos recurrentes annuas
Laudes Deo referimus.

Altare magnum hoc Dei
Sacratum est hac die,
In cuius honore sedulo
Omnes curvamus genua.

Precantes autem dominum,
Qui solus invisibilis,
Ut nos semper in hoc loco
Sanctificari iubeat.

Vota solventes hic Deo
(Et) Sanctis eius omnibus,
Quorum sacrae reliquiae
Templum ornare hoc Dei.

Omnis qui hic ingreditur
Sanctificatus exeat
Semper orando domino
Parificatus maneat.

Ceremoniarum hostias
Ad hoc altare iugiter
Nos offerentes pariter
Devotis semper mentibus.

Sanctificet nos dominus
In hoc templo sancto,
In quo et nos sollemniter
Sacrum munus offerimus.

Deum, fratres carissimi
Et Christum eius filium
Simulque sanctum spiritum
Hymnis laudemus iugiter.

Habet unus Thomasius in Hymnario. — 16. Vat. 82. ornaret.

XCVI.

De dedicatione ecclesiae.

Christe cunctorum dominator alme,
Patris aeterni genitus ab ore,
Supplicum vota pariter ac hymnum
Cerne benignus.

Cerne quod puro Deus in honore
Plebs tua supplex resonat in aula,
Annua cuius revehunt colendum
Tempora festum.

Haec domus rite tibi dedicata
Noscitur, in qua populus sacratum
Corpus assumit, bibit et beati
Sanguinis haustum.

Hic sacrosancti latices veternas
Diluunt culpas, perimuntque noxas
Chrismate vero genus ut creetur
Christicolarum.

Hic salus aegris, medicina fessis
Lumen orbatis veniaque nostris
Fertur offensis, timor atque moeror
Pellitur omnis.

Daemonis saeva perit hic rapina
Pervicax monstrum pavet et retenta
Corpora linquens fugit in remotas
Ocyus umbras.

Hic locus nempe vocitatur aula
Regis aeterni niveaque coeli
Porta quae sanctos patriam petentes
Accipit omnes.

Turbo quam nullus quatit, aut vagantes
Dirnunt venti penetrantque nimbi,
Non tetris laedit piceus tenebris
Tartarus horrens.

Quaesumus ergo Deus ut sereno
Annuas vultu, famulos gubernans
Qui tuo summo celebrant amore
Gaudia templi.

Nulla nos vitae crucient molesta,
Sint dies laeti placidaeque noctes,
Nullus ex nobis pereunte mundo
Sentiat ignes.

Haec dies in qua tibi consecratam
Conspicis aram, tribuat perenne
Gaudium nobis vigeatque longo
Temporis usu.

Gloria summum resonet parentem
Gloria natum pariterque sanctum
Spiritum dulci modulemur hymno
Omne per aevum.

Continet cod. W. 1. et Cs. — Contuli Cassandri, Thomasii et Rambachii libros; Bebelius quattuor strophas priores continet, Ellingerus lib. II. carmen immutavit. — 2. Vat. 82. aeterne. 4. W. 1. Beb. pariterque. 5. Beb. quae. 7. 8. W. 1. Cass. annuo cuius redeunt colenda tempore festa. 11. W. 1. Cass. beatum. 15. Cass. et creatur. 21. W. 1. saevi. 26. al. immensi. 27. W. 1. Thom. vitae quae. 34. Cass. animas vultu. 37. Vat. 82. cruciet molestas. 42. Cass. aulam.

XCVII.

De Communi unius Martyris.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Deus tuorum militum	Deus tuorum militum
Sors et corona, praemium:	Sors et corona, praemium
Laudes canentes martyris	Laudes canentes martyris
Absolve nexu criminis.	Absolve nexu criminis.
[Hic testis ore protulit	
Quod cordis arca credidit,	
Christum sequendo repperit	
Effusione sanguinis.]	
Hic nempe mundi gaudia	Hic nempe mundi gaudia
Et blandimenta noxia	Et blanda fraudum pabula
Caduca rite deputans	Imbuta felle deputans
Pervenit ad coelestia.	Pervenit ad coelestia.
[Tempsit tyranni vincula,	
Diras catenas, verbera,	
Et voce clara nuntiat:	
Deum creasse omnia.]	
Poenas cucurrit fortiter	Poenas cucurrit fortiter
Et sustulit viriliter,	Et sustulit viriliter
Pro te effundens sanguinem	Fundensque pro te sanguinem
Aeterna dona possidet.	Aeterna dona possidet.
[Ex hoc furor vesaniae	
Iussit perimi martyrem	
Iustumque terris obrui	
Quem regna coeli continent.]	
Ob hoc precatu supplici	Ob hoc precatu supplici
Te poscimus piissime,	Te poscimus piissime,
In hoc triumpho martyris	In hoc triumpho martyris
Dimitte noxam servulis.	Dimitte noxam servulis.
[Ut partem huius muneris	
Haereditemus congrui	
Laetemur in perpetuum	
Iuncti polorum atriis.]	

Laus et perennis gloria etc.

Hymni qui vocantur de Communi, fere omnes in vetustissimis libris longiores, in recentioribus in paucos versus contracti sunt, cumque hoc certum esse videatur, antiqua breviaria carminum exhibere formam genuinam, illud non minus apertum est carminum auctores minime Martyres, Confessores etc. in universum celebrasse, sed cogitasse de uno aliquo Sancto, cultusque ecclesiastici moderatores, resectis versibus qui Officio de Communi minus viderentur apti, reliqua in usum publicum recepisse. Quod attinet ad hymnum: Deus tuorum militum, quemnam martyrem poëta laudaverit ne coniectura quidem licet assequi; versus nucis inclusos repperi in Cod. W. 1. atque apud Thomasium. — 2. al. spes et corona. 9. W. 1, hinc. 25. W. 1. hinc nos precantes supplices.

XCVIII.

Hymnus de Confessoribus.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Iesu corona celsior	Iesu corona celsior
Et veritas sublimior,	Et veritas sublimior,
Qui confitenti servulo	Qui confitenti servulo
Reddis perenne praemium.	Reddis perenne praemium.
Da supplicanti coetui	Da supplicanti coetui,
Obtentu huius optimi,	Huius rogatu, noxii
Remissionem criminum	Remissionem criminis
Rumpendo nexum vinculi.	Rumpendo nexum vinculi.
Anni recurso tempore	Anni reverso tempore
Dies reluxit: lumine,	Dies refulsit lumine,
Quo sanctus hic de corpore	Quo sanctus hic de corpore
Polum migravit praepotens.	Migravit inter sidera.
Hic vana terrae gaudia	Hic vana terrae gaudia
Et lutulenta praedia	Et luculenta praedia,
Polluta cuncta deputans	Polluta sorde deputans
Ovans tenet coelestia.	Ovans tenet coelestia.
Te Christe rex piissime	Te Christe rex piissime
Hic confitendo iugiter	Hic confitendo iugiter

Calcavit hostem fortiter
Superbum ac satellitem.
Calcavit artes daemonum
Saevumque averni principem.

Virtutum actu et fide
Confessionis ordine
Ieiuna membra deferens
Dapes supernas obtinet.
Virtute clarus et fide
Confessione sedulus
Ieiuna membra deferens
Dapes supernas obtinet.

Plus currit in certamine
Confessor iste sustinens,
Quam martyr ictum sufferens
Mucrone fundens sanguinem.

Proinde te piissime
Precamur omnes supplices:
Ut huius almi gratia
Nobis remittas debita.
Proinde te piissime
Precamur omnes supplices.
Nobis ut huius gratia
Poenas remittas debitas.

Ex hodierno ecclesiae ritu recitatur carmen in Natali Confessoris non pontificis ad Laudes, quam religiosam in confessorum numero separationem cum veteres prorsus ignorent, factum est, ut raro legatur hymnus in membranis vetustis. Excipias tamen antiqua ordinis S. Benedicti Breviaria, ipsi S. Benedicto hymnum adsignantia. Neque audacius factum esse credideris siquidem, quae supra de hymnis communi Sanctorum officio accommodatis adnotavi, ad meam sententiam animum tuum perduxerunt. — 9—12. Gavanti Th. R. III. p. 360.: *In translationum festis et quando officia Confessorum transferuntur in aliam diem mutatur versus in hymno. „Iste Confessor“ ut in Brev. Urbani VIII. iussu recognito, ne mendacium dicatur, quod eo die obierint: in hymno Laudum Confess. non pontificum videbatur etiam mutandus ille versus: „Dies refulsit lumine“ sed non mutatur, quia non dicimus „haec dies“ praecise in quo fit officium.* 14. Cass. Bd. luculenta. 15. Thom. sorde. 17. Ab hoc versu incipit Cassander hymnum de Confessoribus secundum, deceptus librorum auctoritate, qui hymni alteram partem dant Matutino, alteram Laudibus. 25—28. Omisit Brev. Rom., ut gloriosius et non sine martyrum obtrectatione conscriptos.

XCIX.

De Virginibus.

Libr. vet.	Brev. Rom:
Iesu corona virginum,	Iesu corona virginum,
Quem mater illa concepit,	Quem mater illa concipit,
Quae sola virgo parturit,	Quae sola virgo parturit,
Haec vota clemens accipe.	Haec vota clemens accipe.
Qui pascis inter lilia,	Qui pergis inter lilia,
Septus choreis virginum,	Septus choreis virginum,
Sponsus decorus gloria,	Sponsus decorus gloria,
Sponsisque reddens praemia.	Sponsisque reddens praemia.
Quocunque pergis, virgines	Quocumque tendis virgines
Sequuntur atque laudibus	Sequuntur atque laudibus,
Post te canentes cursitant,	Post te canentes cursitant,
Hymnosque dulces personant.	Hymnosque dulces personant.
Te deprecamur largius,	Te deprecamur supplices,
Nostris adauge mentibus	Nostris ut addas sensibus
Nescire prorsus omnia	Nescire prorsus omnia
Corruptionis vulnera.	Corruptionis vulnera.

Decantatur in Communi Virginum ad Vesperas. — 1. Ex loco Is. XXVIII, 5: *in die illa erit dominus exercituum corona gloriae et sertum exultationis residuo populi sui,* **manavit nomen, quo Christus saepissime vocatur, corona apostolorum, martyrum etc. Cf. Invitatorium in festivitate Omnium Sanctorum:** *Venite adoremus Dominum, quia ipse est corona sanctorum omnium.* **2. Cass. concipit. H. quae. 4. Lud. Fabr. suscipe. 5. Cant. II, 16.** *dilectus meus mihi et ego illi qui pascitur inter lilia.* **7. E. M. H. Hl. Hv. Aug. Bd. Mgd. Torr. Wimpf. Hil. sponsus decorans gloria, minus apte, cum v. 8. iterum fiat mentio sponsarum. 13. apud multos sensibus.**

C.

Tempore belli.

Saevus bella serit barbarus horrens,	Ac respergit ovans caede recenti,
Frendens bella furor semper acervat,	Multa strage super laetus anhelans.

Terret

Terret continuo fervida bella
Gens effrena suis vasta catervis
Sidens innumeris aequore ponti
Perturbat rigidis arvaque telis.

Vertit terga suis hostibus ecce
Diris ipsa cohors Christicolarum
Ac per prona tremens invia perque
Turpi pulsa fugit fessa pavore.

Gens impune ferox millia vexat
Et crude lacerans millia trancat
Lymphis lota sacris corpora foedis
Passim nuda iacent tradita corvis.

Aedes inde sacras, templa dicata,
Aras atque Deo sanctificatas,
Exultans calido cuncta triumpho
Incedit spolians praedo superbus.

Urbes urit edax barbarus ignis,
Communesque domos urit et almas,
Vinctos praedo senes ducit ephebos,
Nuptas et viduas atque puellas.

Casum virgo ferum virgo sacrata
Casum virgo suum deflet amarum,
Amissumque dolet virgo pudorem,
Leti ferre volens virgo laborem.

Hoc peccata malum grande merentur
Vere nostra, Deus, plurima sancte,
Sed nunc suppliciter poscimus omnes
Iam clemens famulos aspice tristes.

Immensus penetret fletus Olympum
Ascendatque pius clamor ad auras,
Mosi nam meritis Amalecitas
Iesus stravit agens nomine clarus.

Iesu nate Dei cunctipotentis,
Virtus vera, salus summa labore,
Pax et certa quies ac decus omne:
Tu nunc esto tuis fautor alumnis.

Emptis parce tua morte rogamus
Instaurans animos, pelle timorem,
Hostes comminuens sparge fugatos,
Pacis perpetuae munera confer.

Laus et perpes honor gloria patri,
Laus aeterna tibi gloria fili,
Una spiritui gloria sancto
Sicut semper erat, nunc et in aevum.

Ex Thomasii Hymnario. — 5. Ita Vat. 82. Thom. **fervida bello.** 29. cf. 22, 29: *hanc peccata famem nostra merentur.* 35. 36. Exod. XVII, 9 sqq. 41. cf. 27, 33. *Iesu parce tua morte redemptis.*

CI.

Tempore belli.

Tristes nunc populi, Christe redemptor,
Pacem suppliciter cerne rogantes,
Threnos et gemitus cerne dolorem,
Moestis auxilium desuper affer.

Dirae namque fremens en furor atrox
Gentis finitimae arva minatur,
Saeve barbarico murmure nostra
Vastari perimens ut lupus agnos.

Defensor quis erit, ni pius ipse
Succurras miserans auctor Olympi,
Humano generi crimina parcas,
Affectis veniam dones amore.

Habram praesidio pertulit olim
Reges quinque tuo, conditor aevi,
Haud multis pueris nempe parentem
Prostratis reducens hostibus atris.

Moyses gelidi aequora ponti
Confidens populum torrida carpens
Deduxit refluens undaque hostem
Extemplo rapiens occulit omnem.

Trecentisque viris Amalecitis
Deiecit Gedeon iussus adire,
Oppressum populum gentemque ferro
Liberavit ope fretus opima.

Haec tu, cunctipotens, omnia solus
In cuius manibus sunt universa,
In te nostra salus, gloria in te:
Occidis iterum vivificasque.

Maior quippe tua gratia Iesu,
Quam sit flagitii copia nostri
Contritos nec enim moestaque corda
Clemens vel humiles spernere nosti.

Salva ergo tua morte redemptos
Salva suppliciter pacta petentes
Disrumpe frameas, spicula frange
Confringe clypeos bella volentum.

Iam coelum gemitus scandat amarus,
Iam nubes penetret vox lacrymarum
Votum contritio plebis anhela
Salvator placidus iam miserere.

Ex Thomasii Hymnario. — 12. Vat. 82. affectos veniam dones amare. 12—16. Gen. c. XIII. 17—20. Exod. XIV. 21—24. Iud. VII, 7 sqq 23. Vat. 82. gentem ferro. 28. I. Reg. II, 6. 32. Vat. 82. vel humilis. 33. cf. 100, 41. 35. 36. Mich. IV, 3.

D.

S. AUGUSTINUS.

CII.

Rhythmus de gloria (et gaudiis) paradisi.

Ad perennis vitae fontem mens sitivit arida,
Claustra carnis praesto frangi clausa quaerit anima:
Gliscit, ambit, eluctatur exul frui patria.

Dum pressuris ac aerumnis se gemit obnoxiam,
Quam amisit, dum deliquit, contemplatur gloriam
Praesens malum auget boni perditi memoriam.

Nam quis promat summae pacis quanta sit laetitia,
Ubi vivis margaritis surgunt aedificia,
Auro celsa micant tecta, radiant triclinia:

Solis gemmis pretiosis haec structura nectitur,
Auro mundo tanquam vitro urbis via sternitur;
Abest limus, deest fimus, lues nulla cernitur.

Hiems horrens, aestas torrens illic nunquam saeviunt;
Flos perpetuus rosarum, ver agit perpetuum,
Candent lilia, rubescit crocus, sudat balsamum.

Virent prata, vernant sata, rivi mellis influunt;
Pigmentorum spirat odor, liquor et aromatum;
Pendent poma floridorum non lapsura nemorum.

Non alternat luna vices sol vel cursus siderum;
Agnus est felicis urbis lumen inocciduum,
Nox et tempus desunt ei, diem fert continuum.

Nam et sancti quique velut sol praeclarus rutilant,
Post triumphum coronati mutuo coniubilant
Et prostrati pugnas hostis iam securi numerant.

Omni labe defaecati carnis bella nesciunt,
Caro facta spiritalis et mens unum sentiunt,
Pace multa perfruentes scandalum non perferunt

Mutabilibus exuti repetunt originem,
Et praesentem veritatis contemplantur speciem,
Hinc vitalem vivi fontis hauriunt dulcedinem.

Inde statum semper idem existendi capiunt,
Clari, vividi, iucundi nullis patent casibus:
Absunt morbi semper sanis, senectus iuvenibus.

Hinc perenne tenent esse, nam transire transiit;
Inde virent, vigent, florent: corruptela corruit,
Immortalitatis vigor mortis ius absorbuit.

Qui scientem cuncta sciunt, quid nescire nequeunt;
Nam et pectoris arcana penetrant alterutrum,
Unum volunt, unum nolunt, unitas est mentium.

Licet cuiquam sit diversum pro labore meritum
Caritas hoc facit suum quod amat in altero:
Proprium sic singulorum fit commune omnium.

Ubi corpus, illic iure congregantur aquilae,
Quo cum angelis et sanctae recreantur animae,
Uno pane vivunt cives utriusque patriae.

Avidi et semper pleni quod habent desiderant,
Non satietas fastidit, neque fames cruciat:
Inhiantes semper edunt et edentes inhiant.

Novas semper melodias vox meloda concrepat,
Et in iubilum prolata mulcent aures organa,
Digna per quem sunt victores regi dant praeconia.

Felix coeli qui praesentem regem cernit anima
Et sub sede spectat alta orbis volvi machinam,
Solem, lunam et globosa cum planetis sidera

Christe palma bellatorum hoc in municipium
Introduc me post solutum militare cingulum,
Fac consortem donativi beatorum civium.

Probes vires inexhausto laboranti proelio
Nec quietem post procinctum denegas emerito
Teque merear potiri sine fine praemio.

Hoc de amoenitatibus paradisi iubilum, quod Augusti censet admodum suave sed paene nimis suave et luxurians, quamquam in cultu divino nunquam esse recitatum omnes consentiunt, cum apud ecclesiasticae hymnologiae amatores celeberrimum sit, nobis quoque dignum visum est, quod tanquam pretiosa margarita thesauro nostro adiungeretur. Reperitur in editionibus

S. Augustini Argentina, quae prodiit 1489, atque Veneta a. 1729 praeterea apud Fabricium, Rambachium, Kehreinium Wallraffium — 7—9. Apoc. XXI, 21: *singulae portae erant ex singulis margaritis et plateae civitatis aurum mundum.* Procul dubio poetae magis arridebat apocalyptica supernae urbis descriptio, quam locus Appuleii a Kehreinio laudatus. 12. Kehr.: *lues heisst hier schmutziges Wasser, Schneewasser, wie bei Petron. c. 123. „flumina stabant et vincta fluctus stupuere prima et paulo ante lues iam concidenda iacebat,“* 14. Ramb. purpureus. 13—21. Tota haec coelestis beatitudinis descriptio vel redolet d. Ioannem in Apocalypsi ut v. 21. Apoc. XXI. 23.: *et civitas non eget sole, neque luna ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminavit eam et lucerna eius est agnus.* adde XXII. 5.) vel alios antiquitatis christianae scriptores. Unus sit testis Abdias Apost. Cert. 7, 5. *Paradisus non habet aliquid in se quod possit esse saluti hominum inimicum. Non aves terrentur ad sonitum hominis, non spinae nascuntur et tubuli, non ibi rosae marcescunt, non lilia, non aliqui ibi praetereunt flores, non anni senectutem generant aetatibus, non infirmitas aliqua sanitati succedit. Aurae quae ibi sunt blandiuntur potius quam perflant et aeternitatem naribus inferunt. Sonant ibi organa angelorum et aeternitatem naribus inferunt. Serpens ibi locum non habet, non phalangius, non musca aliqua saluti hominis inimica est. Nullus ibi est latratus canium, nullus leonum rugitus: omnia blanda sunt, omnia quieta.* Insignem Ovidii locum (Metam. 1, 89 sq.) commemorat Kehr. 22. Matth. XIII, 40. *tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.* 31. Argent. Fabr. exeuntes. 32. Argent. petant. Fabr. peccant. 36. I. Cor. XV, 54. II. Cor. V, 4. 37. Fabr. Ramb. hi queunt Kehr. *Obwohl es nicht ganz ungebräuchlich, so ist es doch selten, dass man im Lateinischen zwei Negationen in einem Satz hat, die einander verstärken.* Sed non licuit viro docto poetam infimae latinitatis — nam S. Augustinum carminis auctorem esse putabit nemo — ad castigationis sermonis leges revocare. 41. al: quod dum amat alterum. 43—45. Praetermisit Rambachius, nisi fallor ob translationem v. 43. adhibitam, quae indigna atque inepta videbatur. Sed ut plurimi iubent, Matth. XXIV, 18. Luc. XVII, 37. Christus se ipsum significat corpore, ad quod congregantur aquilae i. e. fidelium coetus. 44. Venet. recreentur. 45. Cibus angelorum et beatorum est visio Dei beatifica. 50. Argent. mulcens. 51. Argent. Fabr. mendose tigna. 53. Argent. machina. 57. Fabr. da soluto. Ultro in mentem venit Claudius noster optimus, qui ita mortem affatur: *Du wirst auch einmal kommen und meinen Schmachtriemen auflösen und mich auf bessre Zeiten sicher an Ort und Stelle zur Ruhe hinlegen.* 58. Ramb. praebe Fabr. laborantis. 59. Argent. ut quietem — debens emerito.

E.

AURELIUS PRUDENTIUS CLEMENS*).

CIII.

Hymnus matutinus.

Ales diei nuntius
Lucem propinquam praecinit,
Nos excitator mentium
Iam Christus ad vitam vocat.

Auferte, clamat, lectulos
Aegros, soporos, desides
Castique recti ac sobrii
Vigilate, iam sum proximus.

Iesum ciamus vocibus
Flentes, precantes, sobrii:
Intenta supplicatio
Dormire cor mundum vetat.

Tu Christe somnum disilce,
Tu rumpe noctis vincula:
Tu solve peccatum vetus
Novumque lumen ingere.

Deo patri sit gloria etc.

Hymnus, qui cantatur Feria tertia ad Laudes, decerptus est ex carmine Cathemerinon primo „ad gallicinium.“ Elegit autem ecclesia prolixioris carminis v. 1—8. 81—84. 97—100. — 1. Permulta de gallo venturae lucis nuntio Weitzius ad hunc locum congessit. Sufficit nominasse Am-

*) Adhibui in carminibus Prudentii editionem I. Weitzii Hanoviae 1613. Adiecta est varietas lectionum ex codd. Cor. Widmani, Bongarsii, Goldasti, Egmondano, Erfurtensi, Hailsbronnensi, Fuldensi, Palatino: porro glossae Isonis monachi. Praeterea ad manus erat edit. Christ. Cellarii Halis 1739, editio Parmensis a. 1788 (ex Vaticanis Mss.) Gallandii Bibl. Patrum Tom. VIII. In hymnis CIII—CVI., qui apud Kehreinium leguntur, saepius mentio iniecta est editionum, quas ille vir doctus inspexit, Antwerpiensium a. 1536 et 1545 et Coloniensis 1585.

brosium, cui 11, 5. gallus audit *praeco diei.* Adde Pelbartum Pomoer. Serm. de Sanct. LXI: *Ambrosius in Hexaëmero dicit quod gallus albus suspensus ad modum crucis naturaliter leonem terret et fugat. Per gallum album figuratur Christus. Tum quia sicut gallus nunciat diem noctemque sic Ch. nunciavit nobis diem in lucem gratiae credentibus. Io. XII. „Dum lucem habetis creditis in lucem.“ Nunciavit etiam noctem i. e. peccatorum iudicium ut caveremus. Tum etiam quia Ch. albus est per innocentiam, quia suspensus in cruce fugavit diabolum sicut leonem.* Brev. Romanum legit: aegro sopore desides cum cod. Goldasti, uno ex Vaticanis, Bebelio atque Weitzio. Neque vero haec scriptura reliquorum librorum auctoritate commendatur. Nam in ecclesiasticis libris fere omnibus, in codd. Widmani, Bongarsii, uno ex Vaticanis, in edit. Giselini reperies aegros sopore desides. Perplacuit nobis tripartita adiectivorum ratio aegros, soporos, desides: ita Heinsii Mss. et Edit. Parm. Vaticani omnes (praeter duos quos supra commemoravi); accedunt cod. Egmond. Palat. Cellarius, Thomasius et editiones Antw. 1536. 45. Vocat autem lectulos aegros, soporos, desides, quia nos aegritudine, sopore, desidia conficiunt: ita etiam in eodem carmine v. 18. *segnia strata* quia segnitiem afferunt. Kehr.: *Silbert übersetzt „Auf Kranke, Träge, Schlummernde“ als hätte er aegri, sopori, desides gelesen.* 7. Fr. Sl. Beb. Weitz. casteque recte ac sobrie. Wimpf. om. ac. 12. Cod. Gold. vetet quod mavult Heinsius. 13. Mss. fere omnia tuentur scriptionem nostram disiice; adde Sl. et Thom. In Breviariis plerisque discute ut Ambros. 11, 30: *mentis somnum discute*: hinc fluxisse illam scripturam putaverim.

CIV.

Hymnus matutinus.

Nox et tenebrae et nubila
Confusa mundi et turbida
Lux intrat, albescit polus
Christus venit, discedite.

Caligo terrae scinditur,
Percussa solis spiculo,
Rebusque iam color redit
Vultu nitentis sideris.

Te Christe solum novimus,
Te mente pura et simplici
Flendo et canendo quaesumus:
Intende nostris sensibus.

Sunt multa fucis illita
Quae luce purgentur tua,
Tu rex Eoi sideris
Vultu sereno illumina.

Deo patri sit gloria etc.

Hic hymnus (Feria quarta ad Laudes dicendus) ex prolixiore hymno Prudentii sumptus est Cothem. II. ad Matutinum, ut superior ille: Ales diei. Duae primae clausulae concordant cum v. 1—8: reliqui versus mire ex Prudentianis sunt consarcinati v. 9. 10. apud poetam sunt v. 38. 49. — 11. v. 52. — 12. v. 57. — 13. 14. v. 59. 60. — 15. 16. v. 67. 68. — Cod. Egm. perverse iubila. 3. Hil. Wimpf. Beb. hic intrat. Nebriss. satis insulse suadet: *subaudi fenestras*, neque displicuit Kehreinio.: *Vollständiger hat Persius die Phrase* 3, 1: *iam clarum mane fenestras intrat.* 6. Hil. speculo cf. 47, 3. *lucis resultat spiculum.* 7. Afferunt interpretes Virgilianum illud Aen. 6, 272 *et rebus nox abstulit atra colorem*: apud nos 45, 1. 2. *nox atra rerum contegit terrae colores omnium.* Iso Mag. ad h. l.; *secundum physicos loquitur qui dicunt omnia colorata in nocte perdere colorem: sole redeunte redire colorem.* 8. Cod. Hailsbronn nitenti, Hl. perperam intentis. 11. Fabr. *hoc asyndeton ὑστερολογικὸν elegans in carmine iambico.* Ceterum memoratu dignum est in Prudentio non ambiguam esse scripturam discimus, in eccles. libris ubique exstare quaesumus; immutatus est versus, ut cohaereret cum reliquis. 13. Hil. Wimpf. Beb. Geselin. Heins. Thom. fuscis. Chamill. *sic magis cohaeret sequens sententia: luce purgentur tua.* Probat quoque hanc scripturam Gallandius. Sed renituntur codd. plurimi, accedit quod aptissime convenit verbum illinere voci fucis. 15. In Prudentio indubitata stat lectio tu rex, nam edit. 536. 585. Thom. Gall. tu lux exhibentes procul dubio sequuntur Breviaria et libros ecclesiasticos: in his fere ubique tu lux. Brev. Rom. mutavit: tu vera lux coelestium.

CV.

Hymnus matutinus.

Lux ecce surgit aurea,
Pallens facessat caecitas,
Quae nosmet in praeceps diu
Errore traxit devio.

Haec lux serenum conferat
Purosque nos praestet sibi,
Nihil loquamur subdolum,
Volvamus obscurum nihil.

Sic tota decurrat dies,
Ne lingua mendax, ne manus,
Oculive peccent lubrici,
Ne noxa corpus inquinet.

Speculator adstat desuper,
Qui nos diebus omnibus
Actusque nostros prospicit
A luce prima in vesperum.

Deo patri sit gloria etc.

Cassander: *Et hic hymnus* (Feriae quintae ad Laudes) *ex prolixiore illo Prudentii, cuius initium: „Nox et tenebrae“ traductus est. Primus versus primae clausulae commutatus est ex primo versu septimae clausulae* (v. 25.) *qui ita legitur: „sol ecce surgit igneus“ secundus autem versus ex primo vigesimae quartae clausulae* (v. 93.) *qui ita habet „tandem facessat caecitas.“ Tertius versus in eadem clausula secundus est, quartus vero in eodem quartus.* (v. 94. 96.) *Tres sequentes clausulae ita consequenter apud P. leguntur* (v. 97—108.) — 2. Brev. fere omnia, Hil. Wimpf. Beb., ex editoribus Prud. Gisel. et Weitzius fatiscat: rectius facessat, ut apud reliquos editores et in Brev. Rom. 3. Beb. nosmet ipsos 9—12. In breviariis pro ne plerumque positum est nec, et pro oculive, nec. 13. Hl. spectator. G. Remus: *Pie vetustas pronunciavit: peccare noli, Deus videt, angelus ad stat et tristatur, conscientia mordet, diabolus accusat, infernus cruciat.* Cell. affert Silium XV, 112: *testis factorum stare arbitrabere divos.* 16. Iso allegorice: *ab infantia usque ad senectam.*

CVI.

De Nativitate Domini.

Corde natus ex parentis ante mundi exordium,
Alpha et Ω cognominatus, ipse fons et clausula,
Omnium quae sunt, fuerunt, quaeque post futura sunt
Saeculorum saeculis.

O beatus ortus ille, virgo cum puerpera
Edidit nostram salutem foeta sancto spiritu,
Et puer redemptor orbis os sacratum protulit
Saeculorum saeculis.

Psallat altitudo coeli, psallant omnes angeli,
Quidquid est virtutis usquam psallat in laudem Dei,
Nulla linguarum silescat, voce et omnis consonet
Saeculorum saeculis.

Ecce, quem vates vetustis concinebant saeculis,
Quem prophetarum fideles paginae spoponderant
Emicat promissus olim, cuncta collaudent eum
Saeculorum saeculis.

Te senes et te iuventus, parvulorum te chorus,
Turba matrum virginumque, simplices puellulae
Voce concordes pudicis perstrepant concentibus
Saeculorum saeculis. 20

[Tibi Christe sit cum patre hagioque pneumate
Hymnus, melos, laus perennis, gratiarum actio,
Honor, virtus, victoria, regnum aeternaliter
Saeculorum saeculis.]

In libro Cathem. nono loco legitur hymnus omnis horae: Da puer plectrum, quo Christus redemptor natus, passus, resuscitatus, glorificatus piis laudibus celebratur. Composuere veteres ex hoc carmine (v. 10—12. 19. 27. 109—111.) canticum ecclesiasticum *) idque vel ad Completorium in ipsa Nativitate vel infra Octavam eiusdem cantari voluerunt. Apud Wackernag. tres reperiuntur versiones germanicae. Prima p. 65. est anonymi ex saeculo decimo quinto ineunte „Vs dem vätterlichen hertzen ist er geboren eweneclich" altera p. 456. est I. Zwickii an. 1540 „Vs des Vatters hertz ist geboren ein kind das ist Gottes sun" tertia p. 201 est Georg. Wicelii an. 1541 „Aus des Vaters hertzen ewig ist geboren Iesu Christ." In Romano quod hodie fertur non amplius exstat. — 1. Cell. fusus. *Sic ex schedis Ambrosianis, quae antiquissimae sunt, Heinsius, ut vulgatum „natus" glossema videatur; nam „fundi" de partu feliciore dicitur Virgil. Aen. VIII, 139. Arnob. lib. I. p. 20. Et noster Cathem. VII, 58. de Ioanne: „nec ante partu de simili effusus est" et hymno Epiphaniae v. 3.: „effusa nuper corpora."* Sed recte Edit. Parm.: *si codicum auctoritate certandum esset, Ambrosianis schedis non solum Giselini et Weitzii codices, sed et Vaticani omnes opponi possent, qui constanter „natus" habent, et ex collatione locorum utrumque vocabulum a poeta indifferenter usurpatum esse liquet.* Accedunt codd. nostri H. W. 2. E. M. D. 2. et breviaria atque hymnaria ad unum omnia, versiones denique germanicae. Tamen ex recentioribus, quod sciam, Björnius et Middeldorpfius (Theol. Prudentiana Illgen. Zeitsch. für hist. Theologie II. 2. p. 156.) Heinsii scripturam receperunt. Filium ex corde patris natum esse docuit veteres Psalmus XLIV: *eructavit cor meum verbum bonum:* erat enim locus de aeterna filii generatione palmaris. 2. Apoc. XXII, 13. *Ego sum A et O. primus et novissimus, principium et finis* Weitz. Fabr. cognomi-

*) Solus Hymnarius Groningensis carmen Prudentii habet integrum.

natur. 4. Lud.: *Hic versus μελωδίας ἕνεκα ex fine hymni* (Prudentiani) *huc translatus est.* Om. Ramb. 5. Brev. et hymn. (excepto Eb.) partus, ex codd. Prudentii solus Hailsbronn. 7. H. hoc sacratum. 9. Fabr. Spieg. psallat omnis angelus Ald. psallant te o. a. 11. M. Hil. consonat. 13. Hl. concinebat. (Isaias?) Cass.: *quidam codd.* praecinebant. 14. Ut est apud Fortunatum (H. 139, 14.) *impleta sunt quae concinit David fideli carmine.* 15. Cass. Wimpf. Hl. Hv. e. a. collaudant, alii pro eum Deum. 17. Eb. cohors. Hl. teque chorus. Mgd. parvulorumque. 19. Codicum Prud. plurimi, E. Eb. nostram scripturam tuentur: Ald. Spiegelius, H. W. 2. Hil. Torr. brev. et hymnaria plurima: perstrepent. Cod. Gold. Hailsbr. Widm. perstrepunt. Egm. praestrepunt. W. 2. Hil. Msn. pudici. 21—24. Desideratur doxologia in Prudentio. 21. sing. brev. spiritui.

CVII.

De Innocentibus.

Salvete flores martyrum,
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit
Ceu turbo nascentes rosas.

Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tenen
Aram ante ipsam simplices
Palmae et coronis luditis.

Audit tyrannus anxius
Adesse regum principem,
Qui nomen Israel regat,
Teneatque David regiam.

Exclamat amens nuncio:
Successor instat, pellimur;
Satelles, i ferrum rape,
Perfunde cunas sanguine.

Mas omnis infans occidat,
Scrutare nutricum sinus,
Fraus ne qua furtim subtrahat
Prolem virilis indolis.

Transfigit ergo carnifex,
Mucrone districto furens,
Effusa nuper corpora
Animasque rimatur novas.

O barbarum spectaculum:
Vix interemptor invenit
Locum minutis artubus
Quo plaga descendat patens.

Quo proficit tantum nefas:
Quid crimen Herodem iuvat:
Unus tot inter funera
Impune Christus tollitur.

Iesu, tibi sit gloria
Qui natus es de virgine etc.

In Breviariis quae vidi vetustioribus festum SS. Innocentium hymnos proprios non habet, sed sunt de Nativitate vel de Communi plurimorum martyrum. Quam consuetudinem tamen non apud omnes ecclesias invaluisse id perspicue docet, quod in Wimpfelingii, Bebelii, Clichtovaei et Cassandri libris illi festo pulcherrimus noster: Salvete flores martyrum est designatus. Compositus est ex hymno Cathemer. XII. de Epiphania: Quicunque Christum quaeritis*); neque tamen in eligendis versibus omnes consenserunt. Nostri carminis v. 1—8. sunt hymni Prudentiani 125—130. V. 9—18. in P. v. 93—102. V. 19. 24. in P. v. 107—112. V. 25. v. 117. V. 26. v. 114. V. 27. v. 113. V. 128. v. 120. V. 29—32. in P. v. 133—136. Quod si hymnum e disiectis ut ita dicam Prudentii membris constare miraris, non sine arte membra composita esse nemo potest infitiari. Breviarum Romanum teste Gavantio

---

*) Non a re alienum esse videtur adnotare, quod multis sane iniecit admirationem, v. 201—208 huius hymni apud nos legi in Ambrosiano: A solis ortus cardine (15) v. 5—12. Qui Ambrosio carmen denegant, facili negotio serioris aetatis poetam Prudentium imitatum esse autumant. Sed ipsis existit hoc loco quaestio quaedam subdifficilis. Ne dicam multis argumentis comprobari posse carmen esse verum Ambrosii foetum, optime quadrant verba: Gaudete quicquid gentium etc. ad carminis initium: A solis ortus cardine Et usque terrae limitem Christum canamus principem. Inde nihil dubito, quin Prudentius, celeberrimum episcopum imitatus, hymno de Epiphania Ambrosii verba ut aptissimam clausulam adiecerit.

ante a. 1550. nihil habet ex Prudentiano carmine, ut nunc est versus quinque (excusos illos maioribus typis) in duos hymnos dispertitos: Audit tyrannus anxius v. 9—16. 29—32. et Salvete flores martyrum v. 1—8. Uterque in festo SS. Innocentium decantatur et in Octava eius. — 1. Fortun. de partu v. 1, 277. *primitiae florum.* Erasmus*): *flos initium et spes est fructus secuturi. Sic pueritia flos est aetatis. Secuti sunt post uberrimi fructus martyrum adultorum.* Wimpf. *Hi pueri dicti sunt innocentes triplici ratione. Primo ratione vitae, eo quod vitam innocentem i. e. non nocentem habuerunt. Nulli enim unquam nocuerunt nec Deo per inobedientiam nec proximo per iniustitiam, nec sibi per alicuius peccati malitiam. Inde Psalmus: „innocentes et recti adhaeserunt mihi.“ Deinde ratione poenae quoniam innocenter et iniuste passi sunt. Unde propheta: „effuderunt sanguinem innocentem. Porro ratione innocentiae assecutae quoniam in ipso martyrio assecuti sunt baptismalem innocentiam et ab originali peccato munditiam.* cf. Gataker Adv. Misc. 3, p. 194. 2. Clicht.: *libri mendosi* (e. g. Beb.) Iumine. Wimpf. om. in: in margine adscriptum est a b. 3. Beb. ut Wimpf. florentes. Bene Weitzius laudat Statium Silv. III, 126—129. *media cecidere abrupta iuventa gaudia, florentesque manus scidit Atropos annos qualia pallentes declinant lilia culmos pubentesque rosae primos moriuntur ad austros.* 5. sqq. apud Beb. ita leguntur: Quid crimen Herodem iuvat: Vos prima Christi victima Aram etc. 7. 8. Paulinus de obitu Celsi v. 595. *inter odoratum ludit remus atque coronas texit honorandus praemia martyribus.* Apoc. VI, 9.: *vidi subtus altare animas interfectorum.* Valde in versu septimo discrepat scriptura. Nostram tuentur codd. Widm. Hailsbr. Gold., edit. Aldi, Weitz. Heins., Chamill., Cell., Parm., Gall., accedit Cassander. Fabr. ante a. et ipsam Egm. aram ante ipsam et. Torrentius, loco Apocalypseos permotus, legere vult sub ipsam, Erasmus suspicatur rectum esse aram ante cuius, quod placuit Giselino. 8. Wimpf. Cass. corona. Erasm.: *Mire servavit poeta decorum personae. Puerorum est ludere. Ludunt ante aram in qua mactati sunt sed ludunt palma et coronis, prius exempti e vita quam scirent se vivere.* 8—16. Libri vetusti ex his versibus solummodo v. 9—10. et v. 13—14. habent. 15. Ita Ald. Fabr. Heins. Cass. Parm. Gall. ex codd. Vatic. unus: in pluribus Vatic. vocula i intercidit. Est vero luce meridiana clarius dissonam scripturam natam esse ex cura restituendi rationem carminis metricam. Cod. Gold. Weitz. ferrum sat. corripe, Widm. Hailsb. Egm. s. f. corripe. Wimpf. Vatic. plures. f. s. arripe. 16. Amoenus Enchir.

*) Hymnos Cathemer. XI. et XII. docto et suavi commentario illustravit Erasmus. Reperitur in Edit. Basil. Tom. V. p. 1121 sqq. atque in editione Weitzii II. p. 164 sqq.

N. T. Tetr. 5. *fumant lacteolo parvorum sanguine cunae.* 19. Beb. fraus neque. 21. Clicht.: nonnulli codd. mendosi transigit. 26—28. Arator I, 370: *vulnera suscipiunt parvis arantia membris Vix habitura locum.* 29. Weitz. Vat. duo; Brev. Rom.: quid proficit. Wimpf. Cass. Ramb. quid profuit. — Addit Rambachius ex Prudentio stropham, quam equidem in Breviario non inveni: Sic stulta Pharaonis mali Edicta quondam fugerat, Christi figuram praeferens Moses receptor civium. — Doxologia in hodiernis Breviariis adiecta est ex more ecclesiae Romanae de Nativitate: nam infra Octavam eius celebratur festum SS. Innocentium.

CVIII.

De Epiphania.

O sola magnarum urbium
Maior Bethlem, cui contigit
Ducem salutis coelitus
Incorporatum gignere.

Haec stella, quae solis rotam
Vincit decore ac lumine,
Venisse terris nunciat
Cum carne terrestri Deum.

Videre postquam illum magi
Eoa promunt munera,
Stratique votis offerunt
Thus, myrrham et aurum regium.

Regem Deumque annuntiant
Thesaurus et fragrans odor,
Thuris Sabaei ac myrrheus
Pulvis sepulcrum praedocet.

Iesu tibi sit gloria,
Qui apparuisti gentibus etc.

Secundum Gavantium a Pio V. in officium Epiphaniae receptus est (Tom. III. p. 428.), neque ego in ullo vetustiori libro vidisse memini. Nunc cantatur festo Epiphaniae ad Laudes. Continet carmen hymni Prudentiani de Epiphania v. 77—80. v. 5—8. v. 61—64. v. 69—72. — Egm. et cui Giselin.: „*maior Bethlem*“ *ita scribendum per simplex e ut alibi semper, si duo loca excipias, versuum ratione aliter postulante, quanquam in tetrastichis dissident codices.* 5. Mutavit Brev. Rom. quem stella. 6. Cod. Gokl. aut. Ignatius in epist. ad

Ephes. XIX. ἀστηρ ἐν οὐρανῷ ἔλαμψεν ὑπὲρ πάντας τοὺς πρὸ αὐτοῦ αστέρας — — τα δὲ λοιπὰ πάντα ἄστρα ἅμια ἡλίῳ καὶ σελήνῃ χόρος ἐγένετο τῷ ἀστέρι, αὐτὸς δὲ ἦν ὑπερβάλλων τὸ φῶς αὐτοῦ ὑπὲρ πάντα. Vide Cotelerium ad h. l. et quae de stella Magorum eo quo insignis est eruditionis apparatu dissernit Ven. Thilo Cod. Apocr. I. p. 390. De oratione Eusebii Emiseni περὶ ἀστρονόμων p. 14. 9. Mutavit Brev. Rom. videre postquam. 15. Ed. Parm.: Ita Weitzius ac vaticani probatiores. Cell. at myrrheus.

CIX.

Hymnus quadragesimalis.

O Nazarene, lux Bethlem, verbum patris
Quem partus alvi virginalis protulit:
Adesto castis, Christe, parsimoniis
Festumque nostrum rex serenus adspice,
Ieiuniorum dum litamus victimam.

Nil hoc profecto purius mysterio,
Quo fibra cordis expiatur lividi,
Intemperata quo domantur viscera,
Arvina putrem ne resudent crapulam
Obstrangulatae mentis ingenium premat.

[Sit Trinitati in unitate gloria,
Sit unitati in Trinitate gratia,
Potestas, honor, atque iubilatio:
Nostra benigne cum benevolentia
Ieiuniorum acceptanti munera.]

Apud Prudentium hic hymnus inscribitur Hymnus ieiunantium Cathemer. VII. duaeque tantum primae clausulae ex prolixissimo carmine desumptae sunt. Gron. habet totum. In singulis ecclesiis tempore Quadragesimae hymnum supra positum cantatum esse (Radulphus ad laudes) testantur libri Wimpfelingii, Torrentini, Clichtovaei, Cassandri; in breviariis carmen non inveni. — J. Ed. Parm. *Sic vetustiores codd. apud Weitz. et Heine., ex Vaticanis unus tantum habet „dux“ quod editiones non nullas occupavit.* (e. g. Fabr.) Sed certum est in libris ecclesiasticis ubique inveniri dux, quae scriptura com-

commendatur loco Matth. II, 6.: *et tu Bethlehem, terra Iuda — — ex te exiet dux qui regat populum meum Israel.* 3. Parsimoniae castae, quae castitatem mirum quid sustinent ac fovent. 7. Male Weitzius vividi. 9. Cass. ne infundas crapulam Gron. arvinam putrem Cell.: *arvina pinguedo est et adeps, luxuriae fructus, hoc est abundantioris cibi et potius: ideoque „crapulam resudans" arguit causam unde orta sit.* 10. Wimpf. ingenia premat. 11 – 15. Doxologia non est Prudentii.

CX.

Hymnus quadragesimalis.

Cultor Dei memento,
Te fontis et lavacri
Rorem subisse sanctum,
Te chrismate innovatum.

Fac, cum vocante somno
Castum petis cubile,
Frontem locumque cordis
Crucis figura signet.

Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebrae,
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.

Procul o procul vagantum
Portenta somniorum,
Procul esto pervicaci
Praestigiator astu.

O tortuose serpens,
Qui mille per maeandros
Fraudesque flexuosas
Agitas quieta corda:

Discede, Christus hic est,
Hic Christus est, liquesce:
Signum, quod ipse nosti,
Damnat tuam catervam.

Corpus licet fatiscens
Iaceat recline paulum,
Christum tamen sub ipso
Meditabimur sepore.

Ex hymno Cathemer. VI. ante somnum v. 125—152 efficiunt carmen ecclesiae supra positum, quod ex Radulpho et Wimpfelingio in quibusdam ecclesiis ponebatur in Passione domini ad Completorium. Repperimus in Brev. Sarisburiensi. — 4. Cass.: *equidem legere malim innotatum „quod in nonnullis exemplaribus Prudentii reperitur* (in plurimis Weitzii, duobus Vatic.) *nisi verbi insolentia obstaret. Nam episcopus inungens intincto in chrisma pollice notam crucis in fronte designabat.* Plaudit viro docto Giselinus. Verum ut taceam plurimos codd. habere innovatum recte id tuetur Gronovius Observ. c. V. propter adfinita-

tem chrismatis et baptismatis et quia Optatus Afer de chrismate dixerit „*animum innovat*“ et Beda: *chrismate antistes novat per dona salutis.* 8. sqq. Cass.: *Crucis consignationem frequenti in usu apud priscos patres fuisse manifestum est, usque adeo ut nihil neque publice, neque privatim institueretur, cui non crucis obsignatio accederet. Immo non sacramenta rite peragi putabantur, nisi illis crucis signum tanquam signaculum quoddam imprimeretur, quo haud dubie nil aliud significare volebant, quam omnem tutelam et salutem in morte Christi haurire. Itaque crucis consignatio sacramenti quoddam genus habebatur, unde et ab Hugone de S. Victore in eo sacramentorum genere ponitur, quod in factis consistit.* Tertull. de cor. mil. c. 3: *ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia* etc. Somno crucis signum praemissum alius eiusdem scriptoris locus ostendit. Dissuadens coniugium cum infideli affert hoc incommodum quod uxor fidelis vix possit latere ob signaculum crucis. „Latebisne tu cum lectulum et corpusculum tuum signas.“ Fiebat autem signum crucis sollemniter in fronte; rariores sunt loci de pectore atque ore. Persilis est loco nostro 77, 4 sq.: *redeunt tempora noctis, ergo crucis signaculo tutemur aulam pectoris, serpens vetus ne callide intrare tentet limina.* Neque ab antiquo et sancto more alienus est Lutherus: *Des Abends, wenn du zu Bett gehst, sollst du dich segnen mit dem heiligen Kreuze und sagen u. s. w.* Unde vides crucis signaculum et evangelico homini minime esse reiciendum. Idem docet Ludecus in Vesperali: *absque pietatis offensione figuram crucis ut symbolum, quod nos de Christi victoria admoneat aut ut tesseram militum Christianorum qua testemur nos esse diaboli et membrorum eius hostes, vera fide usurpari posse iudico. Cui enim non liceret uti crucis signaculo ut doctrina memoriali historia μνημοσύνῳ et triumphali signo devicti diaboli.* 16. Weitz. praestrigiator. Egmond. Cell. actu. 18. Fabr. *Maeandri nomen pro quibusvis flexionibus et diverticulis non sine fraude et consilio excogitatis accipitur.* 23. 24. Notum daemonum catervam per crucis signaculum turpiter fugari, sed explicationem flagitant verba quod ipse nosti. Ubicunque autem daemones viderunt signum crucis, fugiunt timentes ut canes baculum, quo plagam acceperunt. 25. Cod. Gold. fatescens. 26. Wimpf. taceat. Giselinus: *Alii „reclive“* (e. g. Sb. Ell. Fabr.) *secutus sum MS. et iudicium doctissimi viri Dionysii Lambini. Ita enim scio illum legere in suo Horat. Locus quaerenti ut fit mihi non se obtulit.* Faciunt cum Gisel. Weitz. Cass. Ed. Parm. et al. 27. Ald. paulo Torr. Wimpf. paululum. 28. Cod. Widm. Sb. Wimpf. meditabitur.

CXI.

Sabbato Sancto de Cereo Paschali.

Inventor rutili dux bone luminis,
Qui certis vicibus tempora dividis,
Merso sole chaos ingruit horridum:
Lumen redde tuis Christe fidelibus.

Quamvis innumero sidere regiam
Lunarique polum lampade pinxeris,
Incussu silicis lumina nos tamen
Monstras saxigeno semine quaerere.

Ne nesciret homo spem sibi luminis
In Christi solido corpore conditam,
Qui dici stabilem se voluit petram,
Nostris igniculis unde genus venit.

Pinguis quos olei rore madentibus
Lychnis aut facibus pascimus aridis,
Quin et fila favis scirpea floreis
Presso melle prius collita fingimus.

Vivax flamma viget seu cava testula,
Succum linteolo suggerit ebrio,
Seu pinus piceam fert alimoniam
Seu ceram teretem stuppa calens bibit.

Splendent ergo tuis muneribus pater
Flammis mobilibus scilicet atria,
Absentemque diem lux agit aemula
Quam nox cum lacero victa fugit peplo.

O res digna, pater, quam tibi roscidae
Noctis principio grex tuus offerat
Lucem qua tribuis nil pretiosius,
Lucem qua reliqua praemia cernimus.

Tu lux vera oculis, lux quoque sensibus,
Intus tu speculum, tu speculum foris,
Lumen quod famulans offero suscipe
Tinctum pacifici chrismatis unguine.

Per Christum genitum summe pater tuum
In quo visibilis stat tibi gloria

Qui noster dominus, qui tuus unicus
Spirat de patrio corde paraclitum.

Per quem splendor, honos, laus, sapientia
Maiestas, bonitas et pietas tua,
Regnum continuat numine triplici
Texens perpetuis saecula saeculis.

Hymnus Cathemer. V. in omnibus codicibus Weitzii, in Vaticanis probatioribus inscribitur: ad incensum lucernae. Ut placet Edit. Parmensi, praeter Mss. Cod. auctoritatem id suadet libri Cathem. ordo, ut quintus hymnus intelligendus sit de Vesperis, in quibus sollemni more accendi lucernas Prudentii aevo mos fuerit: item Sirmondus ad Ennodium, Menardus in Observ. ad concord. regul. cap. 24 §. 2. Mabillon de liturg Gallic. 2. p. 141 sq. hymnum ad accendendas in lucernario lucernas fuisse compositum decreverunt. In Fabricii et Geselini editionibus: ad incensum Cerei Paschalis, quae inscriptio in editione Prudentii perversa, in hymnario ecclesiastica probanda. Delibavit enim ecclesia strophas carminis Prudentiani decem, quae recitarentur Sabbato sancto in Benedictione cerei: v. 1—20. 25—28. 149—164 *). Cass.: *hunc hymnum in sabb. sancto cantari solitum, testatur Rupertus Tuitiensis de div. offic. V, 28. Pertinet itaque ad consuetudinem eius aetatis, qua sabb. sancto inclinante in Vesperam ille ante sollemnem baptismi celebrationem cereus a diacono consecrari solebat, ac novo igne qui aut ex silice percusso aut crystallo soli obiecta eliciebatur, accendi. Unde et postea cerei neophytorum, quos illi manibus tenebant, incendebantur. Isque cereus per singulos septem dies vespertino tempore ad sacrum Neophytis progredientibus, praeferebatur, quo cereo columnam illam ignis quae in deserto Israelitas per noctem antecedebat, designari volebant — — atque secus si fiat decorum minus servatur, qua de re gravissimae querelae passim leguntur apud expositorem Romani ordinis. Hunc enim vitium nihil peius habuit, quam quod sua iam tum aetate non nulla in ecclesiasticis officiis minus apposite et rite parumque institutis maiorum convenienter fieri animadverteret. De hoc igitur sabbato sic loquitur. „Nox est solis absentia absconditi, terrarum umbra donec ab occasu redeat ad exortum, iuxta quod in Dei laudibus Psalmista decantat: „sol cognovit occasum suum posuisti tenebras et facta est nox.“ Igitur quam illicitum sit et quam inconveniens atque contrarium iustitiae ante initium noctis celebrare*

---

*) Tamen non omnes libri in versuum numero et ordine consentiunt. Torr. 1—20. 25—28. 161—164. Wimpf. 1—20. 149—164. Miss. Strig. v. 1—20. v. 149—160. Proc. Eb. v. 1—8. v. 154—164. Benedict. Lips. v. 1—16. v. 25—28. v. 17—20. v. 149—152. v. 160—164.

sacramenta, quae pertinent ad vigilias paschae, manifestum est, pariter ex ipso officio eiusdem noctis atque ex scriptis sanct. patrum et exemplis.“ Quid quaeso hunc dicturum putas, si hoc tempore vidisset non solum ante noctem sed etiam ante meridiem, nocti propria officia celebrari ac clarissimam vigente plerumque solis fulgore lucem noctem appellari), absentibus etiam his personis, quarum gratia potissimum haec actio est instituta h. e. baptismi candidatis. Quamquam hodie intelligo, nonnullis in locis consuetudinem esse ut infantes aliquot in hunc diem baptizandi serventur — — ad haec in libro quodam non contemnendo, cui titulus „Summa quae vocatur sinistra pars oculi sacerdotis“ hoc modo scriptum repperi: „Pueri nati per octavas ante Pascha aut ante Pentecosten debent reservari ad baptizandum in sabbato sancto et in Vigilia Pentecostes si absque periculo valeant reservari.“* — Carmen ecclesiae „Inventor rutili“ ex testimonio Meratii legitur in Ordine Romano veteri: ego repperi in Missali Strigoniensi (an. 1497. typis descripto) in Processionali Eboracensi, in libro, cui titulus est: Agenda v. Benedictionale commune agendorum cuilibet pastori ecclesiae necessarium impressum Liptzg. per Melchior lotter. (sine anno; scatet viti iis). Neque desideratur apud monachum Salisburgensem (Haupt u. Hoffmann Altdeutsche Blätter II. 4. p. 325 sqq.) qui annotat „*ein siverer ympnus den singt man an dem Osterabend so man das fewer weicht.*“ Praeterea in libris Wimpfel. Cass., Torrent., Clicht., Elling. in Cod. E. Miramur recentiores Prudentii editores non adiisse Casp. Barthii Advers. IX, c. 20. Nam ex scheda manuscripta ab amico donata vir doctissimus scripturae varietatem itemque alia haud contemnenda evulgavit. — 4. Cod. Bong. lucem Christe tuis. 5. Strig. regium. 9. Edit. Parm.: *ante hunc versum in edit. Fabricii et Sichardi inserti reperiuntur alii quatuor versus* (apud Edd. quoque) *quos cum probationis fidei vadd. non habeant exulare iussit Heinsius. Hi autem tales erant:*

Hoc signas opere conditor inclyte
Lumen veridicum mentibus omnium
In Christo domino quaerere ingiter
Quem petram loquitur doctor egregius.

Sane, si hoc tetrastichon conferas cum vulgato quod a. v. 9. videbis ad sensum quod attinet prorsus convenire. Fieri itaque potuit, ut Pr. in prima sui operis evulgatione ita scripserit, ac postea emendaverit, ut habent membranae praestantiores. Simili ratione Barthius hos versus soloecos, numeris verbisque obscuros et spurcos iudi-

*) Praecipue in cantico: Exultet angelica turba quod nunc canitur ad benedictionem cerei; e. g. haec nox est, quod saepe repetitur, tu vere beata nox etc. De Vigiliis paschalibus sublatis cf. Augusti Denkwürdigkeiten II. p. 216 sqq.

cat. 12. Barth.: *elegantissima lectio in eodem antiquo cod.* (de quo supra egimus) *exstat:* „*unde penus venit.*“ *Quam recipiendam contenderim quovis pignore. Perscite enim inexhausta illa semina flammarum, quae petra suppeditat, penum in ea ignium esse atque scintillarum arguit. Nil potuit magis poeticum, magisque venustum excogitari. Notanda autem est ratio a nostri aevi diversa conficiendorum lychnorum, neque eam tam vive vereque ullo alio antiquitatis loco inveniri arbitror quam suppeditatur a duobus sequentibus strophis.* v. 13—20. Dissuadent ne penus recipiamus reliqui codices et editiones ad unam omnes. 13. Cass.: al. pingui. 14. Cass. male lignis. Egm. Hailsbr. et ecclesiastici omnes ac. In voce fax derivanda miramur Isonem: *fax dicitur a comedendo: fage graece comedere, nam facula i. e. cortex arboris materiam praestat igni comedendi.* 15. Beb. Bened. Lips. stirpea. 16. B. Lips. presse. 21. B. Lips. lucent — luminibus. 22. Hailsbr. Palat. nobilibus. B. Lips. longis ordinibus. 23. 24. Barth.: *nox peplum protendere dicitur a poetis unde* ἀναπέτασις *a Graecis nuncupatur. Cum autem incenso lumine dies velut exprimitur, elegantissime lacerum eum peplum noctis scindi velut ipsamque paullum fugari dicit ingeniosissimus poeta. Nec audienda est glossa, quam in ea scheda invenio his verbis conceptam:* „*peplo lacerato linteo ex quo lychnus efficitur. Quae alioquin satis tamen acuta fuerit.* Mihi quidem quovis interpretationis monstro videtur monstrosior. 24. Wimpf. nox quam. 25. Weitz. Cass. e. a. Deus Wimpf. Clicht. rosidae. 27. Wimpf. luce. Strig. Bened. Lips. quam. 28. Wimpf. B. Lips. luce. Strig. cernemus. Barth: *non intelligo glossam eam, quae in codice calamo exarata est apposita* „*reliqua pollicita*“ *nisi ad aeterna gaudia in aeternum quoque luce futuris praeparata et promissa respexerit.* 30. Strig. speculum tu foris. Proc. Eb. (at) foris. 31. Wimpf. tibi famulans. 32. Proc. Eb. pacificae — virgine. Strig. inguine. Oleo ex olivis expresso, quae insigne pacis sunt cf. H. 31, 27. 34. Clicht.: al. invisibilis. 36. Wimpf. spiras. Locus memoratu dignissimus quo demonstratur iam illo tempore hanc loquendi formulam „Christus spirat spiritum sanctum“ orthodoxis hominibus fuisse usi tatam. Verbum spirare est verbum apud poetas quoque sollemne de actione patris et filii, qua ab utroque procedit spiritus sanctus, unde saepissime spiramen dicitur cf. H. 10, 6. *mysticum spiramen.* Sedul. Op. pasch. II, 176: *sacro spiramine plenum insidiis tentator adit.* 39. Cod. Widm. et Gold. contineat Vat. duo et Bened. Lips. nomine. 40. Proc. Eb. perpetue.

CXII.

In Transfiguratione Domini.

Quicumque Christum quaeritis
Oculos in altum tollite:
Hic licebit visere
Signum perennis gloriae.

Illustre quiddam cernimus,
Quod nesciat finem pati,
Sublime, celsum, interminum,
Antiquius coelo et chao.

Hic ille rex est gentium,
Populique rex Judaici,
Promissus Abrahae patri
Eiusque in aevum semini.

Hunc et prophetis testibus
Isdemque signatoribus
Testator et pater jubet
Audire nos et cernere.

[Jesu, tibi sit gloria
Qui te revelas parvulis
Cum patre et almo spiritu
In sempiterna saecula.]

Pius V. pontifex, cum Breviarium Romanum recognosceret atque haud pauca emendaret mutavit in Officio Transfigurationis *) hymnos consuetos. At vero utrisque Vesperis cantari

---

*) De huius festivitatis historia adeas quos in archaeologia Christiana noveris principes et quasi antesignanos. Neque tamen a re esse alienum videtur e nostris paucula adiicere. Primum tenendum circa a. 1500 festum Transfigurationis a permultis ecclesiis in Germania nondum esse celebratum: desideratur e. g. in calendario eccl. Havelbergensis, Brandenburgensis, Numburgensis, in Brev. Cisterc. Bened. e. a. Brev. Mindense officium sollemnitatis non exhibet sed in festo S. Sixti addit haec: „Item eodem die servatur in ecclesia M. et etiam in quibusdam aliis ecclesiis novum festum, Transf. salvatoris.“ In Calend. adscripta est Octava. Porro chronologis id opus est observare, propter diem S. Sixti et sociorum apud multos Transfigurationem Domini non celebrari die VI. Augusti: ita in Calendario eccl. Coloniensis s. IX. die XXVII. Iulii, in eccl. Misnensi XVII. Martii, Merseburg. XXXI. Iulii, Halberstadensi III. Septemb. Referunt denique plurimi scriptores, eodem hoc die Transfigurationis sanguinem ex novo vino, si inveniri possit, aut aliquantulum ex matura uva in calicem expressa fieri et racemos benedici indeque homines communicare. Nec tamen fingas tibi caerimoniam Transfigurationi propriam; idem antiquitus observabant in honorem S. Sixti. Continet Benedictionale Lipsiense (cf. p. 133) „Benedictionem uvarum in festo S. Sixti“ inserendam canoni missae post verba quaesumus largitor admitte. „Benedic domine et hos fructus novos uvae quos tu domine de rore

voluit hymnum: Quicumque Christum quaeritis, confectum ex Cathemer. XII. de Epiphania v. 1—4. 37—44. 85—88. Nam quae de stella solis rotam vincente deque redemptore gentibus revelato Prudentius cecinit, ad Transfigurationem referuntur. Non male. Et ipsa est revelatio Domini, in lumine divino apparentis idemque sibi vult adiecta doxologia, quam Prudentii non esse sciunt omnes. — 8. Weitn. choo. 15. apud Prudentium sator. 16. in Prud. adire regnum et cernere Egmond. Pal. audire.

CXIII.

De S. Laurentio M.

En martyris Laurentii
Armata pugnavit fides,
Nam morte mortem diruit
Ac semet impendit sibi.

Fore hoc sacerdos dixerat,
Iam Xystus afixus cruci,
Laurentium flentem videns
Crucis sub ipso stipite.

Desiste decessu meo
Fletum dolenter fundere,
Praecedo frater, tu quoque
Post hoc sequeris triduum.

Extrema vox episcopi
Praenuntiatrix gloriae,
Nihil fefellit, nam dies
Praedicta palmam praestitit.

Cass.: *Pars est longioris hymni:* (Peristeph II.) *periodus autem prima ex tertio versu quartae periodi, et primo, tertio ac quarto versu quintae periodi conflata est, reliquae tres ordine consequuntur. In primo autem versu loco adversativae „sed“ demonstrandi particula „en“ suffecta est.* Rarissimus est hymnus in Breviariis (ut in Hv.): obvius erat in Hilarii, Cassandri, Wimpfelingii et Torrentini libris, apud Thomasium exstat prout ponitur in Brev. Mozarabum. Commemoratur a Radulpho. — 2. Ald. pugnabat. 3. 4. B. Moz. postquam sapor dintinus decoxit exustum latus. carm. Prud. v. 397. 398. 5. Fabr. Cod. Bong. haec. 9. Hv. discessu cf. H. 92, 5 sq. 10. al. fletus. — Addit B. Moz. et Hv. stropham quintam: Sic sancte Laurenti tuam Nos passionem quaerimus Quod

coeli et inundantia pluviarum et temporum serenitate atque tranquillitate ad maturitatem perducere dignatus es et dedisti eos cum gratiarum actione percipere.“

quisque supplex postulat Cunctis faciendo protegat in Prud. v. 548. 550. 565: verba novissima unde desumpta sint nescio.

CXIV.

De uno martyre.

Beate martyr prospera
Diem triumphalem tuum,
Quo sanguinis merces tibi
Corona vincenti datur.

Hic te ex tenebris saeculi
Tortore victo et iudice,
Evexit ad coelum dies
Christoque ovantem reddidit.

Nunc angelorum particeps
Collucis insigni stola,
Quam testis indomabilis
Rivis cruoris laveras.

Adesto nunc et percipe
Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum patris.

Miserere nostrarum precum,
Placatus ut Christus suis
Inclinet aurem prosperam
Noxas nec omnes imputet.

In Breviariis nou investigavi, sed in libris Cassandri, Clichtovaei, Ludeci, Ellingeri (qui non nulla mutavit.) Cass.: *Ex prolixo hymno* (Peristeph. V.) *qui b. Vincentii martyris certamen continet, paucae hae clausulae desumptae sunt* (v. 1—12. v. 545—548. v. 557—560.) *sed ad quemlibet martyrem accommodatae, quare necessum est ut haec dictio „Vincenti" quae apud Prudentium vocandi casu a recto proprii nominis Vincentius posita est, hic in dandi casu a recto participio vincens inclinata intelligatur.* — 10. Cell.: *Sic Heinsius ex Puteano codice p. 92. ad Humart. 626 emendat. Idem autem quod „colluces" sed in tertia forma: ut alia poetis sunt formae geminae: considere, lavare et lavere e. a.* Iso: *Quando sanctus a praesenti vita transit quasi una stola lucet. Cum vero dies iudicii venerit et animo et corpore remunerabitur, tunc duabus stolis colluxet.* 12. Clicht.: al. lacerat.

CV.

In exequiis defunctorum.

Iam moesta quiesce querela,
Lacrimas suspendite matres;

Nullus sua pignora plangat,
Mors haec reparatio vitae est.

Quidnam sibi saxa cavata,
Quid pulchra volunt monumenta,
Res quod nisi creditur illis
Non mortua, sed data somno.

Nam quod requiescere corpus
Vacuum sine mente videmus,
Spatium breve restat ut alti
Repetat collegia sensus.

Venient cito saecula, cum iam
Socius calor ossa revisat,
Animataque sanguine vivo
Habitacula pristina gestet.

Quae pigra cadavera pridem
Tumulis putrefacta iacebant,
Volucres rapientur in auras
Animas comitata priores.

Sic semina sicca virescunt
Iam mortua, iamque sepulta
Quae reddita cespite ab imo
Veteres meditantur aristas.

Nunc suscipe terra fovendum
Gremioque hunc concipe molli:
Hominis tibi membra sequestro,
Generosa et fragmina credo.

Animae fuit haec domus olim,
Factoris ab ore creatae;
Fervens habitavit in istis
Sapientia principe Christo.

Tu depositum tege corpus:
Non immemor ille requiret
Sua munera fictor et auctor
Propriique aenigmata vultus.

Veniant modo tempora iusta
Quum spem Deus impleat omnem,
Reddas patefacta necesse est
Qualem tibi trado figuram.

Hymnus Cathemerinon decimus Deus ignee fons animarum est exsequialis. Plurimi inscribunt: circa exsequias defunctorum, Ald. in exequiis def. Fabr. ad defunctorum exequias. Hymnum appellat plane divinum Barthius (Adv. XXI, 4.) nulloque verborum ambitu, nulla copia eruditionis hoc spiritus sancti *αὐτοπόνημα* posse enarrari viro doctissimo satis certum est (Adv. XLII, 10.). In Breviariis, Ritualibus, Hymnariis vetustis nullum quod sciam celebratissimae naeniae vestigium: exstat autem hymnus exsequialis ex ipsa concinnatus (V. 117—120. v. 53—56. v. 33—44. v. 121—140.) in Rambachii Anthologia p. 82; neque deest carmini doct. viri laudatio atque doctrina. Refert autem haec (p. 76.): *Dieser Gesang, ohnstreitig von allen der gelungenste, ist*

erst in spätern Zeiten und wie es scheint nicht vor der Reformation als Kirchengesang eingeführt. Er war lange das gewöhnliche Begräbnisslied der Protestanten und wurde sowohl lateinisch als deutsch (in der bekannten Uebersetzung: „Hört auf mit Trauern und Klagen") gesungen. Quod monet vir doctus de Romana ecclesia, hymni Prudentiani prorsus oblita, ego alia mihi placere fateor. Enimvero apud Thomasium legitur carmen: Deus ignee fons animarum, quod Prudentii v. 1—16. 45—48. 56—68. 157—168. continet. Id huic loco subiiciendum putavi

Deus, ignee fons animarum,
Duo qui socians elementa
Vivum simul ac moribundum
Hominem, pater, effigiasti.

Tua sunt, tua rector, utraque
Tibi copula iungitur horum:
Tibi, dum vegetata cohaerent,
Spiritus simul et caro servit.

Rescissa sed ista seorsum
Solvunt hominem perimuntque:
Humus excipit arida corpus,
Animae rapit aura liquorem.

Quia cuncta creata necesse est
Labefacta senescere tandem,
Compactaque dissociari,
Et dissona texta retexi.

Hinc maxima cura sepulcris
Impenditur: hinc resolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.

Hoc provida Christicolarum
Pietas studet: utpote credens
Fore protinus omnia viva,
Quae nunc gelidus sopor urget.

Qui iacta cadavera passim
Miserans tegit aggere terrae,
Opus exhibet ille benignum
Christo pius omnipotenti.

Quin lex eadem monet omnes
Gemitum dare forte sub una,
Cognataque funera nobis
Aliena in morte dolere.

Sequimur tua dicta, redemptor,
Quibus atra e morte triumphans,
Tua per vestigia mandas
Socium crucis ire latronem.

Patet, ecce, fidelibus ampli
Via lucida iam paradisi:
Licet et nemus illud adire,
Homini quod ademerat anguis.

Illic, precor, optime ductor,
Famulam tibi praecipe mentem
Genitali in sede sacrari
Quam liquerat exul et errans.

[Animas non immemor ob hoc *), 45
Quarum memores sumus ipsi,
Deus forte reganus:
Apertis erebi regis fac alienas.]

Sit honor tibi, fons pietatis,
Laus, gloria, summa potestas etc.

Nisi egregie fallor, hac Thomasii auctoritate fretus, carmen Prudentii in Italiae provinciis olim exsequiis defunctorum inserviisse, pro certo possum affirmare. Utcunque est, non potuit fieri, ut laudatissimum hymnum praetermitterem. — 5. sqq. Cic. Tusc. I, 12: *caerimonias sepulcrorum maximis ingeniis praediti nec tanta cura coluissent nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent nisi haesisset in eorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem et delentem sed quandam migrationem commutationemque vitae quae in claris viris et feminis dux in coelum soleret esse, in ceteris humi retineretur et permaneret tamen.* 7. Weitz. Gallaud. nisi quod res. 8. Cath. 1, 25. 26. *hic somnus ad tempus datus est forma mortis perpetis.* Ennod. H. 118, 3 sqq. *ut viva dulci funere Reconvalescant corpora. Mortis figura blandior* etc. 11. 12. Ramb.: in kurzem wird der hohe Geist sich dieser Hülle neu vermählen.“ 17. Vatic. unus Fabr. nigra. 19. I. Thessal. IV, 16. *rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra.* 24. Barth. Adv. XLIV, 29: *meditari aliquid elegantissima dicitur res etiam rationis expers, cum id eo usque apud eam venerit, ut mox faciendum sit, similitudine avicularum quae cum meditantur proximae sunt cantui. Ita Christiani scriptores rerum omnium successiones meditari resurrectionem a vitiis et morte ipsa dicunt, instar frugum quarum semina meditantur aristas. Sic apud Prudentium — — Suavissimus Paullinus noster dicto panegyrico CCXXIX „cuncta resurgendi faciem meditantur in omni corpore.“ Simili translatione Manilius undam in occultis antris murmur meditari dixit, quo nihil iucundius dici potest ad modulatum illum sonum quem mox erumpens in aëra facit, Astron. II, 53. 54. Et integra quaeramus rorantes prata per herbas Undamque occultis meditantem murmur in antris.“* Sed magis affinis est Prudentio auctor carminis de rosis (Wernsdorf Poet. Lat. min. VI. p. 107 sqq.) v. 171. 172. canit ille de rosa: *vertice collectos illa exsinuabat amictus iam meditans solito se numerare suis.* 25. Egm. favendum. Nebr.

*) „Qui sequuntur versus non sunt Prudentii sed efficiunt formulam liturgicam, qua petitur mortuis Dei venia et a potestate diaboli liberatio. Hodie: „A porta inferi erue domine animas eorum.“

Terram alloquitur quasi defuncti matrem. 26. Sit illi terra levis. 27. Kehrein.: *In einer alten Ausg. oder Handschr. muss „nominis" stehen, worauf die Bemerkung des A. A. Nebris. sich bezieht: „nominis membra i. e. partem minimam, quae retinet tantum nomen ut dicatur, hic est Antonius." Diese Erklärung ist hier wohl nicht passend.* At vero prorsus nescio quid vir doctus sibi volverit. Neque in ulla membrana legitur nominis, nec Nebrissensi talia unquam in mentem venerunt. Verba autem haec sunt; „membra hominis partem minimam totius, quae retinet tantum nomen, ut dicatur: Hic est sepultus Antonius aut Ioannes." Quae omnia satis perspicua videntur. 28. Meminisse iuvat Schilleri nostri; *Noch köstlicheren Saamen bergen wir trauernd in der Erde Schooss.* 31. In Hailsbronn. hic insertus est versus: cui nobilis ex patre fons est. Dicitur sapientia fervens quia ex Prudentii opinione animarum natura est ignea, unde v. 14. socius calor ossa revisat et initio: Deus ignee fons animarum. Nobilissimus autem locus est Hamartig. 543 sq. *nec segnis natura animae est — — ignitum quoniam Deus indidit olli ingenium purum, sapiens, subtile, serenum, mobile, sollicitum, velox, agitabile, acutum.* 34. Weitz. ille. 35. Hailsbr. factor. 36. Male Nebr. suadet legere schemata. 37. Cod. Gold. veniunt. Widm. venient.

CXVI.

Hymnus Vespertinus.

Noctis tempus primordia — Tu omnibus da gratiam,
In laudibus transigimus, — Tu fessa quoque alleva,
Nunc te precamur Trinitas, — Errata dele criminum,
Ut praecinentes audias. — Exclude inge scandalum.

Lux vera nos illuminet,
Mentis tenebras effuget,
Ut pax abundet omnibus
Qui te, creator, credimus.

Hymnus supra positus cum duobus qui sequuntur sub Prudentii nomine feruntur in Brev. Mozarabum. Ita Thomasius in Hymnario.

CXVII.

Hymnus Vespertinus.

Obsidionis obvias
Paremus omnes carminum
Contra tenebrarum ducem,
Contra tetrum satellitem.

Manus perarmet spes, fides,
Lumbos valens crux obtegat,
Cingamur ense spiritus
Propter timorem noctium.

Iesu, manu fortissima
Salva fideles per fidem,
Everte adversos cruce,
In pace cuncta protege.

CXVIII.

De S. Maria.

Hymnum Mariae virginis
Decantemus cum angelis,
Quam Christus Dei filius
Sanctificavit utero.

Assumptionem ipsius
Celebremus cum angelis,
Concessa nobis requie,
Remotis pravis hostibus.

Mater quae virum genuit,
Mater quae Christum meruit,
Virgo ante partum quae fuit,
Virgo post partum claruit.

Christus de Deo genitus,
Non raptum faciens Deo,
Formam servi suscipiens
Servile corpus induit.

Nec fessus fregit virginis
Egressus templum atriis,
Sed claustrum quod invenerat,
Clausum reliquit virginis.

O vere sacer alveus,
Cuius milesque gloriae;
Quem coelum terra non capit,
Virginis vere uterus.

Sed nos ad te concurrimus,
Alma parens et poscimus:
Erue nos de gentibus
Tuis beatis precibus.

Per tuum unigenitum,
Quem genuisti dominum,
Coeli petamus gremium
Diu per omne saeculum.

F.

COELIUS SEDULIUS.

CXIX.

De Nativitate Domini.

Libr. vet.	Brev. Rom.
A solis ortus cardine	A solis ortus cardine
Ad usque terrae limitem	Ad usque terrae limitem,
Christum canamus principem,	Christum canamus principem
Natum Maria virgine.	Natum Maria virgine.
Beatus auctor saeculi	Beatus auctor saeculi
Servile corpus induit,	Servile corpus induit,
Ut carne carnem liberans	Ut carne carnem liberans
Ne perderet quos condidit.	Ne perderet quos condidit.
Clausa parentis viscera	Castae parentis viscera
Coelestis intrat gratia,	Coelestis intrat gratia:
Venter puellae baiulat	Venter puellae baiulat
Secreta quae non noverat.	Secreta quae non noverat.
Domus pudici pectoris	Domus pudici pectoris
Templum repente fit Dei;	Templum repente fit Dei,
Intacta, nesciens virum	Intacta, nesciens virum
Verbo concepit filium.	Concepit alvo filium.
Enixa est puerpera	Enititur puerpera
Quem Gabriel praedixerat,	Quem Gabriel praedixerat,
Quem matris alvo gestiens	Quem ventre matris gestiens
Clausus Ioannes senserat.	Baptista clausum senserat.
Foeno iacere pertulit,	Foeno iacere pertulit,
Praesepe non abhorruit,	Praesepe non abhorruit
Parvoque lacte pastus est	Et lacte medico pastus est
Per quem nec ales esurit.	Per quem nec ales esurit.

Gaudet chorus coelestium 25
Et angeli canunt Deo
Palamque fit pastoribus
Pastor creator omnium.

Gaudet chorus coelestium 25
Et angeli canunt Deo
Palamque fit pastoribus
Pastor creator omnium.

Gloria tibi Domine — vel:
Summo parenti gloria etc.

Inter opera C. Sedulii legitur hymnus alphabeticus omni pietatis affectu plenissimus quo ille Christi miraculorum nobilis praeco totam redemptoris vitam persequitur. Ab hoc dulcissimo carmine ecclesia non potuit quin sibi flosculos quosdam delibaret. Concinnavit autem hymnos duos, quorum prior de Nativitate Domini continet paeanis v. 1—28, alter de Epiphania v. 29—36. et 41—44. Prior de nato servatore: A solis ortus cardine omnia ornat breviaria et hymnaria, quae ad manus sunt, si vetustum Carthusiensium excipias *). Itidem fere ubique ponitur ad Laudes in Nativ. Domini et per Octavam. Neque minus testimonio est antiquae carminis honestatis interpretationum germanicarum multitudo. Vetustissima est monachi Salisburgensis: Von anegeng der sunne klar „*Zw den weynachten der fröleich ympnus „A solis ortus cardine“ vnd so man daz kindel wiegt über das Resonet in laudibus hebt vnser vraw an ze singen in ainer person Yoseph lieber neue mein. So antwort in der andern person Yoseph geren liebe mueme mein Darnach singet der kor dy andern vere in ainer dyenner weis. Darnach den kor* **).“ Se-

*) Ordo Carthusianorum horridam disciplinae asperitatem et paucitate festorum, suo calendario adscriptorum et exiguo hymnorum numero cognosci voluit. In vet. Brev. cuius modo mentionem feci, per totum annum leguntur hymni XXVI.

**) Ipse scio et nunc in quibusdam ecclesiis Germaniae (de reliquis nil compertum habeo) Nativitatis nocte similia fieri. In choro ecclesiae sacerdotes pauois luminibus accensis puerum quaerere, tandem invenire, inventum lacertis suscipere, sursum deorsum movere, populo ostendere, adorare. Magna in his simplicitas. Maior personarum actionisque varietas, propriis Iosephi et Mariae partibus distincta, expressa videtur ea, quam supra posuimus, narratione, cui addendum est eorum, qui Iosephi et Mariae personas tenebant, carmen amoebaeum (Altdeutsche Blätter II, p. 341). Sequitur chorus.

1. Ioseph lieber nefe mein
hilff mir wiegen mein kindelein
das got muesz dein loner sein
in hymelreich: dy raine maid Maria

2. Geren

quitur carmen Henrici de Laufenberg: Verr von der sunne vfegang (Wackernagel D. K. p. 637): porro haec: Lasst vns von hertzen singen all. (Wackern. p. 559) et Mich. Weissii imitatio satis libera: Lobsinget Gott und schweiget nicht (W. p. 261). Notum est Lutheri canticum Christum wir sollen loben schon, danice teste Björnio Vi Christum love hver og een. Denique uberrimo commentario illustravit I. Weitzius in Heortologie. — 1—4 cf. H. 15, 1—4. Prud. Cathem. XII, 91. „a solis ortu ad exitum.“ 2. Beda M. et usque. 4. Cod. Almelov. Mariae virginis. 5. Hebr. I, 2. *locutus est in filio per quem fecit et saeculum.* 6. Prud. Cath. IX, 16. *corporis formam caduci membra morti obnoxia induit ne gens periret primoplasti ex germine.* Cath. XI, 45: *mortale corpus induit.* Haud scio an hic loci opportunitate permotus Barth. Adv. LIII, 12. apud nostrum quoque legi iubeat: mortale corpus induit. Codicum auctoritate non comprobatur neque aliis poetae effatis. Op. pasch. II. 56. *servilia summus membra tulit dominus.* Affert Weitzius lepidissimum locum Lutheri Ed. Viteb. Tom. I. p. 415: *Nulli*

---

2. Gerne liebe mueme mein
Ich hilf dir wiegen dein kindelein
daz got muesz mein loner sein
in hymelreich: du raine maid Maria.

3. Es sollten alle menschen czwar
mit ganczen frewden komen dar
do man fint der salden nar
den uns gepar: dy reine maid Maria.

4. Vns ist geporn Emanuel
alz vor gekünt hat Gabriel
des ist geczeug Ezechyel
o frones el: dich hat geporn Maria.

5. Ewiger vater ewigs wortt
Got vater mensch der tugende hort
In hymmel in erde hie vnd dort
der salden port: den vns gepar Maria.

6. O suesser Ihesus uns erkorn
dw west wol das wir warn verlorn
suen vns deines vatern czorn
dich hat geporn: dy raine maid Maria.

7. O klaines kind o grosser got
du leidest in der krippen not
der sunder hie verhandelt hat
der hymmel prot: das uns gepar Maria.

Neque vero eiusmodi ritus a Protestantium sacris aliena visa esse cum multa multarum ecclesiarum documento sunt tum illud, quod Hösslerus Vir humanissimus mihique amicissimus, mecum communicavit. Crimmitzchaviae enim, oppidulo ad Pleissam sito (unde ille est oriundus) mos fuit ut unus ex pueris, habitum cultumque angelorum referens, coronatoque capite fune demitteretur de tecto ecclesiae, cantans illud Lutheri carmen „Vom Himmel hoch, da komm' ich her.“ Neque prius ab ea consuetudine recessum est, quam aliquando accideret, ut funis rumperetur.

fuerunt unquam patres aut doctores qui non impropie sint locuti, si dicta eorum cavillari velis. Sedulius poeta Christianissimus canit: Beatus auctor saeculi servile corpus induit: idque per totam ecclesiam canitur, cum nihil dici possit magis haereticum quam naturam humanam esse vestem divinitatis. Non enim vestis et corpus unam constituunt personam. Tamen piissime sensisse Sedulium, cetera carmina probant evidentissime. 7. Saepissime in hoc versantur hymnographi ut carnem peccatricem carne Christi i. e. humana eiusdem natura esse redemptam et a potestate diaboli vindicatam H. 10, 23. 24. 39, 25. not. 8. Fabr. Zehn. quod. Gron. Bd. Cass. non. Luc. IX, 10: *venit filius hominis servare quod perierat.* 9. Valde discrepat scriptura. Nostram exhibent E. W. 2. H. cod. Almel. Bd. Aug. Hv. Hl. Msn. Mgd. Gron. Lips. Beh. Torr. Beb. Lud. Thom. Ex interpretum numero vertit H. de Lauffenb: der muter ader bslossen sind, die himelsch gnad doch inhin tringt. Clausae in Cod. Cantab. Fabr. Zehn. Gallandio. Castae in W. 1., edit. Ald. 1501 Antwerp. 1538, in Cassandro aliisque. Monachus Salisb. vertit der kewsche herczen schrein. Ex mea sententia mire fidem facit scripturae clausa vox intraudi, porro quod haec de porta clausa imago, quam solus Christus intraverit, vetustis poetis est acceptissima cf. quae adnotavimus ad H. 15, 13. Ipse Sedul. Op. pasch. II. 40.: *partus adest clausa ingrediens et clausam relinquens.* Weitzius: *At inquiunt Calvini asseclae „finitum non est capax infiniti“ At o stolidos qui candens ferrum non forcipe sed digitis contrectant. Quid enim Athenis commune cum Hierosolymis.* Et prolixa disputatione adversarios studet confiecre. 11. 12. Luc. I, 34. *quoniam virum non cognosco.* cf. H. 15, 45 sqq. not. 16. August.: *Deus per angelum loquebatur et virgo auribus impraegnabatur.* 17. Gall.: e. iam puerpera est Kehr. enixa est iam p. Fabr. Zehn. enixa iam p. est Sedul. Op. p. II. 63: *Salve sancta parens enixa puerpera regem* — quae verba efficiunt introitum in permultis B. Mariae festivitatibus cf. H. 109, 4. 5. *o beatus partus ille virgo cum puerpera edidit nostram salutem.* 21. P. C. Hilscherus in dissert. de erroribus pictorum circa Nativitatem Christi Lips. 1689. II. §. 6. haec monet: *tostum gramen plumarum humanitatem commodasse, aiunt pictores, canit ecclesia: „foeno iacere pertulit.“ Ac nemo quidem hunc ex foeno lectulum ad dubitationem demirabitur, qui stabulum cogitat et hospites immansuetos et Mariae pauperiem, at foeni caules corruptionis victores in nostra saecula sese reservasse, quis tandem, cui non foenum pro cerebro, mendaci Romae crediderit.* *) 22. Multi sunt poetae

*) Tangit scriptor, ingenti reliquiarum odio flagrans, illam quarundam ecclesiarum audaciam, qua se Christi praesepe, pannos, foenum etc. asservare inctabant, ut illud taceam, quod sane permirum est, similia de Christi praeputio in vulgus esse prolata. Sed aequum

Christiani in conquerendo Iesulo infante, qui in perduro praesepio, frigore vexatus, primum habuit ubi caput reclinaret. Iuvenc. Hist. Ev. I. 157: *cui durum cunas praesepe ministrat.* Fortunatus: *praesepe poni pertulit.* At vero omnes superat pii animi fervore ne dicam simplicitate I. Neunhertzius, haec plangens: *Ach allzuhartes Nest! liegt Jesus in der Krippen? ach, wär' ich da gewest, das wuenschen Herz und Lippen: Wie hätt' es mich geschmerzt, dass man dich so veracht; ich hätte dich geherzt und dir mein Bett gebracht.* 23. Demonstrat Weitzius lac in Mariae mamillis non ex genitali passione sed ex Dei omnipotentis miraculo ortum esse 24. Luc. XII, 6. *unus ex illis non est in oblivione coram Deo.* Hilarius et Wimpfelingus sub alite Mariam virginem latere significant. Item Henr. de Lauffenberg: mit wening milch es gspiset ist durch dz der muter nüt gebrist. 26. Cod. Cantab. Beb. Deum, Cod. Almel. dominum. 28. Ioan. X, 14. I. Petr. V, 4. Hebr. XIII, 20. Sedul. Op. pasch. II, 70 sq. *tunc primus ignaris pastoribus ille creatus emicuit quia pastor erat, gregibusque refulsit agnus.* In Wallraffii corolla additur versus: O qui parentis ubere Hic dona vitae postulas Da patris in convivio Nobis perennis flumina.

CXX.

De Epiphania Domini.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Hostis Herodes impie,	Crudelis Herodes, Deum
Christum venire quid times:	Regem venire quid times:
Non eripit mortalia	Non eripit mortalia
Qui regna dat coelestia.	Qui regna dat coelestia.
Ibant magi quam viderant	Ibant magi quam viderant
Stellam sequentes praeviam:	Stellam sequentes praeviam,
Lumen requirunt lumine,	Lumen requirunt lumine
Deum fatentur munere.	Deum fatentur munere.
Lavacra puri gurgitis	Lavacra puri gurgitis
Coelestis agnus attigit:	Coelestis agnus attigit,

est hoc meminisse, quod saepissime nostrates sicco pede praetereunt, minime in Catholica ecclesia in haereticorum numero numerari, qui de reliquia aliqua secus sentiant atque ecclesia.

Peccata quae non detulit
Nos abluendo sustulit.

Novum genus potentiae:
Aquae rubescunt hydriae,
Vinumque iussa fundere
Mutavit unda originem.

Summo parenti gloria — vel
Gloria tibi domine
Qui natus es de virgine etc.

Peccata quae non detulit
Nos abluendo sustulit.

Novum genus potentiae:
Aquae rubescunt hydriae,
Vinumque iussa fundere
Mutavit unda originem.

Gloria tibi domine,
Qui apparuisti hodie etc.

Hymnus in Epiphania omnibus ecclesiis usitatissimus continet Sedulii v. 29—36. v. 41—44. v. 49—51. Nam quas quaedam hymnaria interserunt strophas: Katerva matrum personat et Miraculis dedit fidem non sunt in usu ecclesiae *). Germanicum fecerunt ex vetustioris aetatis hominibus I. Spangenbergius „Herodes, höchster Gottes feind“ (Wack. p. 340.) et Lutherus „Was fürchst du Feind Herodes sehr.“ Danice „Herodes hvi frygter du.“ — 1—8. Prima Christi manifestatio quam in festo Epiphaniae celebrant fidelium coetus. 1. Cell. Gall. Corn. Loss. Herodes hostis i. 3. In codd. Sedulii, Fr. Pd. Lg. Cass. Clicht. eripit, quod bene convenit sequenti dat; H. E. D. 2. W. 2. Hl. Msn. Mgd. Hv. Bd. Aug. Gron. Lips. Wimpf. Torr. Beb. arripit. 5. Cell. qua venerant. *Ita Almel.; quod est, qua via ex oriente venerant eam persequebantur Hierosolymis Bethlehemum. Editi: „quam viderant“ ad stellam referentes,* Sane vero omnium librorum, quos vidi, constans est scriptura. 8. in nonnullis lumine. 9—12. Secunda Christi Epiphania. 9. Alii lavacrum. 13—16. Tertia Christi Epiphania. Iam supra ad H. 14, 25. adnotatum est veteres Christianos cogitasse de quarta maiestatis divinae manifestatione, nimirum recoluisse memoriam panis in deserto mire multiplicati. Quod vero memoratu multo dignius est, in sermone saec. XIII. (Hoffmann Fundgruben I. p. 85.) festo Epiphaniae habito, mentio iniicitur manifestationis quintae, quae temporum ordini parum videtur idonea. „*An diesem tage do irkücket er lazarum von dem tode unt gab uns suntaeren micheln trost, want alsen in ir-*

---

*) In uno Brev. Praedicatorum a. 1485 edito festo SS. Innocentium hic designatus est hymnus: Katerva matrum personat collisa deflens pignora quorum tyranni millia Christo sacravit victimam.

luckte an dem libe, daz er uns alsam erlœchet an der sele.“ Fortasse in nonnullis ecclesiis ille Seduliani carminis hymno additus erat versus, quo Lazarum Christi potentia resuscitatum commemorat (v. 61—64.). 16. W. 2. absolvendo al. abluendo. Aqua et vinum Christi miraculis clara, ex vetustorum Christianorum opinione recurrente Epiphaniae vel Nativitatis festo hanc miraculi naturam iterum accepere. Iam Chrysostomus narrat, multos sub mediam noctem illo die aquam haurire, domum referre ac recondere per integrum annum, hanc aquam vero adeo biennio et triennio saepe incorruptam permanere. Aegyptii et Aethiopes eadem nocte Nilum vineo sapore fluere contenderunt; alii de aliis fluviis et fontibus idem cf. Gretseri et Grou. Comment. ad Codinum p. 306. (ed. Bonn). Similia maiores nostri confabulati sunt cf. Grimm Deutsche Mythologie p. 328.

G.

S. MAGNUS FELIX ENNODIUS*).

CXXI.

Hymnus vespertinus.

Nigrante tectam pallio
Iam terra noctem suscipit,
Ut viva dulci funere
Reconvalescant corpora.

Mortis figura blandior
Bustum soporis admovet,
Anhela lucis aestibus
Dum mens tepescit otio.

Lux, Christe, vita, veritas,
Ne fusca somni tempora,
Tetris parata umbraculis,
Nos ad tenebras evocent.

Nox nulla nos subdat sibi
In noctis atrae tegmine
Sed nec caloris ebrii
Mentita pingat corpora.

Verum reatum nesciis
Falsi ministrans criminis,
Tu per quietis munera
Adsiste, custos pervigil.

Hostis procul sit callidus,
Quod laedit illud dormiat,
Qui dente saevo mandere
Certat cubantes lectulis.

Hic membra vinctus lugeat,
Pulsare sese quos foves,
Madente carne spiritus
Non enecetur naufragus.

Ornet cubile castitas,
Quae prima virtutum micat,
Vivat fides in pectore
Quae luce vernat perpeti.

---

*) Rambachius in Anthol. p. 93: „Kirchlich ist meines Wissens keine von den Hymnen des Ennodius geworden.“ Neque ego in ullo breviario carmen Ennodii inveni. Tamen cum in Thomasii Hymnario legantur compluria, ex Brev. Mozarabum desumpta in quibusdam provinciis olim in usu fuisse ecclesiae mihi certum videtur. Sirmondus hymnis Ennodii haec praefatur: „De hymnis porro qui sequuntur, etsi stylo et genio auctorem satis produnt Ennodium, aberant, tamen a manuscriptis, quorum ope nixi sumus. Quare cum reliqua esset coniecturae divinatio, qua parcius uti libuit, pauca eaque aperta et obvia mutavimus.“ Hymnorum, qui non leguntur in Thomasii libro quique carent doxologia, dedimus tantum exordia.

Sirmondus Thom. Hymn. et Ramb. Anthologia. — 8. Rbch. tepescat. 9. Ioan. XIV. 6. 21—28. omisit Ramb. 27. 28. Exprimit poeta his versibus imaginem sat inelegantem, ne dicam foedam et spurcam. Incitante diabolo polluuntur per somnum corpora, unde in libidinis spuma naufragium facit spiritus castitatis.

CXXII.

Hymnus vespertinus.

Christe precamur annue:
Mixtasque voces fletibus,
Semper benignus et pius
Venturam in noctem suscipe.

Te corda nostra somnient,
Te per soporem sentiant,
Tuamque semper gloriam
Vicina luce concinant.

Vitam salubrem tribue,
Nostrum calorem refice,
Tetram noctis caliginem
Claritas tua illuminet.

Hymnis vota persolvimus
Vesperque sacrum poscimus,
Nostrum delens chirographum.
Tuumque praestans editum.

Deo patri sit gloria etc.

Thom. H. Brev. Mozarabum in Quadragesima. — 15. Col. II, 14.

CXXIII.

Hymnus vespertinus.

Christe lumen perpetuum
Astrorum, fulgor siderum,
Noctem nostram illumina,
Conserva pura pectora.

Nullis incidat laqueis,
Nullis gravetur hostibus,
Nec maculentur corpora
Per soporem lascivia.

Custodi corda omnium,
Fidelissimque maxime,
Protectione propria
Tua Christe potentia.

Ut gratuletur anima
Vidisse lucem prosperam,
Implesse vota debita
Reddenda tibi, Trinitas.

Deo patri sit gloria etc.

Thom. H. Brev. Mozarabum. V. 8. Th. lascivia per soporem. 10. I. Tim. IV, 10.

CXXIV.

Hymnus vespertinus.

Christe, salvator omnium,
Coelorum sublimis Deus,
Tuam rogamus gloriam,
Dum prona volvitur dies.

Iam sol urgente vespere
Occasu suo graditur,
Mundum concludens tenebris
Suum observans ordinem.

Sic nos excelse domine,
Precantes tuos famulos,
Labore fessos diei
Quieta nox suscipiat.

Ut non fuscatis mentibus
Dies abscedat luminis,
Sed tua protecti gratia
Cernamus lucem prosperam.

Deo patri sit gloria etc.

Thomasii Hymn. Brev. Mozarabum.

CXXV.

Hymnus vespertinus.

Christe lux mundi, salus et potestas
Qui diem solis radiis adimples,
Noctem et fulvam faciens corusco
Sidere pingis.

Certis ut totum moribus peractum
Temperes mundum vicibus recursis,
Atque resolvas omnium labores
Sorte quietis.

Ecce vergentem rotat hora solem,
Vesperis rursum remanentis ortum
Hinc et astrorum chorus omnis alto
Surgit olympo.

Nos pio cultu tibi praecinentes
Vocibus sacris modulamus hymnis,
Sensibus totis simul excitamur
Pangere laudes.

Thura libamus tibi, magne rector,
Lumen et sacro domino exhibemus
Fervidum guttas madidumque summo
Vertice nectar.

Praestet ut votum ferat ut medelam
Donet ut nostris veniam delictis,
Firmet ut sensus placidam quietem,
Mulceat ortus.

Et licet nox subeat profundo
Horridis mundi tenebris operta,
Mens tamen nostra fidei supernae
Splendeat ortu.

Desinant culpae, vigilet vicissim
Noster illabens animus nec ulla
Sensus involvat gravior vagantum
Spiritum turma.

Cor enim nostrum vigilet sopore,
Somniet Christum dominumque semper,
Insonet psalmis meditetur hymnis
Nocte dieque.

Gloria summo celebret parenti
Gloria Christo, pariterque sancto,
Praedicet trinum pia voce nomen
Omne per aevum.

Ex Hymnario Thomasii. — 33 sqq. cf. H. 23, 14. 12, 21 sqq.

CXXVI.

De S. Cypriano Ep. Carth.

Vatis Cypriani et martyris
Cor, lingua, sensus, dignitas
Mortem ferendo proferunt etc.

Habet solus Sirmondus et hunc et novem qui sequuntur hymnos.

CXXVII.

Hymnus de Pentecoste.

Et hoc supernum munus est
Quod linguis lingua militat,
Quis non tonantis praemia
Per dona eiusdem proferat etc.

CXXVIII.

De S. Stephano.

Quid Stephano potentius
Dicas coronam, martyr est,
Hoc est homo, quod praemium
Fructus laboris nomen est etc.

CXXIX.

De S. Ambrosio.

Coelo ferunt Ambrosium
Nomen, honor vel actio,
Nil debet hic facundiae,
Dos omnis est a moribus etc.

CXXX.

De Ascensione Domini.

Iam Christus ascendit polum,
Necavit ante funera,
Letum sepultus expulit,
Mors mortis impulsu ruit etc.

CXXXI.

De S. Euphemia.

Quae lingua possit, quis valeat stilus
Tantae triumphos virginis eloqui:
Nunc mente molles discite masculi,
Exempla praestat, sumite desides etc.

CXXXII.

De S. Nazario.

Angustae vitae tempora
Parvis coacta terminis
Mors sancta donat crescere etc.

CXXXIII.

De S. Maria.

Ut virginem foetam loquar,
Qui laude dignum Mariae:
Det partus, ornet, exigat
Quod clausa porta, quod potens
Exposcit, ipsa suggerat etc.

CXXXIV.

De S. Martino.

Cum gesta Martini loquor
Nil laude dignum transeo,
Divisa virtus omnibus
Unum coacta praetulit etc.

CXXXV.

De S. Dionysio Arch. Medolanensi.

Dionysio Christus dedit
Quot bella, tot victorias
Exul piorum civis est
Urbis supernae particeps etc.

Legitur apud Sirmondum et in Ughellii Italia Sacra Tom. IV. p. 63.

CXXXVI.

Hymnus in tempore tristitiae.

Deus perenne gaudium
Pax, Christe, cordis anxii,
Portusque fluctuantium etc.

Habet ut praemonuimus unus Sirmondus.

H.

ELPIS.

CXXXVII.

Hymnus de Petro et Paulo Apostolis.

Libr. vet.

Aurea luce et decore roseo
Lux lucis omne perfudisti saeculum,
Decorans coelos inclyto martyrio
Hac sacra die, quae dat reis veniam.

Ianitor coeli, doctor orbis pariter
Iudices saecli, vera mundi lumina,
Per crucem alter, alter ense triumphans
Vitae senatum laureati possident.

Iam bone pastor Petre, clemens accipe
Vota precantum et peccati vincula
Resolve tibi potestate tradita
Qui cunctis coelum verbo claudis, aperis.

Doctor egregie Paule, mores instrue
Et mente polum nos transferre satage

Brev. Rom.

Decora lux aeternitatis aurea
Diem beatis irrigavit ignibus
Apostolorum quae coronat principes
Reisque in astra liberam pandit viam

Mundi magister atque coeli ianitor
Romae parentes, arbitrique gentium
Per ensis ille, hic per crucis victor necem
Vitae senatum laureati possident.

Beate pastor Petre clemens accipe
Voces precantum, criminumque vincula
Verbo resolve, cui potestas tradita
Aperire terris coelum, opertum claudere.

Egregie doctor Paule mores instrue
Et nostra tecum pectora in coelum trahe,

Donec perfectum largiatur plenius
Evacuato quod ex parte gerimus.

Olivae binae, pietatis unicae
Fide devotos, spe robustos maxumae
Fonte repletos charitatis geminae
Post mortem carnis impetrate vivere.

Sit trinitati sempiterna gloria
Honor potestas atque iubilatio,
In unitate cui manet imperium
Ex tunc et modo per aeterna saecula.

Velata dum meridiem cernet fides
Et solis instar sola regnet caritas.

O Roma felix, quae duorum principum
Es consecrata gloriosa sanguine,
Horum eruore purpurata, ceteras
Excellis orbis una pulchritudines.

Sit trinitati sempiterna gloria
Honor, potestas atque iubilatio
In unitate, quae gubernat omnia
Per universa saeculorum saecula.

Proprius est hymnus festivitati SS. apostolorum Petri et Pauli librorum fere omnium testimonio. (deest tamen in Bd. Ct. Aug. Cs.) Cantantur praeterea carminis partes, quae ad Petrum vel Paulum proprie pertinent in aliis eorundem sanctorum diebus festis, ut in Cathedra Petri, in Conversione Pauli etc. In recentiori Rom. eccl. breviario hymnus plus iusto nisi fallor correctus est. Gavantus Tom. III. p. 519: *Hymno ad Vesperas additum fuit Pii V. iussu: O felix Roma etc. et ad Laudes: Doctor egregie, quos tamen versus ego legi in Brev. MS. Coll. Aniciani.*" Elpidis esse versum: O Roma felix equidem vehementer dubito: ad laudem Romanae sanctitatis posteriori aetate compositum esse vero simile est. — 4. H. Beb. regis. 12. E. Torr. Col. Lps. Mgd. qua. 14. Col. Wpf. poli. Vides opinionem de S. Petro coeli ianitore quam sit vetus. Neque desunt documenta in vetustis hymnis Germanicis, ut legitur in Hymno flagellantium (Hoffmann G. d. K. p. 94.)

Sünder, ich sage dir liebe maere
sant Peter ist portenaere,
wende dich an in, er lât dich in
er bringet dich vor die künigin.

16. E. W. 2. Mgd. Msb. Msn. Hl. Torr. Beb. Lps. Hv. ex

parte gemimus. Ratione habita sermonis Pauli in prima ad Corinthios, cum neque gerimus, nec gemimus aptum efficiat sensum, legendum est: quod ex parte cernimus. 17. Clichtov. *Dicuntur duae olivae, quia viri sunt misericordiae a quibus profluxit oleum benignitatis et lenitatis per salutarem doctrinam, peccatorum vulneribus salubriter medentem, cf. Psalm.: ego autem sicut oliva fructifera in domo domini.* 18. Mgd. fidei. 20. Hil. impetrare.

I.

VENANTIUS FORTUNATUS.

CXXXVIII.

Hymnus de Nativitate Domini.

Agnoscat omne saeculum
Venisse vitae praemium,
Post hostis asperi iugum
Apparuit redemptio.

Esaias quae cecinit
Completa sunt in virgine,
Annunciavit angelus,
Sanctus replevit spiritus.

Maria ventre concipit
Verbi fidelis semine:
Quem totus orbis non capit
Portant puellae viscera.

Radix Iesse florvit
Et virga fructum edidit:
Foecunda partum protulit
Et virgo mater permanet.

Praesepe poni pertulit
Qui lucis auctor exstitit,
Cum patre coelos condidit,
Sub matre pannos induit.

Legem dedit qui saeculo,
Cuius decem praecepta sunt,
Dignando factus est homo
Sub legis esse vinculo.

Adam vetus quod polluit
Adam novus hoc abluit,
Tumens quod ille deiicit
Humillimus hic erigit.

Iam nata lux est et salus,
Fugata nox et victa mors,
Venite gentes, credite
Deum Maria protulit.

Exstat in perpaucis breviariis, ut in Aug. Hv. Eb. „in Nativitate Domini.“ Exhibent carmen Gron. Wimpf. Torr. Clicht. Cass. Lud. Fabric. Apud Radulphum ad parvas horas in Nativitate praescribitur. In sermonem vernaculum translatum est opera Henr. de Lauffenberg: „Bekenn nun alle welte schon“ (Wackern. p. 633). 5. Fabr. Kehr. (qui Broweri editiones inspexit) concinit. 6. Wimpf. Aug. de virgine. 8. Lud. al: complevit. 9. Male in quibusdam concepit ut v. 27. deiecit. 11. 12. Fortunatum imi-

tatus est Lutherus canendo: Den aller Weltkreis nie beschloss Der liegt in Marien Schooss. 11. Torr. mundus. 13. Ita Fabr.: *reliqui interserunt voculam „iam“ a sequioris aetatis homine, ut mihi videtur, adiectam. Vox Iesse est trisyllaba.* 14. Cass.: al. virgo. Servat poeta verba Isaiae. XI, 1. Respice ad verborum lusum v. 13. 16. 17. Lud. al: praesepi imponi. 28. al: deiecit. 32. Lud.: *Hinc Maria θεοτόκος recte cognominatur contra Nestorium et Valentinianos, fingentes Christi carnem coelitus esse delatam.*

CXXXIX.

Hymnus de Passione Domini.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Vexilla regis prodeunt,	Vexilla regis prodeunt,
Fulget crucis mysterium,	Fulget crucis mysterium,
Quo carne carnis conditor	Qua vita mortem pertulit
Suspensus est patibulo.	Et morte vitam protulit.
Confixa clavis viscera	
Tendens manus vestigia,	
Redemptionis gratia	
Hic immolata est hostia.	
Quo vulneratus insuper	Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro lanceae,	Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret crimine	Ut nos lavaret sordibus
Manavit unda sanguine.	Manavit unda et sanguine.
Impleta sunt quae concinit	Impleta sunt quae concinit
David fideli carmine	David fideli carmine
Dicens: in nationibus	Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus	Regnavit a ligno Deus.
Arbor decora et fulgida	Arbor decora et fulgida
Ornata regis purpura,	Ornata regis purpura,
Electa digno stipite	Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.	Tam sancta membra tangere.
Beata cuius brachiis	Beata cuius brachiis
Pretium pependit saeculi,	Pretium pependit saeculi,
Statera facta saeculi	Statera facta corporis
Praedamque tulit tartaris.	Tulitque praedam tartari.

O crux

[O crux ave spes unica
Hoc passionis tempore,
Auge piis iustitiam
Reisque dona veniam.

Te summa Deus Trinitas
Collaudet omnis spiritus,
Quos per crucis mysterium
Salvas, rege per saecula.]

O crux ave spes unica
Hoc passionis tempore,
Piis adauge gratiam
Reisque dele crimina.

Te fons salutis Trinitas
Collaudet omnis spiritus,
Quibus crucis victoriam
Largiris adde praemium.

Praeclarum quod modo exhibuimus carmen frequentissimo usu in ecclesia est honestatum. Cantatur a Dominica Passionis ad feriam usque quartam maioris hebdomadis ad Vesperas. Porro dignum habitum est quod intonaretur feria sexta in Parascene dum fieret processio ad locum, ubi pridie sacramentum repositum fuerat: adde sollemnitatem corporis Christi eodem carmine cum tribus aliis in splendidissima pompa canendo insignem. Praeterea proprium est festivitatibus sanctae crucis: denique cum illo quod sequitur plerumque in illis celebritatibus cantatur, quibus singulae ecclesiae memoriam Christi pro nobis crucifixi reverenter solent recolere *). — Interpretationes ger-

---

*) In libris liturgicis, qui mihi ad manus sunt, plures repperi festivitates quarum apud archaeologos mentio fit fere nulla I) Festum Sanguinis I. C., iam ante a. 1500 passim celebratum. Brev. Ef. ponit XXVI. Martii. Apud alios, e. g. in dominio Veneto nunc habetur una ex feriis sextis Martii vel ut in Diöcesi Lincensi feria II. post Trinitatis. II) Festum lanceae et clavorum vel armorum cf. Augusti Denkw. III., p. 296. Posuit vir doctus prò die festi XVI. Aprilis. Equidem invenio apud vetustos et recentiores vel Dominicam secundam post Pascha vel feriam sextam post Quasimodogeniti. III) Festum sacrarum quinque plagarum in dom. Veneto statim post Octavam corporis Christi, in dioecesi Lincensi feria VI. post cineres. IV) Festum spineae coronae vel Corona Domini, in calend. Halberstadensi, Numburgensi et vetusto brev. Praedic. IV. Maii, in recentiori Praed. VII. Maii, in Misnensi II. Septbr., in Lg. et Cs. XI. Aug.: Translatio Coronae. In Calend. Lincensi: una ex feriis Quadragesimae. V) Festum faciei salvatoris in Calendario Misnensi die XV. Ianuarii. VI) Festum Passionis Domini in eodem Calendario die XV. Novembris. — Neque aliud quid nisi memoriam Christi crucifixi recolit VII) Festum sanctissimi Redemptoris quod celebratur in Dominio Veneto tertia Dominica Iulii cum Octava. Coll.: Deus qui unigenitum tuum redemptorem mundi constituisti, et per eum devicta morte nos misericorditer ad vitam reparasti, concede, ut haec beneficia recolentes, tibi perpetua caritate adhaerere et eiusdem redemptionis fructum percipere merea-

manicas vetustiores vide apud W. p. 118: Die künglich paner gend herfür (M. Myllii Passio Christi 1517) et p. 683: Des Könignes bannern ghan hervor (a. 1543 — 1. Hil.: *Materia huius hymni est talis ut dicit b. Ambrosius: „Passio domini venit et quia venit debemus de ipsa aliquid dicere. Dicamus quod vexilla regis Christi iam prodeunt.“ Vexilla enim Christi sunt baptismus, sacramentum altaris et alia sacramenta ecclesiae.* Rectius Clicht.: *insignia sacrae passionis, ut flagella, corona spinea, clavi, lancea sunt eius vexilla quibus antiquum debellavit hostem et principem huius mundi eiecit foras.* 5—8. In plurimis libris omittitur, uti in codd. W. 1. 2. H. Beb. Mgd. Ramb. e. a. 8. Hil. Loss. hinc. Corn. hoc. Maior haec. Wimpf. immolatus. Fabr. immolatur. 9 sqq. Kehr.: *Romsée (3. S. 364) liest die ganze Strophe folgendermaassen:* Quae vulnerata lanceae m. d. criminum u. n. l. sordibus *mit der Bemerkung „quae“ beziehe sich auf „vita“ in der vorhergehenden Strophe, welches Wort sich aber in den mir bekannten Textrecensionen nicht findet.* Neque ego in ullo libro hanc scripturam deprehendi. 10. D. 2. Hil. Bd. Pd. Cs. Ct. Aug. Lg. dirae. 12. Cass. Ramb. Kehr. (Browerus in margine) unda et sanguine: in ecclesiasticis libris fere omnibus et desideratur. Unda ex mea sententia non de aqua est explicanda, e servatoris latere profluente, sed nihil aliud voluit poeta nisi quod hymno sequenti expressit: mite corpus perforatur, sanguis unda profluit. Vetusti interpretes cogitant de sacramentis baptismi et sacrae coenae, aqua et sanguine ex corde Christi manantibus praefiguratis. 13. Ita W. 2. D. 2. E. Hil. Hl. Mgd. Lg. Lips. Clicht. Thom. Kehr. e. a., alii cecinit. ut Cass. Ramb. 14. In ecclesiasticis libris fere ubique fidelis, interpres: Die glaubwürdig Davids sag. 15. Mgd. Lg. Msn. Aug. Hil. Torr. Gron. Wimpf. dicendo. Corn. dicendo in. Sed repetit poeta verba psalmi nonagesimi quinti v. 10.: *dicite in gentibus quia dominus regnavit* idcoque non ferendum est regnabit apud Lud. Fabr. et Ramb. De adiecta voce a ligno conferas H. Grotium ad. h. l. *Hic libros quosdam veteres Graecos addidisse ἀπὸ ξύλου affirmat contra Tryphonem Iustinus* (accusat Iudaeos hanc vocem a textu detraxisse) *et urget hunc locum ut de cruce prophetiam continentem Tertullianus adv. Iudaeos duobus locis et adv. Marcionem libr. 3. quos secuti sunt et alii. Forte quidam librarii pro* מלך *scripserunt* מצע, *postea vero utraque lectio coaluit* cf. Hottinger Thes. Philol. p. 188 sq. Deyling Obs. S. P. II. p. 213 sqq. 18. Loss.: *purpuram regis vocat purpureum Christi sanguinem quem copiosum in crucifixione et*

---

mur. — Kleinius (Handb. der hist. Wiss. I. p. 96.) ommemorat Crucifixionem Domini XXV. Mart. ut fetsum immobile.

tota passione pro nobis effudit. 19. Gron. digna. Post versum vigesimum in Gron. Torr. Wimpf. sequitur stropha quae est totius carminis apud Fortunatum ultima:

Salve ara, salve victima
De passionis gloria
Qua vita mortem pertulit
Et morte vitam reddidit.

Cultui ecclesiastico nisi me omnia fallunt nunquam inserviit. 22. in permultis libris saecli pependit pretium, a metrica carminis ratione alienum. 23. Alii facta es vel est. 24. Cass. praedam tulitque. W. 1. Hil. Torr. Gron. Fr. Mgd. Thom. Kehr. tartari. 25—28. Merati apud Gav. III. p. 621. *In hymno crucis et tempore passionis cum dicitur „o crux ave spes unica" ad quatuor versus ab omnibus in choro genuflectitur.* 26. W. 1. Cs. o redemptorum gloria. 28. H. regis que. 30. al. collaudet s. collaudent. 32. Male Cass. salvas rogo. Hae duae clausulae v. 25—32. Fortunati non sunt sed eorum loco hi pulcherrimi versus apud ipsum auctorem leguntur

Fundis aroma cortice
Vincis sapore nectare,
Iucunda fructu fertili
Plaudis triumpho nobili.

Salve ara, salve victima (ut supra).

Monet Kehreinius: *Eine andere, auch von Fabr. aufgenommene Lesart* ist aroma fundis cortice, vincis saporem nectaris. *Brower hatte in seiner ersten Ausgabe „v. saporem nectarie" und den Vers „fundis aroma cortice" am Ende dieser Strophe. In der zweiten Ausgabe hat er obige Lesart (quam nos quoque recepimus) und sagt darüber: „correctio haec praeclara, tum versuum ordine restituto qui perturbatus, tum reddito parili sono, quem poeta sectatur. Ut ergo respondeant membra in cortice" et „nectare" non dubites Fortunatum hic usum metaplasmo et rhythmo serviisse, quo in genere apud poetas vitia scimus quoque in virtutis abire locum."*

CXL.

De Passione Domini.

Libr. vetusti.

Pange lingua gloriosi proelium certaminis
Et super crucis tropaeo dic triumphum nobilem,
Qualiter redemptor orbis immolatus vicerit.

De parentis protoplasti fraude factor condolens,
Quando pomi noxialis morsu in mortem corruit,
Ipse lignum tunc notavit damna ligni ut solveret.

Hoc opus nostrae salutis ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris ars ut artem falleret
Et medelam ferret inde hostis unde laeserat.

Quando venit ergo sacri plenitudo temporis,
Missus est ab arce patris natus orbis conditor
Atque ventre virginali caro factus prodiit.

Vagit infans inter arcta conditus praesepia,
Membra pannis involuta virgo mater alligat,
Et pedes manusque crura stricta cingit fascia.

Lustra sex qui iam peracta, tempus implens corporis
Se volente, natus ad hoc, passioni deditus
Agnus in cruce levatur, immolandus stipite.

Hic acetum, fel, arundo, sputa, clavi, lancea,
Mite corpus perforatur, sanguis unda profluit,
Terra, pontus, astra mundus quo lavantur flumine.

Crux fidelis inter omnes, arbor una nobilis
Nulla talem silva profert fronde, flore, germine:
Dulce lignum dulci clavo dulce pondus sustinens.

Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera
Et rigor lentescat ille quem dedit nativitas
Ut superni membra regis miti tendas stipite.

Sola digna tu fuisti ferre pretium saeculi,
Atque portum praeparare nauta mundo naufrago,
Quem sacer cruor perunxit fusus agni corpore.

[Gloria et honor Deo usque quo altissimo
Una patri filioque, inclito paraclito
Cui laus est et potestas per aeterna saecula].

Brev. Romanum.

Pange lingua gloriosi lauream certaminis,
Et super crucis tropaeo dic triumphum nobilem,
Qualiter redemptor orbis immolatus vicerit.

De parentis protoplasti fraude factor condolens
Quando pomi noxialis in necem morsu ruit,
Ipse lignum tunc notavit damna ligni ut solveret.

Hoc opus nostrae salutis ordo depoposcerat;
Multiformis proditoris ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde hostis unde laeserat.

Quando venit ergo sacri plenitudo temporis,
Missus est ab arce patris natus orbis conditor
Atque ventre virginali carne amictus prodiit.

Vagit infans inter arcta conditus praesepia,
Membra pannis involuta virgo mater alligat,
Et Dei manus pedesque stricta cingit fascia.

Lustra sex qui iam peregit, tempus implens corporis
Sponte libera redemptor passioni deditus,
Agnus in crucis levatur immolandus stipite.

Felle potus ecce languet: spina, clavi, lancea
Mite corpus perforarunt, unda manat et cruor:
Terra, pontus, astra, mundus quo lavantur flumine.

Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis
Silva talem nulla profert fronde, flore, germine:
Dulce ferrum, dulce lignum, dulce pondus sustinent.

Flecte ramos arbor alta, tensa laxa viscera,
Et rigor lentescat ille quem dedit nativitas,
Et superni membra regis tende miti stipite.

Sola digna tu fuisti ferre mundi victimam,
Atque portum praeparare arca mundo naufrago,
Quem sacer cruor perunxit fusus agni corpore.

[Sempiterna sit beatae Trinitati gloria,
Aequa patri filioque, par decus paraclito:
Unius trinique nomen laudet universitas.]

Hymnum supra positum in pulcherrimorum numero recensendum esse, id nemo infitias ibit nisi qui quae sit vis et natura sacrae poeseos prorsus ignoraverit. Qua de re nunquam defuit carmini singularis quaedam ecclesiae cura atque

auctoritas. Ponitur in Dominica et Hebdomade Passionis, tanquam dominicae passionis et suavissimum praeconium et devotissima adoratio*): porro feria sexta in Parasceue, qua cultus divinus nil spirat nisi luctus atque dolores, dum clerus et populus osculando adorant crucem, nostrum de cruce canticum intonatur. Ita Missale Rom: *Postea cantatur Versus „Crux fidelis" cum hymno „Pange lingua gloriosi" et post quemlibet eius versum repetitur „Crux fidelis" vel „dulce lignum" eo modo quo inferius notatur.* Neque in protestantium ecclesia in dominicae mortis memoria Fortunati carmen obmutuit: anxie tamen inculcabant nostri, crucem per metonymiam de Christo crucifixo esse intelligendum. Adeas Ludecum et Lossii Psalmodiam, in qua haec iubentur: „*Crux fidelis*" *canitur in precibus matutinis post Benedicamus. Hoc cantico finito, iterum Cantor ut in die Palmarum passionem domini solus latine canit choraliter. Additur ex Prudentii hymno* (Cathem. IX, 88—92).

Vidit anguis immolatam
Corporis sacri hostiam,
Vidit et fellis perusti
Mox venenum perdidit,
Saucius dolore multo
Colla fractus sibilat.

Quid tibi, profane serpens,
Profuit rebus novis
Plasma primum perculisse
Versipelli versutia,
Diluit culpam, recepta
Forma mortali Deus.

Reperiuntur praeterea hi versiculi in Maioris libello: apud vetustiores quod sciam nullum exstat eorundem vestigium. Interpretationum antiquissima procul dubio est Mon. Salzburg. cuius exordium est apud Pfeifferum (Altdeutsche Blätter u. s. w.) Heyligs kreucz ein paum gar aine edel fuer all paum gemaine u. s. w. — Accedebat in hoc hymno ad libros nostros scriptura Antiphonarii Mindensis perantiqui (cf. Poetarum et poematum medii aevi historia auctore Polyc. Leysero, in qua gente hymnorum sacrorum studium velut haereditate videtur propagatum) et Iac. Meieri commentarius in Cassandri libro carmini adtextus. — In permultis libris hymnus incipit a strepha Crux fidelis inter omnes e. gr. apud Mona-

*) Versuum numerus non apud omnes est idem. Cod W. 1. habet solos v. 22—30. cum doxologia.

chum Salisburg: *Crux fidelis, den ympnum singt man am karfreytag so man dye marter* (das Kreuz vor dem Altare) *nyder legt vnd küsset.* Neque aliunde horum librorum discrepantia orta est quam quod carmen eo versuum ordine exhibebant, quo cantabatur feria sexta in Parescene. 1. Proelium certaminis i. e. bellum a redemptore gestum cum antiquo serpente, quem in crucis ara prorsus debellavit. 2. Male Gron. strophaeum cf. ad H. 10, 22. in nonnullis libris ut in Miss. Strigoniensi, Hil. trophaeum. 4. Meier.: inepte quidam protoplausti. Cass. Hil. Wimpf. fraude facta. 5. Hil. Fr. Cass. Fabr. morte morsu. Notat Meierus legendo: morsu in mortem corrumpi versum, — sed maioris momenti mihi videretur vox „corruit," optime scripturae Meieri accommodanda. Valet codicum et librorum auctoritate verborum ordo a nobis in textum receptus. 6. Ita Konr. ab Quelnfurt W. p. 85. „*der an dem holz den menschen überliste am holz er überwunden wart.*" 8. Ant. Mind. perditoris. Pro artem Cassander et Meierus alios arte legere referunt. Pro falleret al. vinceret. 9. al.: luserat quod aptissimum efficit sensum. 10. Galat. IV, 4. *at ubi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum factum ex muliere.* 24. Ita Thom. Clicht. Hil. Fr. — Gron. Torr. Aug. homo factus, in aliis carne factus, quod tuetur Meierus, ut metro magis congruum. Repetit poeta verba Ioannis: Verbum caro factum est. Maior: carne sumpta. Loss. atque de. 13. Ant. Mind. Hil. Gron. Torr. Loss. positus sed ex consilio poeta Christum, quem modo „conditorem" praedicavit nunc „conditum" appellat. 15. Meier.: *Pueriliter errant, qui legunt hic* et pedes et manus *aut* pedes, manus atque crura *ut in aliquibus vidi, qui totum corrumpunt versum. Sensus ordoque optimus est. Virgo mater membra pannis involuta et pedes manusque ligata fascia cingit stricta crura, ut fascia sit Nominativus, qua voce auctor venuste utitur. Nam fasciae proprie sunt ligaturae crurum pedum, crurales ac pedales ideo dictae.* D. 2. cinxit. Ant. Mind. vitiose pingit. 16. Fr. et al. lustris sexperactis. 17. Gron. passionis. Corn. Maior. Sib. atque huic p. 18. Alia apud multos exstat scriptura in crucis levatur stipite (Ant. Mind. stipitem). 19. Fabr. stupa. 23. W. 1. nulla silva talem. 24. Cass.: dulces clavos; *ita non prorsus inepte vulgo legitur ut subaudiatur o admirantis. Quod autem Meierus legendum putat dulce signum nescio an in ullis exemplaribus id reperiatur. Ego certe legere malim dulci clavo quod in nonnullis vetustissimis exemplaribus repperi. Est enim iucundissima varietas casuum et sententia aptissima — in singulari numero pluralis numerus intelligatur.* Alii dulcem clavum et pro sustinens sustinet vel sustinent. — Addit Wallraffius versiculum quem unde sumpserit ignoro.

Quando index orbis alto vectus axe veneris
Et crucis tuae tropaeum inter astra fulserit
O sis anxiis asylum et salutis aurora.

CXLI.

De Sancta Cruce.

Crux benedicta nitet, dominus qua carne pependit
Atque cruore suo vulnera nostra lavit.

Mitis amore pio pro nobis victima factus,
Traxit ab ore lupi qua sacer agnus oves.

Transfixis palmis ubi mundum a clade redemit
Atque suo clausit funere mortis iter.

Hic manus illa fuit clavis confixa cruentis
Quae eripuit Paulum crimine, morte Petrum.

Fertilitate potens, o dulce et nobile lignum,
Quando tuis ramis tam nova poma geris.

Cuius odore novo defuncta cadavera surgunt
Et redeunt vitae qui caruere die.

Nullum uret aestus sub frondibus arboris huius,
Luna nec in nocte, sol neque meridie.

Tu plantata micas secus est ubi cursus aquarum
Spargis et ornatas flore recente comas.

Appensa est vitis inter tua brachia, de qua
Dulcia sanguineo vina rubore fluunt.

Legitur carmen, quod superiore minime inferius duxerim in Thomasii Hymnario; inde nullus dubito, quin in nonnullis ecclesiis tempore Quadragesimae in usu fuerit. — 2. Fabr. lavat. 5. Thom. om. a. 8. Paulum impediit Christus quominus Damasci, spirans minarum et caedis in discipulos domini, Christianos persequeretur. 10. Scimus poetis hanc placere antithesin: a ligno fluxisse mundo perniciem, fluxisse salutem. Sed ut saepe fit, ex re animo et pia cogitatione percepta, natam vides fabulam, ex arbore paradisi, unde „hostis laeserat“ fabricatam esse crucem Christi salutiferam. Similia, ut mihi videtur, placuerunt Fortunato. Lignum, quod

olim „pomo noxiali“ (H. 140, 5.) protoplastis occasionem dederat, nunc poma gerit prorsus nova (Fabr. bona), vulnera Christi: est, ut canit ecclesia, lignum in quo salus mundi pependit. In unum suum vocarunt interpretes locum Cant. II, 3. 5. *sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. — — fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* 13. 14. Fabr. aestum nullum uret. Ps. CXX, 6: *per diem sol non uret te neque luna per noctem.* Fabr. noctem. 15. Poetae crux verum est lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. 17. cf. Ioann. XV, 1 sqq. Optime Fortunatus illustratur vetusto carmine Germanico sc. XV. W. p. 618.

Der winstock wart gezogen vier und drissig ior,
bis an den car fritag, do wart er zitig gar
— — — — — — — — — — —
Under des creutzes aste do schenkt man cipper win,
Maria ist die keyllerin, die Engel schencken in
des söllen die lieben selen von minne truncken sin.

CXLII.

Hymnus tempore Quadragesimae.

Qua Christus hora sitiit,
Crucem vel in qua subiit,
Quos praestat in hac psallere
Ditet siti iustitiae.

Quibus sit et esuries,
Quam ipse de se satiet,
Crimen sit ut fastidium
Virtusque desiderium.

Charisma sancti spiritus
Sic influat psallentibus,
Ut carnis aestus frigeat
Et mentis algor ferveat.

Fertur sub Fortunati nomine in Hymnario Thomasii: Ad. v. 6. annotatum est, alios legere de se quam ipse satiet.

CXLIII.

Hymnus paschalis.

Salve festa dies, toto venerabilis aevo
Qua Deus infernum vicit et astra tenet.
Salve festa dies toto venerabilis aevo.

Ecce renascentis testatur gratia mundi
Omnia cum domino dona redisse suo.
Qua Deus infernum vicit et astra tenet.

Namque triumphanti post tristia tartaro Christo
Undique fronde nemus, gramina flore favent.
Salve festa dies etc.

Legibus inferni oppressis super astra meantem
Laudant rite Deum lux, polus, arva, fretum.
Qua Deus infernum etc.

Qui crucifixus erat, Deus ecce per omnia regnat
Dantque creatori cuncta creata precem.
Salve festa dies etc.

[Mobilitas anni mensium, lux alma dierum
Horarum splendor, stridula puncta favent.
Qua Deus infernum etc.

Christe salus rerum, bone conditor atque redemptor
Unica progenies ex deitate patris.
Salve festa dies etc.

Qui genus humanum cernens mersisse profundo
Ut hominem eriperes, es quoque factus homo.
Qua Deus infernum etc.

Funeris exequias pateris vitae auctor et orbis,
Intras mortis iter, dando salutis opem.
Salve festa dies etc.

Pollicitam sed redde fidem precor alma potestas,
Tertia lux rediit, surge sepulte meus.
Qua Deus infernum etc.

Solve catenatas inferni carceris umbras
Et revoca sursum, quicquid ad ima ruit.
Salve festa dies etc.

Redde tuam faciem, videant ut saecula lumen,
Redde diem qui nos te moriente fugit.
Qua Deus infernum etc.

Eripis innumerum populum de carcere mortis
Et sequitur liber quo suus auctor abit.
Salve festa dies etc.

Hinc tumulum repetens post tartara carne resumpta
Belliger ad coelos ampla tropaea refers.
Qua Deus infernum vicit et astra tenet.]

Locum habet inter opera Fortunati carmen de resurrectione Domini ad Felicem episcopum, Tempora florigero rutilant distincta sereno, qua poeta naturam, tempore verno renatam, Christo resurgenti facit congratulantem. Ex hoc suavissimo poemate ecclesia decem versus (v. 39. 40. v. 31—38.) sibi vindicavit, qui efficerent canticum triumphale Paschatis. (Mon. Salisb.: zw österleicher czeit das frewden gesangk „Salve festa dies" daz wirt gesungen all suntag so man vmb dy kirchen mit der proces get.) In libris Ellingeri, Siberi, Maioris additi sunt v. 47. 48. 73. 74. (apud nos. v. 13. 14. 21. 22.) apud Lossium v. 41. 42. 47. 48. 55—60. 65. 66. 73—76. 81. 82. 85. 86. (nostri carminis v. 11—28). Processionale Eboracense ita carmen conflat: v. 39. 40. 31. 32. 1—4. 33—38. 41. 42. 47. 48. 55. 56. Idem liber exhibet cantus processionales quatuor, ad exemplar Fortunati compositos et primum nostri carminis versum referentes. Germanice apud monachum Salisb.: Grüest seyst heyliger tag et Io. Spangenbergium: Sey gegrüst du heiliger tag (W. p. 339): multis aliis carminibus fuit pro exemplari et specimine e. g. vetustissimo cantico paschali: Also heylig ist der tag et carmini Konradi ab Queinfurt, iam saepius laudati 1. Cass.: *Ovidium prorsus imitatus esse videtur, qui primo Fastorum libro descriptioni Calendarum Ianuarii similem quandam acclamationem subiunxit „Salve festa dies, meliorque revertere semper a populo rerum digna potente coli."* Ell. orbe 4. Sat eleganter F. respicit ad Paulum ad Rom. VIII, 32: *qui etiam proprio filio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit.* 5. 6. Konr. ab Queinf.: *Wâlt, loup, din saete, klê, gras und die blumen, die wellent lieben sich zu dir, in frôuden sîht man sie sich hinte rumen, Krist, ûf din lop stêt ir begir. daz mein ich, swenn sie kunden sprechen an inen wüird es nicht gebrechen sie lobeten dich al gelîch.* 5. Eb. lamque. 8. Eb. Loss. astra. 10. Eb. preces. 11. 12. Cass.: *Hoc distichon depravatissime hactenus lectum est:* Mobilitas (Wimpf. Torr. Loss.) anni mensum, (Loss. mensis) lux (Loss. Wimpf. Torr.) alma dierum, Horarum splendor stridula (Wimpf. Torr. Loss.) cuncta favent. *Ex quo sententia ulla nisi admodum coacta extorqueri non potuit.* Legit igitur vir doctus: nobilitas anni, mensum decus alma dierum (al: aura) Horarum splendor, scripula, puncta favent. Sequitur inter plurimos Fabricius. Nobis

quadripartitam temporum rationem poeta aptissime verbis suis significasse videtur. Domino resurgenti favet „mobilitas mensum anni“ „lux alma dierum“ „horarum splendor“ denique „stridula puncta“ i. e. minutissimae temporis partes, nam ita pro cuncta legendum esse Cassandro largimur. Vocat autem poeta temporis puncta „stridula“ quia ex veterum opinione sol coelum permeando stridorem quendam edere solet. Ceterum et in aliis mire huius distichi scriptura discrepat. Eb. alme — patent. Fabr. Zehn. fovens. 15. Loss. Zehn. Fabr. mersum esse. 18. Torr. intra Wimpf. inter — claudes. o. 19. Loss. Zehn. sollicitam. 20. Torr. Deus. 21. Cass. in margine: al. s. catenatos inferni carceris umbra. 26. Cass. Fabr. adit. Torr. abis.

CXLIV.

De Beata Virgine.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Quem terra, pontus, aethera	Quem terra, pontus, sidera
Colunt, adorant, praedicant,	Colunt, adorant, praedicant
Trinam regentem machinam	Trinam regentem machinam
Claustrum Mariae baiulat.	Claustrum Mariae baiulat.
Cui luna, sol et omnia	Cui luna, sol et omnia
Deserviunt per tempora	Deserviunt per tempora
Perfusa coeli gratia	Perfusa coeli gratia
Gestant puella viscera.	Gestant puellae viscera.
[Mirantur ergo saecula,	
Quod angelus fert semina,	
Quod aure virgo concipit	
Et corde credens parturit.]	
Beata mater munere,	Beata mater munere
Cuius supernus artifex	Cuius supernus artifex
Mundum pugillo continens,	Mundum pugillo continens
Ventris sub arca clausus est.	Ventris sub arca clausus est.
Benedicta coeli nuntio,	Beata coeli nuntio,
Foecunda sancto spiritu,	Foecunda sancto spiritu,
Desideratus gentibus	Desideratus gentibus
Cuius per alvum fusus est.	Cuius per alvum fusus est.

O gloriosa femina,
Excelsa supra sidera,
Qui te creavit provide
Lactasti sacro ubere.

Quod Eva tristis abstulit
Tu reddis almo germine;
Intrent ut astra flebiles
Coeli fenestra facta es.

Tu regis alti ianua
Et porta lucis fulgida
Vitam datam per virginem
Gentes redemptae plaudite.

[Maria mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe.]

O gloriosa virginum,
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit, parvulum
Lactente nutris ubere.

Quod Eva tristis abstulit
Tu reddis almo germine;
Intrent ut astra flebiles
Coeli recludis cardines.

Tu regis alta ianua,
Et aula lucis fulgida
Vitam datam per virginem
Gentes redemptae plaudite,

Iesu tibi sit gloria
Qui natus es de virgine etc.

Hymnus in antiquis breviariis sat frequens, plerumque Assumptioni, rarius aliis Mariae diebus festis adsignatus. Brev. Cs. praescribit ad Completorium per totum adventum. In Romano Officio B. V. parvo et plurimis eiusdem sollemnitatibus inservit, discerptus (quod factum quoque vides apud veteres) in duas partes, quarum posterior incipit v. 21. — 3. Prud. Cath. IX, 14: *terra, coelum, fossa ponti, trina rerum machina.* 4. H. 112, 11. 12.: *venter puellae baiulat secreta, quae non noverat.* 9—12. Clicht.: *Quamvis hic versus in multis libris (in plurimis sane) praetermissus videatur dignus tamen est ob excellens virginis praeconium inibi explicatum, qui omnibus inseratur et posthac cum ceteris decantetur. Quemadmodum a viris religiosis ordinis S. Trinitatis de redemptione captivorum Parisiis apud S. Mathurinum quotannis in sollemnitate assumptionis M. et Octava eius celebriter ut ceteri concinitur.* 11. H. M., unum ex Ms. Thomasii concepit. 12. Thom. accipit, sed. Ms. modo laudatum parturit. 13. Idem Ms. Maria munere. 17. D. 1. Fr. Aug. Cs. Lg. Hv. Ef. Hil. Cass. beata, valet mihi tamen reliquorum librorum auctoritas, cum ita consonet poeta scripturae Luc. 1, 28.: *angelus dixit: Benedicta tu in mulieribus* *). 21. femina in uno ex Ms. Thom. et (testibus Cassandro

*) Nostram scripturam tuentur Codd. H. M. E. W. 2. et vetustissima membrana, Pragae in bibliotheca Strahofiensi asservata. Ita mihi scripsit Adolphus Fischerus, vir doctissimus, illi bibliothecae praepositus.

et Ludeco) in libris fere ubique d o m i n a, quod quin fervescente in dies Mariae observantia magis placuerit, mihi dubium non est. 24. H. Ms. Thom. Sl. l a c t a s s a c r a t o u b e r e, al: l a c t a n t s a c r a t a u b e r a. Cum apud Lucam XI, 27. mulier illa exclamaret: *Beata ubera quae tu suxisti* — cum plurima in Cantico canticorum uberum praeconia ad Mariam referri solerent, quid mirum, vetustos Mariae admiratores in uberibus matris, in quibus haesisset redemptor mundi, exultare et non numquam luxuriari. Mariae, ubera sua filia ostendenti, Iesum nil posse denegare, ipsis certissimum erat. Unde poeta teutonicus (W. p. 120. 101.): *bit dein liebes kindt, zaygt im dein weysse brüste gedrot, darvon er speyse genomen hat, erman in auch der ruw, die er hat geruht auff deinner schose.* 28. Fatales erant fenestrae coeli, quae aperiebantur Gen. VII, 11: salutifera fenestra coeli est Maria quia per ipsam Deus verum fudit saeculis lumen. 32—36. est clausula, plurimis hymnis Marianis annexa. 33. Hora teterrima, qua „circumdant nos gemitus mortis et dolores inferni" ex populi catholici opinione plurimorum sanctorum patrocinio sublevatur. Prae ceteris succurrit animae quae moribunda anxiatur Maria (W. p. 85. 103. 126). Porro b. Barbarae datum est patrocinii privilegium contra malam mortem; qui eam invocaverit, non nisi confessus et sacro viatico munitus morietur. Similia narrantur de S. Dorothea. Animas tandem e corpore egressas, quibus inhiat bellua infernalis, tuetur S. Michael archangelus easque in lucem sanctam repraesentat, quam olim Deus promisit Abrahae et semini eius.

K.

S. GREGORIUS MAGNUS.

CXLV.

Dominicis diebus ad Nocturnum.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Primo dierum omnium	Primo die quo Trinitas
Quo mundus exstat conditus,	Beata mundum condidit,
Vel quo resurgens conditor	Vel quo resurgens conditor
Nos morte victa liberat.	Nos morte victa liberat.
Pulsis procul torporibus	Pulsis procul torporibus
Surgamus omnes ocyus,	Surgamus omnes ocyus,
Et nocte quaeramus pium	Et nocte quaeramus Deum,
Sicut prophetam novimus.	Propheta sicut praecipit.
Nostras preces ut audiat	Nostras preces ut audiat,
Suamque dextram porrigat,	Suamque dextram porrigat
Et expiatos sordibus	Et expiatos sordibus
Reddat polorum sedibus.	Reddat polorum sedibus.
Ut quique sacratissimo	Ut quique sacratissimo
Huius diei tempore	Huius diei tempore
Horis quietis psallimus,	Horis quietis psallimus,
Donis beatis muneret.	Donis beatis muneret.
Iam nunc paterna claritas,	Iam nunc paterna claritas,
Te postulamus affatim:	Te postulamus affatim,
Absit libido sordidans,	Absint faces libidinis
Omnisque actus noxius.	Et omnis actus noxius.
Nec foeda sit vel lubrica	Ne foeda sit, vel lubrica
Compago nostri corporis	Compago nostri corporis,
Per quod averni ignibus	Ob cuius ignes ignibus
Ipsi crememur acrius.	Avernus urat acrius.

Ob hoc redemptor quaesumus
Ut probra nostra diluas,
Vitae perennis commoda
Nobis benigne conferas.

Quo carnis actu exules
Effecti ipsi coelibes
Ut praestolamur cernui
Melos canamus gloriae.

Deo patri sit gloria etc.

Mundi redemptor quaesumus,
Tu probra nostra diluas,
Nobisque largus commoda
Vitae perennis conferas.

Praesta pater piissime etc.

In omnibus libris, qui Matutino dare solent hymnos, cantatur „ab Octava Epiphaniae usque ad Dom. I. Quadragesimae et a Dom. proximiori Calend. Octobr. usque ad Adventum.“ — 2. Male Cass. exstet. 4. Fr. Sl. Hil. Wimpf. liberet. Fabr. Beb. vita. 8. Ps. CXVIII, 62: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* 11. Hil. Wimpf. Fabr. ut cf. ad H. 16, 4. 13. Wimpf. et. 20. In aliis et omnis. 21. al. ne. 22. Wimpf. nostri comp. corporis. 23. Fr. propter quod Wimpf. vel quod. Thom. Sl. per quam. 28. Cass. in margine benignus.

CXLVI.

Ad Nocturnum.

Libr. vet.

Nocte surgentes vigilemus omnes
Semper in psalmis meditemur atque
Viribus totis domino canamus
Dulciter hymnos.

Ut pio regi pariter canentes
Cum suis sanctis mereamur aulam
Ingredi coeli simul et beatam
Ducere vitam.

Brev. Rom.

Nocte surgentes vigilemus omnes
Semper in psalmis meditemur atque
Voce concordi domino canamus
Dulciter hymnos.

Ut pio regi pariter canentes
Cum suis sanctis mereamur aulam
Ingredi coeli simul et perennem
Ducere vitam.

Prae-

Praestet hoc nobis deitas beata
Patris ac nati pariterque sancti
Spiritus, cuius reboat per omnem
Gloria mundum.

Praestet hoc nobis deitas beata
Patris ac nati pariterque sancti
Spiritus, cuius resonat per omnem
Gloria mundum.

Recitatur dominicis diebus ad Matutinum „ab Octava Pentecostes usque ad Dom. proximiorem Calendis Octob.“ — 3. Cass. Edit. Bened. (Parisiis MDCCV) nisibus.

CXLVII.

Ad Laudes.

Lib. vet.

Ecce iam noctis tenuatur umbra,
Lucis aurora rutilans coruscat
Nisibus totis rogitemus omnes
Cunctipotentem.
Ut Deus noster miseratus omnem
Pellat languorem, tribuat salutem
Donet et nobis pietate patris
Regna polorum.
Praestet hoc nobis etc. ut supra.

Brev. Rom.

Ecce iam noctis tenuatur umbra,
Lux et aurorae rutilans coruscat,
Supplices rerum dominum canora
Voce precamur.
Ut reos culpae miseratus, omnem
Pellat angorem, tribuat salu'em
Donet et nobis bona sempiternae
Munera pacis.
Praestet hoc nobis etc. ut supra.

Si ad Nocturnum dominicis diebus cantatur hymnus „Nocte surgentes,“ ad Laudes carmen supra positum recitatur. In nonnullis vet. Brev. per totam hebdomadem ad Laudes. — 2. Fabr. lux et aurorae, quod placuit emendatoribus propter metrum. 3. Hil. Wimpf. Beb. Lud. Fabr. viribus. 4. Wimpf. omnipotentem. 5. Wimpf. Fabr. nostri. 6. Cass.: Ratio carminis constabit, si legas angorem. Ita Clicht. et Fabr.

CXLVIII.

In Quadragesima.

Clarum decus ieiunii
Monstratur orbi coelitus,
Quod Christus auctor omnium
Cibis dicavit abstinens.

Hoc Moyses carus Deo
Legisque lator factus est,
Hoc Heliam per aëra
Curru levavit igneo.

Hinc Daniel mysteria
Victor leonum viderat,
Per hoc amicus intimus
Sponsi Ioannes claruit.

Haec nos sequi dona Deus
Exempla parsimoniae,
Tu robur auge mentium
Dans spiritale gaudium.

Passim in breviariis vetustioribus. — 2. H. orbis. Aug. orbe. 3. Sb. quo. 4. Hil. Aug. ditavit. 7. Corn.: *Ab exemplo Heliae miraculoso: sed is sublatus est in coelum non propter ieiunium hoc quod erat Dei miraculum, sed ut esset cum Henoch et Christo testis, futuram esse vitam aeternam.* 8. In Cod. W. 2. deest curru. 11. H. E. Aug. Hl. Hv. mysterium. 14. Hil. Wimpf. per exempla. — In nonnullis libris additur versus: Praesta pater per filium, Praesta per almum spiritum, Vivens per aevum triplici Unus Deus cognomine.

CXLIX.

Hymnus Quadragesimalis.

Audi benigne conditor
Nostras preces cum fletibus,
In hoc sacro ieiunio
Fusas quadragenario.

Scrutator alme cordium,
Infirma tu scis virium
Ad te reversis exhibe
Remissionis gratiam.

Multum quidem peccavimus
Sed parce confitentibus;
Ad laudem tui nominis
Confer medelam languidis.

Sic corpus extra conteri
Dona per abstinentiam,
Ieiunet ut mens sobria
A labe prorsus criminum.

Praesta beata Trinitas,
Concede simplex unitas,
Ut fructuosa sint tuis
Ieiuniorum munera.

Hic hymnus et apud antiquos et in Brev. Romano (immutatus) legitur. (A Sabbato primo in Quadragesima usque ad Domin. Passionis.) — 2. Hil. Wimpf. laudibus. 6. H. Hil. sis. 8. H. gratiae. 10. 11. E. Aug. Hv. Lips. Cass. poenasque comparavimus sed cuncta qui solus potes. Quae mira scripturae varietas unde fluxerit prorsus ignoro. Eius aetatis est, opinor, qua ὁμοιοτελεύτων studio et amore non pauca in vetustis hymnis mutaverunt. Corn. et Maior: confidentibus. 16. W. I. ab omni labe. Gron. prorsus a labe.

CL.

Dominica in Ramis Olivarum.

Magno salutis gaudio
Laetetur omne saeculum,
Iesus redemptor omnium
Sanavit orbem languidum.

Sex ante Paschae ferias
Advenit in Bethaniam,
Ubi pie post triduum
Resuscitavit Lazarum.

Nardi Maria pistici
Sumpsit libram mox optimi,
Unxit beatos domini
Pedes rigando lacrymis.

Post haec iugalis asinae
Iesus supernus arbiter
Pullo sedebat, inclytam
Pergebat Hierosolymam.

O quam stupenda pietas,
Mira Dei clementia:
Sessor aselli fieri
Dignatur auctor saeculi.

Olim propheta praescius
Praedixit almo spiritu:
Exulta, dicens, filia
Sion satis et iubila.

Rex ecce tuus humilis,
Noli timere, veniet:
Pullo iugalis residens,
Tibi benignus, patiens.

Ramos virentes sumpserat
Palma recisos tenera:
Turba processit obviam
Regi perenni plurima.

Coetus sequens et praevius
Sanctoque plenus spiritu
Clamabat: in altissimis
Hosanna David filio.

Quidam solutis propriis
Viam tegebant vestibus,
Pluresque flore candido
Iter parabant domino.

Ad cuius omnis civitas
Commota ingressum tremuit;
Hebraea proles aurea
Laudes ferebat debitas.

Nos ergo tanto iudici
Curramus omnes obviam,
Palmas gerentes gloriae
Mente canamus sobria.

Honor, decus, imperium
Sit Trinitati unicae,
Patri, nato, paraclito
Per infinita saecula.

In diversis libris huiusce carminis ratio prorsus est diversa. Thomasius in hymnario Gregorio tribuit carminis initium, et quidem, v. 1—20.: reliquos versus a Ramos virentes sumpserat sub Fortunati nomine exhibet. Facit cum eo Torrentinus. Editores Gregorii habent v. 1—20. et 29—32. ut Lossius et Cassander, qui tamen monet hymnum in libris Romani ordinis (qui olim cum descripserunt in Benedictione palmarum) longe auctiorem inveniri. Addit igitur versus omnes, qui supra leguntur, exhibitos illos praeterea in Brev. Cisterciensium e. a. Stropha carminis tertia: Nardi Maria pistici cum doxologia in permultis breviariis (mutata in hodiernis quoque) ponitur in festivitate B. Mariae Magdalenae. — 1. Cs. magnum s. gaudium. 3. Cs. gentium. 4. Wimpf. salvavit. 7. Cs. Clicht. Gronium. 8—12. In Romano hodie ita sunt: Maria castis osculis Lambit Dei vestigia, Fletu rigat, tergit comis, Detersa nardo perlinit. 18. Fabr. o mira. 19. Wimpf. dignatus. 34. Cass. in marg. sancto repletus. 45. Cass. in marg.: nos ergo sui famuli. 47. Id. al.: tenentes gloriae. 48. Id. al.: hymnos c. sobrie.

CLI.

In Passione Domini (*al. in coena domini.*)

Rex Christe, factor omnium,
Redemptor et credentium
Placare votis supplicum
Te laudibus colentium.

Cuius benigna gratia
Crucis per alma vulnera
Virtute solvit ardua
Primi parentis vincula.

Qui es creator siderum
Tegmen subisti carneum,
Dignatus hanc vilissimam
Pati doloris formulam.

Ligatus es ut solveres
Mundi ruentis complices,
Per probra tergens crimina
Quae mundus auxit plurima.

Cruci redemptor figeris,
Terram sed omnem concutis;
Tradis potentem spiritum
Nigrescit atque saeculum.

Mox in paternae gloriae
Victor resplendens culmine
Cum spiritus munimine
Defende nos rex optime.

In quibusdam Brev. describitur hymnus ad Laudes in Domin. Passionis, alii eum in tenebrosis matutinis (Rumpelmetten) ad Laudes cantatum esse referunt, praecipue feria quinta in coena dom. Ludecus monet, cantato versu primo, cantorem et baccalaurenm orare: „Kyrie eleïson, Christe eleïson, Kyrie eleïson, Christe eleïson, Kyrie eleïson," tum adiicere pueros: „Christe audi nos, salva nos" itemque fieri deinceps post unumquemque versum. Mon. Salisb. haec habet: *den ympnum list oder singt man czw den finstern metten so man umb die kirchen get und das laus t' xpe singet.* Eiusdem viri est vetustissima interpretatio: kvnig christe macher aller ding: adde Spangenbergii canticum: O Christe Schöpffer aller ding. Hoc nostrum carmen, quod in vetustis satis rarum est et ex hodiernis prorsus evanuit, Lutherum, acerrimum patronum, reliquis omnibus praeposuisse notissimum est. Sana et moderata est huius temerarii iudicii censura apud Rambachium (p. 108). *Dieser Gesang bekommt für Protestanten dadurch ein besonderes Interesse, dass Luther ihn, wie in seinen Tischreden erzählt wird, für den allerbesten Hymnus erklärte: ein Lob, das, wenn es überall ernstlich gemeint war, doch wohl mehr den in ihm berührten Wahrheiten, als der Behandlung und dem Vortrage galt.* Recte miratur Augusti, Lutherum suum hymnum vernaculo sermone non expressisse. — 2. 3. H. placare votis supplicum, redemptor et credentium. 17—20. Suspicor apud veteres inter hunc versum ritum illum peractum esse prorsus singularem, cuius mentionem iniicit Merati (Thes. Rit. III. p. 454). *Oratione completa Superior Chori vel Caerimoniarius excitabit fragorem ac strepitum, percutiens manu librum, aut scabellum; ac similiter alii omnes facient, donec acolythus deputatus accensum cereum, quem tenebat occultum, spatio dominicae orationis illum producat et in summitate candelabri suo loco reponat, hoc enim prolato omnes a strepitu cessare debent et ecclesiae custodes invigilare ne strepitus ulterius protrahatur in illis locis praesertim in quibus fit talis fragor cum excessu.* In hoc ritu laudatissimum ecclesiae catholicae studium tradendi fidei mysteria populo per imaginem atque figuram, nimis in subtilia processisse, quis est qui negaverit. Neque alia vult Nickelius, vir summe reverendus (Heil. Zeiten II, 1, p. 134): *Die ganze Trauermette endet mit einem kurzen, durch eine hölzerne Maschine bewirkten Getöse. Der Heiland stirbt, die Erde bebt, die Felsen stürzen zusammen. — — Ist nun nicht alles so geistathmend, wenn gleich sinnlich, so erinnerungsvoll und grossartig, wenn auch am Ende sogar in kleine Fäden sich zerspaltend? —*

CLII.

Tempore Quadragesimae.

Ecce tempus idoneum,
Medicina peccaminum
Quibus Deum offendimus
Corde, verbis, operibus.

Qui pius et propitius
Nobis pepercit haetenus,
Ne nos cum nostris perderet
Tantis iniquitatibus.

Hunc igitur ieiuniis
Cum precibus et lacrimis
Multisque bonis aliis
Placemus devotissime.

Ut nos a cunctis sordibus
Purgans ornet virtutibus,
Angelicis et coetibus
Nos inugat in coelestibus.

Sit benedictus genitor
Eiusque unigenitus,
Cum spiritu paraclito
In sempiterna saecula.

In quatuor tantummodo libris carmen inveni: in Thomasii, Wimpfelingii et Ellingeri libris, porro in Brev. Sarisburiensi. — 12. Sb. devotissimi. 16. Sb. conianiat. 20. Sb. trinus et unus dominus.

CLIII.

Tempore Quadragesimae.

Summi largitor praemii,
Spes qui es unica mundi,
Preces intende servorum
Ad te devote clamantum.

Nostra te conscientia
Grave offendisse monstrat,
Quam emundes supplicamus
Ab omnibus piaculis.

Si rennis, quis tribuet:
Indulge quia potens es,
Si corde rogamus, mundo
Certe debes ex promisso.

Ergo accepta hoc nostrum
Qui sacrasti ieiunium,
Quo mystice paschalia
Capiamus sacramenta.

Summa nobis hoc conferat
In deitate Trinitas,
In qua gloriatur unus
Per cuncta saecula Deus.

Hic hymnus, salebris satis impeditus, in rariorum est numero. Ex nostris Brev. dabant Hv. Aug. Cs. Cod. W.

1. (ad Completorium usque ad tempus Passionis), ex hymnologis Wimpf. Beb. Torr. Clicht. Ell. Thom., sed mirum in modum dissentiunt. — 1. Clicht.: al. summe. 2. W. 1. spes una mundi perditi. 3. W. 1. pauperum. 4. Wimpf. Hv. clamantium. W. 1. ad pedes tuos flentium. 5. W. 1. nos. 6. W. 1. culpis accusat gravibus. Wimpf. te offendisse. 7. Aug. Wimpf. Torr. emunda. 10. W. 1. mitis. 11. 12. Thom. te corde rogare mundo fac nos precamur domine. H. W. 1. pio cf. 13. Aug. Torr. acceptato al. acceptare. Clicht. tu nostrum. W. 1. mysticum. 14. W. 1. quod. 15. W. 1. ubi digne.

CLIV.

Hymnus matutinus.

Noctis tempus iam praeterit,
Iam gallus canit vivis,
Gallo canente spes redit,
Aegris salus refunditur.

Somno gravati surgite,
Cordis reatum pandite,
Iesuque laudem dicite,
Qui nos redemit sanguine etc.

In Thomasii Hymnario exstat sub Gregorii nomine hoc carmen (sexaquinta quatuor versuum), magna ex parte ex Ambrosii eloquiis confectum et pessime tornatum.

L.

S. ISIDORUS HISPALENSIS.

CLV.

Hymnus de S. Agatha.

Festum insigne prodiit,
Chorus cum voces in aula resonet,
Cunctorum Deo dicata plebs alterna
Tota pandite vota.

Haec virgo sacra, germineque clara
Saeculi cuncta respuit caduca,
Christum secuta, acriori poenae
Subdidit membra.

Index iniquus ipse Quintianus
Virginem sanctam Agatham cum vidit,
Decem malignis feminis obscoenis
Tradi praecepit.

Quam cum vidissent: blandiuntur verbis
Audi praeceptum iudicis monentis,
Adora deos et lucrare vitam,
Praemiaque multa.

Sed fide plena nobilis puella
Execrat cuncta vanitatum verba,
Spemque fixam retinet in Christo
Semper invicta.

Quam Quintianus praesentari iubet,
Idola vana cogit adoranda
Fortis puella Christum est professa
Fide perfecta.

Iratus iudex sibilat crudelis,
Tortores suos excitat; in mamillis
Torqueri iubet delicatum corpus
Puellae sacrae.

Poenas illatas viriliter portat,
Corpus intactum domino conservat,
Fide qua credit omnia tormenta
Fortiter vincit.

Additur poena crudelis et saeva,
Virginis sacrae torquetur mamilla:
Diuque torta abscindi praecepit
Ubera sacra.

Tunc virgo sancta in carcere trusa,
Fortis in Christo facta est athleta,
Cuius e coelis angelica cura
Sanat mamillam.

Splendor sanctus tenebras illustrat,
Per totam noctem lux e coelis micat,
Pavore multo territi custodes
Fugiunt omnes.

Furore plenus ultroneus tortor
Testas acutas, ignitos carbones,
Corpus sacratum volutari iubet
Latere nudo.

En terrae motus factus est immanis,
Moerorque cunctos terruit tortores;
Unum oppressit, nomine Silvanum,
Pars parietis.

Omnis conventus ille civitatis,
Tremore viso sic concurrunt omnes,
Iudicem saevum volentes occidi:
Fugit ipse.

Post virgo laeta ergastulis clausa
Expandit manus, dominum exorans,
Sacram efflavit animam in coelum:
Toga cum sancta

Angelus Dei descendit de coelo,
Corpusque sanctum tumulat honore,
Tabulam signat aureis scriptam
Litteris sacram.

Iudex iniquus numquam erubescens,
Volens inquirit eius facultates.
Pessima morte, morsibus equorum,
Nece vastatur.

Mirata satis prodierunt signa,
Anni vertentis facta comprobantia;
Aetnaeus ipse mons eructavit
Ignem ardentem.

Videntes cuncti rogum venientem,
Velum sepulcri simul expandentes,
Iguis stetit honorificando
Corpus beatum.

Deus, qui tanta tribuisti dona
Virgini tuae, coelestia regna,
Nobis indigenis, ob honorem eius,
Dilue culpas.

Ob cuius laudem clerus hic decantans,
Precibus eius tibi sit acceptus,
Ratumque reddat plebis tuae votum
Honore sacrum.

Sacerdos vita habeatur clarus,
Moribus bonis tibi sit ornatus.
Ut digne possit tuum immolare
Corpus beatum.

Cuiusque festum annuis recursibus
Laudem honoris persolvimus votum:
Eius obtentu laetemur cum sanctis
Tuis in coelo.

Haec in honorem carmina, quae dixi,
Virginis sacrae merita narravit,
Tuo ex dono haeres sit in coelo
Sanctorum choro.

Gloria tibi patri glorioso,
Et Iesu Christo redemptori nostro,
Qui tecum regnat cum spiritu sancto.
Inge per aevum, Amen.

Conferas Acta Sanctorum Februar. Tom. I. p. 597.

CLVI.

De S. Agatha.

Adesto plebs fidissima etc.

Acta Sanct. Febr. Tom. 1. p. 596.

M.

CYXILLA.

CLVII.

Hymnus de S. Thyrso et sociis.

Exulta nimium turba fidelium,
Sollemne hodie martyris inclyti
Est festum: modula carmine fortiter
In laudem domini atque potentiam.

Coelestis patriae gaudia cogitat
Thyrsus vir pepulit omnia saeculi,

Sanctus, quum minime crederet in Deum,
Afflatus subito flamine sancto est.

Saevum conspiciens iudicem, increpat:
Cur sanctos domini, inquit, atrociter
Poenis discrucias valde crudelibus?
Infelix crebi igne cremandus es.

Illico rabidus tempora presserat
Hostis Combritius membra colentium
In terra dominum; multa perempta sunt
Sanctorum nitida millia martyrum.

Sanctus pro domino Leucius nititur
Electam animam tradere promptior:
Diversa genera pertulit innocens
Poenarum, capiens praemia coelica.

Athleta pedibus impiger ambulans
Thyrsus, ubi regem repperit impium,
Apprendens tenuit, admonet et docet
Iam falsa ut colere desinat idola.

Tum laeto simulans ore loquutus est:
Te Thyrse cupio consilio meo
Assensum tribuens, sacrifices Diis,
Ut magnas capias copias munerum.

Sanctus, perspicuum est, ait, impie,
Quod totus habitet ille nequissimus
In te, nunc coluber pravus et invidus:
Cum tali pereas principe horrido.

Gustrum perniciter adfore praecipit
Plenum lympha, caput martyris suffocat.
Corpus, quod superest fustibus caedere
Nodosis acrius pestifer imperat.

Sed servus domini voce piissima
De vase miserum iudicem increpat:
Agnosce dominum lubrice et invide,
Cum cernis opera magna et inclyta.

Terra construitur alta et eminens,
Per gyrum gladiis fixis in ordine:
Almo fastigio positus, decidens
Ense ut suscipiat membra fidelia.

Magnus tu, domine, es prae diis omnibus,
Multum mirificus in te credentibus.

Pravis muscipula fit: sanctus in aethera
Christi glorificat omnipotentiam.

Victus non destitit insatiabilis
Fera terribilis, sed nova cogitat
Tormenta, sitiens vincere martyrem:
Sed sanctus dominus conteruit malum.

Ne Thyrse timeas, sic ait angelus,
Directus ego sum a domino Deo
Ad te, ut supplicia auferam omnia:
Hostemque poteris vincere pessimum.

Exaudi domine: cogitat impius
Inferre onera, vincula omnia,
Et fervens oleum, plumbum, et ungulas,
Ut sanctum superet martyrem et necet.

Cernens proficere nil suis viribus,
Sanctum praecipitem in mare praecipit
Iactari, videant ne oculi hominum,
Ter dena stadia a littore longius.

Quam mira domine sunt opera tua:
Adducunt manibus angeli martyrem,
Et dulci resonant carmine canticum;
Iudex non meruit cernere angelum.

Debemus penitus facta retexere,
Quae sancti meritis reddiderit bona.
Tribus iudicibus culpa latentibus,
Quos terra repulit mortuos saepius;

Exorant populi martyrem; inquiunt:
Oramus, domine, praecipe protinus
Terra ut suscipiat corpora iudicum,
Qui escam dent putridam vermibus funditus.

Clementer lacrymans, oraculum accipit,
Designans locum ubi corpora condere
Debeant. Veniam da, pie, poscimus,
Martyr, nos humiles credimus in Deum.

Laetentur omnium corda volentium
Coelestis patriae quaerere gaudia:
Et parvi faciant ulla nocentia,
Quae venti a facie ut stipula pervolant.

Te martyr lacrymis vernule, poscimus,
Per te omnipotens conditor oeyus,

Durum quo premimur hoc ingum auferat,
Et laetos faciat saecla per omnia.

Iam summe domine respice saucium,
Delicti populo dele chirographum;
Et nostrum gemitum cerne propitius,
Dans nobis auxilium tempore congruo.

Defunctis requiem omnibus, optime,
Concede; tempora prospera tribue,
Victum pauperibus, subsidium viduis:
Omnes percipiant, quod pie postulant.

Templum hoc, domine, Cyxilla condidit,
Dignam hic habeat sortem in aethera:
Cum summis civibus cantica praecinat,
Gaudens perpetuis saeculis omnibus.

Te nostra iubilet gloria perpetim,
Qui solus dominus, trinus et unus es:
Ingi imperio saecula continens,
Et cuncta dominans, omnibus imperans.

Praesta, ingenite, per unigenitum,
Regnans qui perpetim cum sancto spiritu,
Olympum contines ingi iudicio,
Sustentans aridam perenne imperio.

Damus canticum poetae Hispani, quem nisi fallor, sacrae poeseos scriptores omiserunt ad unum omnes. Prolixius de Cyxillane eiusque carmine agemus infra, nunc sufficiat attulisse quae referunt Acta Sanct. Ianuar. Tom II. p. 812. *Addimus hymnum de S. Thyrso et sociis, quem Baronius citat in Notis ad XXIV. Ianuarii, compositum a Cyxillane, ut testantur Silo Rex et Iulianus Archipresbyter; huius verba sunt num.* 397 *in Chronico: Idem Cyxilla Praesul, qui iussit aedificare templum, et composuit hymnum. at Silo in praedicta epistola: Audivi, inquit, quod composuistis hymnum in dedicatione S. Thyrsi Martyris et civis Toletani et de S. Vincentio et Laeto etc..... Mittat tua Paternitas illos ad me ut nostri Clerici habeant quid cantent. Arbitratur Villegas ultimos solum versus a Cyxillane additos, cum templum S. Thyrso dedicasset, reliquum hymnum ante a S. Isidoro fuisse compositum. Eundem ex Breviario Mozarabum exhibet Bivarius cum nonnullis capitulis et Benedictionibus.*

N.

S. EUGENIUS TOLETANUS.

CLVIII.

Oratio S. Eugenii Toletani Episcopi (al. Precatio ad Deum.)

Rex Deus, immensi quo constat machina mundi,
Quod miser Eugenius posco, tu perfice clemens:
Da vigilem sensum rex regum cuncta gubernans,
Da precor ingenium, da mentis lumen honestum.
Sit mihi recta fides et falsis obvia sectis,
Sit mihi praecipue morum correctio praesens.
Sim carus, verax, humilis, cum tempore prudens,
Secreti tacitus et linguae famine cautus.
Da fidum socium, da fixum semper amicum,
Da blandum, sobrium, parcum castumque ministrum.
Non me pauperies cruciet, aut languor obunect.
Sit comes alma salus et sufficientia victus.
Absint divitiae, fastus et iurgia, lites,
Invidia et luxus et ventris pensio turpis.
Crimine nec laedam quemquam, nec crimine laedar.
Sic bene velle queam, quo pravum velle recedat.
Turpe nihil cupiam, faciam, vel proloquar unquam.
Te mea mens sitiat, sermo canat, actio promat.
Da, pater altitonans, undosum fletibus imbrem,
Quo valeam lacrimis culparum solvere moles.
Da, precor, auxilium, possim quo vincere mundum,
Et vitae stadium placido percurrere passu;
Quumque suprema dies mortis patefecerit urnam,
Concede veniam, cui tollit culpa coronam.
[Gloria summa tibi, coelique terraeque creator,
Qui Deus es trinus, regnans super omnia solus.)

Cassander: *Hoc carmen corollarii loco adiicere visum fuit, tum quod hymni speciem prae se ferat, utpote quod in doxologiam desinat* (deest tamen apud Ramb. et Kehr.) *tum quod argumentum plurimum mihi adlibuerit. Continet enim summatim precationem omnium quae ad piam beatamque vitam pertinent. Accedit his, quod huius, quicunque is fuerit, boni viri vota* (Eugenium auctorem ignoravit) *cum mea mente pulcherrime congruere sentiam. Paucos itaque hos versiculos, incultos quidem illos sed tamen pios et ad praesentem rerum sta-*

tum accommodatos (qui et nobis praesens) *quorum sententiam in meis precibus complecti solco, adiiciendos duxi.* Neque aliter senserunt Thomasius et Rambachius (qui tamen septem versus omisit) a quibus optimis viris ego recedere nolui. — 2. In exemplári Cass. hic versus hiulcus erat: supplevit ita: quod miser imploro per Christum te pie clemens. 8. Cass. linguae fulmine. 13. Ramb. Kehr. iurgia litis. 14. Cass. invidiae luxus. 17. Cass. Kehr. Thom. nil turpi cupiant. 18. Kehr. Thom. te mens desideret. Bibl. Patr. L. lingua canat.

O.

HYMNI *ΑΔΕΣΠΟΤΟΙ*

circa sc. VI—IX. conscripti.

CLIX.

Ad Matutinum.

Hymnum dicat turba fratrum, hymnum cantus personet,
Christo regi concinentes laudes demus debitas:
Tu Dei de corde verbum, tu via, tu veritas,
Iesse virga tu vocaris, te leonem legimus,
Dextra patris, mons et agnus, angularis tu lapis,
Sponsus idem vel columba, flamma, pastor, ianua
In prophetis inveniris nostro natus saeculo,
Ante saecla tu fuisti factor primi saeculi:
Factor coeli, terrae factor, congregator tu maris,
Omniumque tu creator quae pater nasci iubet,
Virginis receptus membris Gabriele nuntio,
Crescit alvus prole sancta, nos monemur credere
Rem novam nec ante visam virginem puerperam.
Tunc magi stellam secuti primi adorant parvulum
Offerentes thus et aurum digna regi munera.
Mox Herodi nuntiatum, invidens protentiae,
Tum iubet parvos necare, turbam fecit martyrum.
Fertur infans occidendus nili flumen quo fluit,
Qui refertur post Herodem nutriendus Nazareth
Multa parvus, multa adultus signa fecit coelitus
Quae latent et quae leguntur coram multis testibus.

Praedicans coeleste regnum dicta factis approbat
Debiles fecit vigere, caecos luce illuminat;
Verbis purgat leprae morbum, mortuos resuscitat,
Vinum quod deerat hydriis mutari aqua iubet
Nuptiis moerore tentis propinato populo.
Pane quino, pisce bino quinque pascit millia
Refectis fragmenta coenae ter quaternis corbibus,
Turba ex omni discumbenti iugem laudem pertulit.
Duodecim viros probavit per quos vita discitur,
Ex quis unus invenitur, Christi Iudas traditor.
Instruuntur missi ab Anna; proditoris osculo
Innocens captus tenetur, nec repugnans ducitur
Sistitur falsis, grassatur offerendus Pontio;
Discutit obiecta, praeses nullum crimen invenit,
Sed cum turba Iudaeorum pro salute Caesaris
Dicerent Christum negandum turbis sanctus traditur;
Impiis verbis gravatur, sputa, flagra sustinet,
Scandere crucem iubetur innocens pro noxiis,
Morte carnis quam gerebat mortem vicit omnium.
Tum Deum clamore magno patrem pendens invocat
Mors secuta membra Christi laxat stricta vincula,
Vela templi scissa pendent, nox obscurat saeculum,
Excitantur de sepulcris dudum clausa corpora.
Adfuit Ioseph beatus; corpus myrrha perlitum
Linteo rudi ligatum cum dolore condidit.
Milites servare corpus Annas princeps praecipit,
Ut videret si probaret Christus quae spoponderat.
Angelum Dei trementes veste amictum candida,
Quo candore claritatis vellus vicit sericum.
Demovet saxum, sepulcro surgit Christus integer.
Haec vidit Iudaea mendax, haec negat cum viderit.
Feminae primum monentur salvatorem vivere,
Quas salutat ipse moestus, complet tristes gaudio,
Seque a mortuis paterna suscitatum dextera
Tertia die redisse nunciat apostolis.
Mox videtur a beatis quo probavit fratribus,
Quod redisset ambigentes intrat clausis ianuis.
Dat docens praecepta legis dat divinum spiritum,
Spiritum Dei perfectum, Trinitatis vinculum.
Praecipit totum per orbem baptizare credulos
Nomen patris invocantes confitentes filium.
Mystica fide revelat tinctos sancto spiritu
Fonte tinctos, innovatos filios factos Dei.
Ante lucem turba fratrum concinamus gloriam,
Qua docemur nos futuros sempiterna saecula.

Galli

Galli cantus, galli plausus proximum sentit diem,
Nos cantemus et precantes quae futura credimus,
Maiestatemque immensam concinamus uniter
Ante lucem nunciemus Christum regem dominum
Et qui in illum recte credunt regnaturi cum eo.

Cass.: „Hunc hymnum commendat Beda lib. de re metrica (commemorat eum quoque Hincmarus). De metro enim trochaico tetrametro loquens, Huius, inquit, exemplo totus est hymnus ille pulcherrimus: Hymnum dicat turba fratrum. Quare illum adiiciendum putamus, repertum in vetustissimo libro Benedicti regulam cum hymnis continenti, unde et plerosque alios desumpsimus.“ Praeterea legitur carmen sub Hilarii nomine in pervetusto Antiphonario Benchoriensi, opera Muratorii (Anecd. Tom. IV.) evulgato. Poetas christianos, si tempus matutinum vel vespertinum vel quam aliam diei horam celebrare velint, nihil antiquius habere quam ut redemptoris vitam fidelibus explanent, iam ex Prudentio notum est. — 3. cf. H. 106, 1. Ioan. XIV, 6. 4. Is. XI, 1. Apoc. V, 5. *vicit leo de tribu Iuda.* 5. Quae de manu et singillatim de dextera Dei in scriptura leguntur, ad Christum veteres referebant. Item Ps. LXVI, 16 sq. Dan. II. 45. sub montis et lapidis figura Christus ipsis latitabat cf. H. 15, 25—28. 6. Cant. II, 14. Apoc. I, 14. *oculi eius tanquam flamma ignis.* Io. X, 2 sq. 9. Gen. I, 9. *Dixit Deus: congregentur aquae.* 18. Aut poeta novit evangelica apocrypha aut pro certo habuit Christum iam in infantia miracula patrasse, quae nos tamen laterent. 32. Cass. in margine: fort. gravatur. Retinuimus grassatur, quam vocem loco nostro (ut saepius) eundi vel procedendi notionem habere nemo non intelligit. Innuit poeta Christum redemptorem ab uno tribunali ad alterum, crudeliter raptum esse a quatuor impietatis iudicibus esse vexatum. 33. Io. XVIII, 38. *ego nullam invenio in eo causam.*

CLX.

Hymnus quando communicant sacerdotes.

Sancti venite,
Christi corpus sumite,
Sanctum bibentes
Quo redempti, sanguinem.

Salvati Christi
Corpore et sanguine,
A quo refecti
Laudes dicamus Deo.

Dator salutis,
Christus filius Deo
Mundum servavit
Per crucem et sanguinem.

Pro universis
Immolatus dominus,
Ipse sacerdos
Exstitit et hostia.

Lege praeceptum
Immolari hostias,
Qua adumbrantur
Divina mysteria.

Lucis indultor
Et salvator omnium
Praeclaram sanctis
Largitus est gratiam.

Accedunt omnes
Pura mente creduli,
Sumant aeternam
Salutis custodiam.

Sanctorum custos
Rector quoque dominus,
Vitam perennem,
Largitur credentibus.

Coelestem panem
Dat esurientibus,
De fonte vivo
Praebet sitientibus.

Alpha et Omega
Ipse Christus dominus,
Venit venturus
Iudicare homines.

Ex Antiphonario Benchoriensi, cuius supra mentio iniecta est, desumpsit Rambachius in Anthol. I. p. 133. Quod hymno, nobili quadam simplicitate conspicuo, inscriptum est, hoc recentioris aetatis putaverim. Spectat carmen procul dubio (v. 25. 36. e. a.) ad omnes Christianos, qui tunc temporis sub utraque specie Christum sum acceperunt.

CLXI.

Hymnus de die iudicii.

Apparebit repentina dies magna domini,
Fur obscura velut nocte improvisos occupans.
Brevis totus tum parebit prisci luxus saeculi,
Totum simul cum clarebit praeterisse saeculum.
Clangor tubae per quaternas terrae plagas concinens,
Vivos una mortuosque Christo ciet obviam.
De coelesti iudex arce, maiestate fulgidus
Claris angelorum choris comitatus aderit:
Erubescet orbis lunae, sol et obscurabitur,
Stellae cadent pallescentes, mundi tremet ambitus;
Flamma, ignis anteibit iusti vultum iudicis,
Coelos, terras et profundi fluctus ponti decorans.
Gloriosus in sublimi rex sedebit solio,
Angelorum tremebunda circumstabunt agmina.

Huius omnes ad electi colligentur dexteram,
Pravi pavent a sinistris hoedi velut foetidi:
Ite, dicit rex ad dextros, regnum coeli sumite,
Pater vobis quod paravit ante omne saeculum;
Caritate qui fraterna me iuvistis pauperem,
Caritatis nunc mercedem reportate divites.
Laeti dicent: quando Christe pauperem te vidimus,
Te rex magne vel egentem miserati iuvimus:
Magnus illis dicet iudex: cum iuvistis pauperes,
Panem, domum, vestem dantes, me iuvistis humiles.
Nec tardabit et sinistris loqui iustus arbiter:
In gehennae maledicti flammas hinc discedite;
Obsecrantem me audire despexistis mendicum,
Nudo vestem non dedistis, neglexistis languidum.
Peccatores dicent: Christe, quando te vel pauperem,
Te rex magne vel infirmum contemnentes sprevimus.
Quibus contra iudex altus: mendicanti quamdiu
Opem ferre despexistis, me sprevistis improbi.
Retro ruent tum iniusti ignes in perpetuos,
Vermis quorum non morietur, flamma nec restinguitur,
Satan atro cum ministris quo tenetur carcere,
Fletus ubi mugitusque, stridٍent omnes dentibus.
Tunc fideles ad coelestem sustollentur patriam,
Choros inter angelorum regni petent gaudia,
Urbis summae Hirusalem introibunt gloriam
Vera lucis atque pacis in qua fulget visio.
XPM. regem iam paterna claritate splendidum
Ubi celsa beatorum contemplantur agmina —
Ydri fraudes ergo cave, infirmantes subleva,
Aurum spreve, fuge luxus si vis astra petere.
Zona clara castitatis lumbos nunc praecingere,
In occursum magni regis fer ardentes lampades.

Meminit huius hymni alphabetici Beda de metris; exscriptus est in Cassandri, Thomasii atque Rambachii libris. Iuvat carmen fere totum e scriptura sacra depromptum, comparare cum celebratissimo illo extremi iudicii praeconio Dies irae, dies illa, quo maiestate et terroribus, non sancta simplicitate et fide superatur. — 5. Thom. paternas. 22. Cass. in margine: al: miserantes. 27. Thom. me despexistis. 30. Cass. in marg.: al. vel egentem.

CLXII.

Hymnus de Ascensione Domini.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Aeterne rex altissime,	Aeterne rex altissime,
Redemptor et fidelium,	Redemptor et fidelium,
Quo mors soluta deperit	Cui mors perempta detulit
Datur triumphus gratiae.	Summae triumphum gratiae.
[Quem lex subacta tartari	
Marcens averno dispulit,	
Carens mucrone pessimo	
Throno remisit patrio.]	
Scandens tribunal dexterae	Ascendis orbes siderum,
Patris, potestas omnium	Quo te vocabat coelitus
Collata est Iesu coelitus,	Collata, non humanitus,
Quae non erat humanitus.	Rerum potestas omnium.
[Nec fit salus ullo modo	
Tuo foris vocabulo,	
A quo creata cuncta sunt	
Et recreata sancta sunt.	
Haec tanti Christi gratia,	
Nexum tollit peccaminum,	
Sumpsitque corpus proprium	
Totumque possidet polum.]	
Ut trina rerum machina,	Ut trina rerum machina,
Coelestium, terrestrium	Coelestium, terrestrium
Et infernorum condita	Et inferorum condita
Flectat genu iam subdita.	Flectat genu iam subdita.
Trementes vident angeli	Tremunt videntes angeli
Versa vice mortalium:	Versam vicem mortalium:
Culpat caro, purgat caro,	Peccat caro, mundat caro,
Regnat Deus Dei caro.	Regnat Deus Dei caro.
[Quae praeminet virtutibus,	
Summis procul coelestibus,	
Deus caro atque spiritus,	
Plenus Deus verusque homo.	
Dicunt et astris angeli,	
Deum reverti huiusmodi,	
Quem nos redire credimus,	
Regnare prorsus novimus.]	

Tu Christe nostrum gaudium,
Manens Olympo praeditum,
Mundi regis qui fabricam
Mundana vincens gaudia.

Hinc te precantes quaesumus:
Ignosce culpis omnibus
Et corda sursum subleva
Ad te superna gratia.

Ut cum rubente coeperis
Clarere nube iudicis,
Poenas repellas debitas,
Reddas coronas perditas.

[Da nobis illuc sedula
Devotione tendere,
Quo te sedere cum patre
In arce regni credimus.]

Gloria tibi domine,
Qui ascendisti ad aethera,
Cum patre et sancto spiritu,
In sempiterna saecula.

Sis ipse nostrum gaudium,
Manens Olympo praemium,
Mundi regis qui fabricam,
Mundana vincens gaudia.

Hinc te precantes quaesumus:
Ignosce culpis omnibus
Et corda sursum subleva
Ad te superna gratia.

Ut cum repente coeperis
Clarere nube iudicis,
Poenas repellas debitas,
Reddas coronas perditas.

Iesu, tibi sit gloria
Qui victor in coelum redis,
Cum patre et almo spiritu
In sempiterna saecula.

Hymnus, apud antiquos rarus, in Brev. Romano ponitur in Ascensione ad Matutinum. Thomasius exhibet eum, qualem scriptum invenit in breviariis Mozarabum: his debentur versus uncis inclusi. — 3. Act. II, 24. *Quem Deus resuscitavit solutis doloribus inferni.* 9. W. 1. gloriae. 10—12. W. 1. Cs. patris locaris dextera et potestatem accipis perfectam super omnia. 11. Thom. om. et. 12. Ramb.: Du schwingst dich auf der Menschheit Stufen, Wohin dich keines Menschen Sinn, Wohin dich Gott gerufen. Rectius Wimpf.: *non est collata humanitus i. e. quamdiu erat in mundo.* 13. 14. Act. IV, 12. *Non est in alio aliquo salus, nec enim aliud nomen (vocabulum) est* etc. 15. 16. Col. I, 16. Ephes. II, 10. 21. cf. H. 144, 3. 23. W. 1. Cs. infernorum genua. 24. W. 1. Cs. flectant in Iesu nomine. Phil. II, 10. 25. Clicht.: *cum timore reverentur et venerantur Christum, dicentes cum admiratione quod apud Iesaiam scribitur „Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bostra," et quod Ps. 23. habetur „Quis est iste rex gloriae."* Hil.: *mirantur quia videbant humanam naturam per Christum ad dexteram Dei collocatam. Et nota quod ante nativitatem Christi angeli ab hominibus se adorari patiebantur, sed non postea, ut legimus de Ioanne, qui cum vellet adorare,*

inquit angelus: Noli me adorare, tuus enim sum et fratrum tuorum. 32. Col. II, 9: *in ipso inhabitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* 33. Ab hoc versu quibusdam in libris alius incipitur hymnus. 33—36. desunt in Cod. W. 1. et Cs. 34. al. praevium sive praemium. Nostra scriptura in Hil. Wimpf. Cass. Lg. 45. Thom. Lud. Fr. repente. 49—52. Col. III, 1. 2. 53. In aliis: qui scandis super sidera.

CLXIII.

Hymnus in unctione infirmi.

(Brev. Moz. in officio infirmorum.)

Christe, coelestis medicina patris,
Verus humanae medicus salutis,
Providae plebis precibus potenter
Pande favorem.

En, ob infirmos tibi supplicamur
Quos nocens pestis valetudo quassat,
Ut pius morbo releves iacentes
Quo quatiuntur.

Qui potestate manifestus exstans,
Mox socrum Petri febribus iacentem,
Regni prolem, puerumque salvas
Centurionis.

Corporum morbos animamque sana
Vulnerum causis adhibe medelam,
Ne sine fructu cruciatus urat
Corpora nostra.

Ferto languenti populo vigorem,
Effluc largam populo salutem,
Pristinis more solito reformans
Viribus aegros.

Iam Deus nostras miserate fletus
Pro quibus te nunc poscimus medere
Ut tuam cunctus recubans medelam
Sentiat aeger.

Omnis impulsus perimens recedat,
Omnis incursus crucians liquescat,
Vigor optatae foveat salutis
Membra dolentis.

Quo per illata mala dum teruntur,
Eruditorum numero decori
Compotes intrent sociante fructu
Regna polorum.

Gloriam patri genitaeque proli
Et tibi compar utriusque semper
Nomine trino deitate soli
Sidera clament

Thomasius ex Breviario Mozarabum, Cassander, Ellingerus, Rambachius hoc carmen exhibent. Sine dubio decantari solebat inter ungendum seu post unctionem infirmi, antequam corpus et sanguinem domini acciperet. Haud male Ramb.: *Dieser Gesang kommt in Alcuins Officiis unter dem Namen des Ambrosius vor, dem er doch sicher nicht angehört (?); ohne Zweifel wurde er auf Veranlassung einer gefährlichen Seuche verfertigt und erst später zum Gebrauch bei der Salbung der Kranken angewendet.* 12. Io. IV, 46. 14. Cass. Ramb. vulneris causis, in marg. vulnera quassans. 19. Cass. in marg. reforma. 23. Thom. omnis rec. 27. Cass. in marg. virtus optatae.

CLXIV.

Ad Completorium.

Adsunt tenebrae primae,
Noctis terrae excursus,
Cum canticis et hymnis
Nunc dedicemur omnes.

Nam tempus illud hoc est,
Quod Hieremias dicit,
Surgendum esse noctis
Primordio in noctis.

Nos spiritus per arma,
Invicta radix David
Disrumpe vincla noctis
Et da iubar salutis.

Somno quiescit grata,
Mens pervigil resurgat,
Non sordidemur actu
Nec spiritu gravemur.

Sed corpore et mente
Spiritu fervente,
Vestigio impigro
Te consequamur Christe.

Thomasius ex Brev. Mozarabum.

CLXV

Hymnus de S. Christina.

Virginis sacrae triumphum prosequamur laudibus,
Quae viriliter certando hostem vicit improbum
Et servando castitatem meruit praeconium.

Haec namque virgo dum esset parvula temporibus,
Concupivit regem Christum adorare dominum
Et neglectis simulacris thus offerre pudicum.

Quae paterna deridendo flagra vel supplicia,
Non attendit prava verba, cor ad haec nec posuit
Sed sereno poenam vultu sustulit viriliter.

Christi nomine beata quod Christina dicitur
Appellari virgo pia, sed a Christi nomine
Derivatum patet suum esse sic vocabulum.

Paternam fide probata iram temnens despuit
Celso gaudio oblectata divinitus gratis tuis
Depellebat, ac supernis incumbebat praemiis.

Nulla (hanc) tormenta fregere, nulla mors perterruit,
Sed alacri corde cuncta perferens certamina
Irridebat, cruciatur perdita vesania.

Caeditur namque suspensa, virgisque pertunditur;
Aeneumque vas repletum resina et oleo
Picis simulque torrente: ibi alma mittitur.

Undis impressa marinis a Christo eripitur,
Serpentium omnigenam depulit saevitiam,
Mortem simul ac tormenta reputans pro nihilo.

Tribus itaque devictis profanis iudicibus
Trinitatem confitendo triumphat feliciter,
Sic a seculo vocata migrat ad coelestia.

Tuo namque in honore, virgo sancta, canimus,
Iuva cunctos supplicantes, tege tuos famulos
Funde preces pro delictis Christo regi domino

Et tu Christe, rex immense, audi preces supplicum
Vota accipe, cunctorum culpas dele scelernm
Haec in festa hic orantes esto in subsidium.

Gloria et honor Deo usquequo altissimo,
Una patre filioque, inclytoque paraclito
Cui laus (est) et potestas per aeterna secula.

In vetustis Mozarabum breviariis, hymnorum multitudine eximiis, haud panca quoque exstant de Sanctis carmina, quorum passim mentionem iniiciunt Bollandistae. Duo ex his in thesaurum nostrum recipere voluimus: reliquorum damus exordia. Ita de S. Christinae hymno Acta Sanct. Iul. Tom. V. p. 503.: *Ritu annuo S. Christinam Moxarabibus in Hispania etiam esse venerabilem, diximus supra: et quamvis in eorum Breviario omnia de nostra Sancta unius virginis ritu dicenda praescribantur, hymnum tamen singularem ipsi condunt, quem a mendis aliquot expurgatum hic exhibemus.* Act. Sct. in marg.: forte armis suis.

CLXVI.

Hymnus de S. Genesio notario et mart.

Genesius igitur ille inveniculae,
Civis eximius Arelatis oppidi,
Aetatis peragens floscula primulae
Iniuncto paret ordini.

Excepter igitur dum nitesceret
Ac iussa tabulis publica scriberet,
Afflatus subito munere coelico
Quo vota cumulat pia.

Extemplo officium abnuit impium,
Et ceris renuit imprimere manum
Coelestis cupiens effici accola
Vita, votisque moribus.

Post, evangelicus sermo ut intonat
Diversas latebras per loca appetens,
Sese occulte recipit in abditis
Horrore ministerii.

Quem quaerens valide turba satellitum,
Nec hunc, ut cuperet, reperit uspiam,
Vastis reboans rictibus arbiter,
Ferrum sumite, clamitat.

Festinis propere pergite gressibus
Inventum refugam plectite, percutite,
Qui nostra monita temnere ansus est,
Nec sacros deos incolit.

Quod fama referens martyris auribus,
Ablutum neque se nosceret aequore,
Ferventi Rhodanum spiritu appetit,
Quo sordes queat ablui.

Auro lucidior inde regrediens,
Repertus iugulus sternitur impetu,
Coeli agminibus illico iungitur,
Comptus vertice laurea.

Acta Sanct. Aug. Tom. V. p. 125 haec habent: *Solennis Genesii veneratio non sese continuit intra limites Galliae; sed montes Pyrenaeos superavit, et in Hispaniam transiit, quemadmodum liquet ex veteri Breviario Mozarabico, cuius partem Toleti commorans anno* 1722. *transcripsi. In illo venerandae antiquitatis Officio celebrari S. Genesium Arelatensem, luce clarius evincit hymnus proprius, cuius barbarum stylum nonnihil ex coniectura corrigam, vel in margine explicabo. Antiquus autem iste hymnus inter alia ad propositum nostrum non pertinentia de sancto Martyre Arelatensi haec habet.* 26. Nondum baptizatus erat.

CLXVII.

In Natali S. Felicis M. patroni Gerundae.

Fons beatus vitae perennis,
Lux origo luminis,
Adspice plebem canentem
Festa summi martyris.

Excipe vota precantum,
Sume laudum carmina,
Ea tui Felicis almi
Pangimus insignia etc.

Ex Brev. Moz. A. S. Aug. Tom. I. p. 24.

CLXVIII.

De eodem.

O nimis Gerunda felix,
O beata civitas,
Nil malorum tu pavescis
Freta tanto martyre etc.

Ex Brev. Moz. A. S. Aug. Tom. I. p. 25.

CLXIX.

De Martyribus Scillitanis.

Sperati sancti martyris
Palmam virtutis inclytam,
Alternis invicem choris
Hymnis canamus mysticis etc.

Ex Brev. Moz. A. S. Iul. Tom. IV. p. 206.

CLXX.

In Communi plurimorum Martyrum.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Sanctorum meritis inclyta gaudia	Sanctorum meritis inclyta gaudia
Pangamus socii gestaque fortia,	Pangamus socii gestaque fortia,
Nam gliscit animus promere cantibus	Gliscens fert animus promere cantibus
Victorum genus optimum.	Victorum genus optimum.
Hi sunt quos retinens mundus inhorruit,	Hi sunt quos fatue mundus abhorruit,
Ipsum nam sterili flore per aridum	Hunc fructu vacuum, floribus aridum
Sprevere penitus teque secuti sunt	Contempsere tui nominis asseclae
Rex Christe bone coelitus.	Iesu rex bone coelitum.
Hi pro te furias atque ferocia	Hi pro te furias atque minas truces
Calcarunt hominum saevaque verbera,	Calcarunt hominum saevaque verbera,
Cessit his lacerans fortiter ungula,	Cessit his lacerans fortiter ungula,
Nec carpsit penetralia.	Nec carpsit penetralia.
Caeduntur gladiis more bidentium,	Caeduntur gladiis more bidentium,
Non murmur resonat, non querimonia,	Non murmur resonat, non querimonia,
Sed corde tacito mens bene conscia	Sed corde impavido mens bene conscia
Conservat patientiam.	Conservat patientiam.
Quae vox, quae poterit lingua retexere	Quae vox, quae poterit lingua retexere
Quae tu martyribus munera praeparas,	Quae tu martyribus munera praeparas,
Rubri nam fluido sanguine, laureis	Rubri nam fluido sanguine, fulgidis
Ditantur bene fulgidis.	Cingunt tempora laureis.
Te summa deitas unaque poscimus,	Te summa o deitas unaque poscimus

Ut culpas abluas, noxia subtrahas,	Ut culpas abigas, noxia subtrahas
Des pacem famulis, nos quoque gloriam	Des pacem famulis, ut tibi gloriam
Per cuncta tibi saecula.	Annorum in seriem canant.

Hic hymnus, qui Clichtovaeo magnam prae se fert elegantiam et gravitatem, in vetustis non tam frequens est quam alii hymni de communi appellati (ex nostris in Fr. Bd. Aug. Pt. Lg.: apud Radulphum fit eius mentio). — 7. Cass. Clicht. spreverunt. 9. Cass. in marg. ferocium. 14. Cass. Clicht. Lg. nec querim. 17. 18. I. Cor. II, 9. 21. Apud alios legebatur trina deitas quod aeque displicuit Hincmaro (de non trina Deitate init.) ac lubentissime acceptum est a Gotescalko. 24. Clicht. refert libros mendosos habere per cuncta pie saecula.

CLXXI.

De beata Virgine.

Ave maris stella,	Monstra te esse matrem,
Dei mater alma	Sumat per te precem,
Atque semper virgo,	Qui pro nobis natus
Felix coeli porta.	Tulit esse tuus.
Sumens illud Ave	Virgo singularis,
Gabrielis ore,	Inter omnes mitis,
Funda nos in pace,	Nos culpis solutos
Mutans nomen Evae.	Mites fac et castos.
Solve vincla reis,	Vitam praesta puram,
Profer lumen caecis,	Iter para tutum,
Mala nostra pelle,	Ut videntes Iesum
Bona cuncta posce.	Semper collaetemur.
Sit laus Deo patri,	
Summo Christo decus	
Spiritui sancto	
Honor trinus et unus.	

Hic hymnus Marianus, quem ecclesia Catholica semper ingenti cum favore prosecuta est, in omnibus breviariis, quae inspiciendi unquam mihi occasio data est, ad honorem bea-

tissimae virginis cantandus praescribitur, inprimis in Annunciatione; apud permultos tamen aliis quoque diebus festis Marianis adscriptus est. Quae hymni reverentia ad recentiora usque tempora permansit. Urbanus VIII. pontifex cum „correctis falsis syllabis ultra nongentas et mutatis ideo principiis“ hymnos emendaret, cum paucis nostrum reliquit intactum, quamquam est soluta potius oratio aliquibus incisis partita. (Gavanti Thes. III. p. 254.) Nunc in plurimis Mariae sollemnitatibus et in Officio eius parvo recitatur: ex rubricistis plurimi indicant, ab hebdomadario, primis illis verbis „Ave maris stella“ pronuntiatis, esse genuflectendum. (Gavanti l. l. p. 420. 476.) Caeterum vix moneamus necesse est, celebratissimum carmen innumeris aliis et latini et vernaculi sermonis exstitisse exemplar. Germanicum fecere quoad sciam ex vetustioribus monachus Salisb. „Ave meres sterne“ et Hortulus animae a. 1500 „Gegrüsst syst möres stern (Hoffmann D. K. p. 179) — 1. Erat mos apud antiquos, ut in quovis nomine proprio investigarent etymologiam, notionem, significatum ut in dictum mysticum. Hebraei et graeci sermonis cum plerumque essent ignari, omnes voces in latinarum numerum referentes, mira saepissime excogitarunt. Quo in studio Mariae nomen nequaquam potuit praetermitti: neque vero latina lingua aliud quid praebuit, nisi „maria“ vocis „mare“ numerum pluralem. Hac notione gavisi, ipsam in scriptura sacra latere ipsis erat certissimum. Prae ceteris de Maria explicabantur loci Gen. I. 10: *congregationes aquarum appellavit maria. Et vidit Deus, quod esset bonum* — et Ps. XXIII, 2: *super maria fundavit eam.* Unde saepissime poetis Maria audit „mare“: unum sufficiat exemplum (Wack. p. 661). *In dir Maria hoch gemeit maht got der wasser underscheit — — du bist dz mear, der wasserflussz, in dich rünt aller gnoden gussz — — du bist ein tieffy grundeloss, du bist dz mere ohne moass, durch dich dz ewig worte flossz* u. s. w. Alia imago de Maria saepissime prolata est illa, qua cum sole, vel luna, vel stella comparatur: apud alios data est ipsi corona duodecim stellarum (Wack. p. 101: *do dir mit ern von den zwölf stern ward aufgesetzt ain krone*). Ex his typicis Mariae notionibus, quas modo enarravimus, exorta est (ut solet) tertia: stella maris; nam, ut cum Hilario loquar, „*sicut stella praestat ducatum nautis ut veniant ad portum, ita ducatu virginis Mariae venimus ad portum, i. e. ad Christum.*“ Vel in nostro carmine M. primum ita appellata est, vel ut statuit Ven. Augusti in Sequentia Notkeri Eia recolamus „hodie saeculo maris stella est enixa.“ 5—8. Mariae cum Eva comparatio iam ab Irenaei temporibus est notissima. Postea versabantur poetae in mystica vocum Eva et Ave permutatione et affinitate.

Narrat Clichtovaeus, alios eo processisse audaciae, ut in voce ave a — existimarent *a* privativum, ve pro Graecorum *οὐαί* vel Latinorum vae venditarent. 8. Apud alios Evae nomen. 9. Cod. H. male regis. 13. Maria mater est omnium Christianorum, nam quae Ioan. XIX. 26. 27. narrantur, ad omnes pertinent. Wack. p. 100: *all mein zuflucht Hab ich zu dir, am kreucz pist mir mit sanct Iohannes geben das du auch mein muter wellest sein, frist hie vnd dort mein leben.* 14. Fr. Hil. preces. 19. Grou. culpae solutos. 28. Hil. trinus honor unus. Aug. honor trinus unus. Ct. Fr. tribus honor unus.

P.

S. BEDA VENERABILIS.

CLXXII. *De Ascensione Domini.*

Hymnum canamus gloriae,
Hymni novi nunc personent,
Christus novo cum tramite
Ad patris ascendit thronum.

Apostoli tunc mystico
In monte stantes chrismatis,
Cum matre clara virgine
Iesu videbant gloriam.

Quos alloquentes angeli:
Quid astra stantes cernitis,
Salvator hic est, inquiunt,
Iesus triumpho nobili.

Sicque venturum asserunt,
Quemadmodum hunc viderunt,
Summa polorum culmina
Scandere Iesum splendida.

[Da nobis illuc sedula
Devotione tendere,
Quo te sedere cum patre
In arce regni credimus.

Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurus praemium;
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper saecula.]

Gloria tibi domine
Qui scandis super sidera etc.

Inter carmina S. Bedae ab Cassandro evulgata legitur hymnus de Ascensione „Hymnus canamus gloriae“ 128 versuum, quem ex Radulphi testimonio ab ecclesia cantatum esse sibi persuasum habet Rambachius. Sed prorsus inaudi-

tum erat tam prolixum carmen in cultu divino recitare: ideo substitimus in ea hymni ratione, qua legitur in Brev. Sarisburiensi. Carmen ultra Angliae fines esse propagatum ipse testatur Radulphus et Hymnarium Ms. quod ad manus erat Thomasio et plures carminis strophas continebat. — 3. Thom. novo nunc. 5. Cass. tum. 7. Cass. claram. 12. Cass. nobilis. 13—16. neque in Cassandri nec in Thomasii libris reperiuntur. 17—24. cf. H. 162, 49—52. H. 66, 17—20.

CLXXIII. *In Natali B. V. Mariae.*

Adesto Christe vocibus, Tua benignus dextera
Inesto nostris mentibus, Choros canentum protege etc.

Cassander et Ellingerus carmen habent.

CLXXIV. *De SS. Petro et Paulo apostolis.*

Apostolorum gloriam Votis vocemus annuis,
Hymnis canamus debitis, Iesu fave precantibus etc.

Hymnus alphabeticus in Cass. Ell. et Thom. libris reperitur.

CLXXV. *De die sancto Pentecostes.*

Emitte Christe spiritus (um), Quo nos replente munera
Donum tui paracliti, Rite canamus ipsius etc.

Cassander et Ellingerus habent.

CLXXVI. *De Innocentibus.*

Hymnum canentes martyrum Vultum patris per saecula
Dicamus innocentium, Quorum tuentur angeli,
Quos terra flentes perdidit Eiusque laudant gratiam
Gaudens sed aethera suscipit. Hymnum canentes martyrumetc.

Cassander, Ellingerus Thom. Ramb. p. 149.: *Der abgekürzt mitgetheilte Gesang hat im Original das Eigene, dass allemal die erste Zeile der Strophen in der ungeraden Zahl mit der letzten der in der geraden gleichlautet, wodurch natürlich viele Wiederholungen in den Gedanken entstehen, die indess weniger auffallen, wenn man das Ganze als einen Wechselgesang betrachtet.*

CLXXVII. *In Natali S. Agnae.*

Illuxit alma saeculis
Dies beata virginis,
Quae morte victa perpetis
Vitae recepit gaudia etc.

Apud Cassandrum, Ellingerum et Thom.

CLXXVIII. *In Natali S. Andreae.*

Nunc Andreae sollemnia
Laetis canamus vocibus,
Apostolatus gloriam
Qui ornat triumpho sanguinis etc.

Ut supra.

CLXXIX. *De Passione S. Ioannis Baptistae.*

Praecessor almus gratiae
Et veritatis angelus,
Lucerna Christi et perpetis
Evangelista luminis etc.

Ut supra.

CLXXX. *De S. Ioanne Baptista.*

Praecursor altus luminis
Et praeco verbi nascitur,
Laetare cor fidelium,
Lucemque gaudens accipe etc.

Ut supra.

CLXXXI. *Hymnus de universis Dei operibus.*

Primo Deus coeli globum
Molemque terrae condidit
Terram sed umbris abditam
Abyssus alta texerat etc.

Ut supra.

CLXXXII.

Hymnus in Natali S. Andreae ad Crucem dicendus.

Salve tropaeum gloriae,
Salve sacrum victoriae
Signum Deus quo perditum
Mundum redemit mortuus etc.

Ut supra.

Q.

PAULUS DIACONUS.

CLXXXIII. *De S. Ioanne Baptista.*

UT queant laxis REsonare fibris
MIra gestorum FÆmuli tuorum,
SOLve polluti laBIi reatum,
Sancte Ioannes.

Nuncius celso veniens olympo,
Te patri magnum fore nasciturum,
Nomen et vitae seriem gerendae
Ordine promit.

Ille promissi dubius superni,
Perdidit promptae modulos loquelae,
Sed reformasti genitus peremptae
Organa vocis.

Ventris obstruso positus cubili,
Senseras regem thalamo manentem,
Hinc parens nati meritis uterque
Abdita pangit.

Antra deserti teneris sub annis,
Civium turmas fugiens, petisti,
Ne levi saltem maculare vitam
Famine posses.

Praebuit hirtum tegimen camelus,
Artubus sacris strophium bidentes,
Cui latex haustum, sociata pastum
Mella locustis.

Caeteri tantum cecinere vatum
Corde praesago inbar adfuturum,
Tu quidem mundi scelus auferentem
Indice prodis.

Non fuit vasti spatium per orbis
Sanctior quisquam genitus Ioanne,
Qui nefas saecli meruit lavantem
Tingere lymphis.

O nimis felix meritique celsi,
Nesciens labem nivei pudoris,
Praepotens martyr eremique cultor,
Maxime vatum.

Serta ter denis alios coronant
Aucta crementis, duplicata quosdam,
Trina centeno cumulata fructu
Te sacer ornant.

Nunc potens nostri meritis opimis
Pectoris duros lapides repelle,
Asperum planans iter, et reflexos
Dirige calles.

Ut pius mundi sator et redemptor,
Mentibus pulsa livione puris,
Rite dignetur veniens sacratos
Ponere gressus.

Laudibus cives celebrant superni
Te Deus simplex pariterque trine,
Supplices et nos veniam precamur,
Parce redemptis.

Gloriam patri resonemus omnes,
Et tibi Christe genite superne,
Cum quibus sanctus simul et creator
Spiritus regnat.

Ubique positus est hymnus in Nativitate S. Ioannis, in plurimis vero libris distributus in duas vel tres partes ad Matutinum, Laudes et Vesperas cantandas; in quibusdam diminutus. In Germanicum sermonem unus, nisi fallor, transtulit Monachus Salisb.: Von sand Iohannes, ein sweerer dewtscher ympnus Das hell auf klymmen deiner dyenner stymmen u. s. w. Explicatum est carmen (usque ad vers. 32.) prolixo commentario in Weitzii Heortologio, qui quid habeat artis musicae amatoribus gravitatis et suavitatis, ita praemonet: *Notatu dignum est quod Guido Aretinus, musicae peritia inter aevi sui primos (sub Henrico III. Imp. vixit) sex notas syllabicas, senarii numeri perfectione delectatus introduxit: UT, RE, MI, FA, SOL quas ex hymno hoc mutuatus est atque transtulit. Notarum illum numerum auxit et senis receptis comitem unam adiecit ex eodem nostro hymno BI. At manifesta est, inquit, idololatria, quod Paulus quidam nomine, Romanae ecclesiae historiographus (Gavanti Tom. III. p. 518) aliquando sub exhibitione paschalis facis, raucedinem persentiscens pro recuperanda vocis integritate hunc hymnum composuerit atque eo ipso Ioannem vocis clarioris patronum invocaverit,*

*cuius quippe natali die muto patri Zachariae vox sit reddita, cumque ipse praecursor et praeco domini „vox clamantis“ Esaine encomio proclametur. Et postea hymnus ad raucedinem pellendam olim adhibebatur cum Ioannes canentium in coenobiis tutelaris Deus (!) crederetur pontificia superstitione *).* Quid disertius et explanatius de musica hymni dignitate dicendum, iudicent, ut cum Weitzio loquar, *μουσῶν καὶ μουσικῶν παῖδες.* Adeant Mich. Praetorium t. 1. syntag. musici ps. 1. Finckii Syllogen quaest. illust. p. 184. e. a. — 1—4. Cass.: *hic auctor imitatus videtur principium Prudentii in supplicio Romani martyris quod est huiusmodi „Romane Christi fortis assertor Dei, Elinguis oris organum fautor more, Fac ut tuarum mira laudum concinam.“* 3. Ct. labiis. H. pollutis labiis. Ies. VI, 5. *vae mihi, quia vir pollutus labiis ego sum.* 8. Brev. Rom. omine. 15. Haec de nominis impositione intelligenda. 16. In quibusdam pandit. 20. Lips. possis. Ne levi quodam otioso verbo Deo displiceret et aliquo modo vitam macularet. 21. W. 2. male hircum. 22. Ct. trophaeum cf. H. 10, 22. 24. Permulta de locustis esulis hoc loco disputavit Weitzius qui omne scibile commentariis suis infarxit. Sed hoc certum est, poetas christianos veras locustas, neque herbas vel aves ita appellatas iudicari voluisse. Neque eis id taedium movit, quod Nic. Clenardo: *quamvis locustae illae saporis non sint spernendi, malo tamen unam perdicem quam XXIV. locustas.* 28. H. inclite. 33. H. meritis excelsus. 37. Hil. coronas. Adnectit Hilarius huic strophae prolixiorem notam, quae, cum multa docte, pie et iucunde proferat, non debet praetermitti: *Tres ordines hic notantur: tricesimus, sexagesimus, centesimus, in quibus continentur omnium hominum ordines sive continentes, coniuiati et virgines qui et designantur per tres viros, per Noë, per Danielem et per Iob Per Noë coniugati, per Iob continentes, per Danielem virgines designantur. Unde in evangelio: „alii sunt in lecto, alii in villa, alii in agro.“ — — Serta ter dena i. e. triginta coronant coniugatos, qui habent secum fidem Trinitatis et adhaerent decem praeceptis legis. Et illa serta duplicata s. in sexagesimum fructum coronant continentes, qui vixerunt in caritate et habent sex opera misericordiae (Matth. XXV, 35. 36.) Illa serta aucta per augmentationem denarii, vel centeno fructu coronant te, o sancte Ioannes, qui es virgo. Nam centesimus fructus ornat virgines — — in hoc ordine fuit b. Ioannes non absurde immo aperte secundum loquelam digitorum. Periti enim prima computatione articulorum, quam appellant „loquelam digitorum,“ quoniam in sinistra manu, per quam vita temporalis intelligitur, usque in nonaginta novem solebant computare, centum autem et deinde in dex-*

*) Non ab hac narratione alienum est quod de S. Adelheyde abbatissa relatum invenio. Nam cui ex monialium numero illa sancta manu alapam infligeret, eadem, etsi cornicis instar crocitasset, deinceps dulci mellifluа et canora voce divinum sponsum in hymnis et canticis praedicare coepit.

tera parte, per quam coelestis vita designatur. Unde de quodam centenario habemus in quodam libro sic: „Iam dextera computat annos.“ In hoc loco facit auctor numerum suum per quinque digitos manus, per pollicem, per indicem, per medium, medicum, auricularem. Aurie. in palma positus significat unitatem, medicus cum ipso positus duo significat. Medius cum ipsis positus tria: deinde nihil. Auric. erectus medio et medico iacentibus quattuor sign. Medicus cum illo erectus, medio iacente in palma quinque sign. Medicus cum illis erectus sex sign. Item auric. in palma extensus septem sign. Medius eodem modo positus in palma octo sign. Medius simili positus novem sign. Index, qui usque hoc nihil fecit, praedicto modo decem sign. Amplexu pollicis adiunctus triginta sign. per quem numerum satis congrue accipitur merces coniugatorum propter illorum mollem amplexum et vitae dilectionem et concordiam. Pollex siquidem cum indice firmiter adstrictus sexaginta sign. per quem numerum satis competenter accipitur merces continentium: grave enim est ab amplexu et voluptuosa delectatione et consuetudine abstinere. Unde scriptum est „Nil consuetudine maius.“ In dextera dicitur centum, per quem numerum vita coelestis intelligitur et non immerito accipitur merces virginum, quia in hac vita mundam et immaculatam vitam ducunt. — Satis libere Weinzierl hanc strophen vertit: „Es schimmern Andere mit dem Kranze des Tugendlohnes schön umlaubt: In eines höhern Lohnes Glanze Ragt über sie dein strahlend Haupt.“ 35. Brev. Rom. nemorumque cultor. 39. B. R. trina te fructu cumulata centum nexibus ornant. 42. B. R. revelle. 45. Mgd. Pt. Sl. hinc. 46. livio i. q. livor: al. luvione. B. R. culpae sine labe puris. 47. B. R. beatos. 49. Thom. celebrent. Doxologia apud diversos diversa.

CLXXXIV. *Hymnus de miraculis S. Benedicti.*

Fratres alacri pectore,
Venite concentu pari:
Frnamur huius inclytae
Festivitatis gaudiis.

Hac Benedictus aurea
Ostensor arcti tramitis,
Ad regna conscendit pater
Captans laborum praemia.

Effulsit ut sidus novum
Mundana pellens nubila.
Aetatis ipso limine
Despexit aevi florida.

Miraculorum praepotens,
Afflatus alti flamine,
Resplenduit prodigiis
Venturo saeclo praecinens.

Laturus esum pluribus,
Panis reformant vasculum,
Arctum petens ergastulum,
Extinxit ignes ignibus.

Fregit veneni baiulam
Crucis per arma cymbiam;
Coercuit mentem vagam
Leni flagello corporis.

Fundantur omnes rupibus,
Redit calybs e gurgite,
Currit per undas obsequens;
Peplo puer vitat necem.

Virus patescit abditum,
Mandata praepes efficit,
Hostem ruina conterit;
Cedit fremens leo grave.

In imo fit moles levis;
Rogus migrat phantasticus,
Fractum revisit sospitas,
Excessus absentum patet.

Rector vafer deprenderis,
Iniqne possessor fugis;
Futura praenoscemini,
Arcana cor non contigit.

Fundantur aedes somniis,
Tellus vomit cadavera,
Dracone frenatur fugax;
Aether pluit numismata.

Vitrum resistit cautibus,
Manant olivo dolia,
Vinctum resolvit visio,
Vitam receptant funera.

Tanti potestas luminis
Voto sororis vincitur;
Quo plus amat quis plus valet,
Enare quem cernit polum.

Non ante saeclis cognitum
Noctu inbar effulgurat,
Quo totus orbis cernitur
Flammisque subvehi pius.

Haec inter instar nectaris
Miranda plectro claruit;
Nam pinxit apte lineas
Vitae sacrae sequacibus.

Iam dux alumni sat potens
Adsis gregis suspiriis,
Gliscat bonis hydrum carens
Sit callis ut sequax tibi.

Teste Rambachio (p. 154) hoc carmen per multa saecula cantui ecclesiastico inserviit, quod equidem vix crediderim. Neque in uno libro hymnum inveni: tamen doct. viri sententia permotus, adieci. Lucem affundit plurimis locis S. Benedicti Legenda.

R.

CAROLUS MAGNUS.

CLXXXV. *Hymnus in die Pentecostes.*

Veni creator spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia
Quae tu creasti pectora.

Qui paraclitus diceris
Donum Dei altissimi,
Fons vivus, ignis, caritas
Et spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Dextrae Dei tu digitus,
Tu rite promissum patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpetim.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium.

[Da gaudiorum praemia,
Da gratiarum munera,
Dissolve litis vincula,
Adstringe pacis foedera.]

Pe te sciamus da patrem,
Noscamus atque filium,
Te utriusque spiritum
Credamus omni tempore.

Sit laus patri cum filio,
Sancto simul paraclito,
Nobisque mittat filius
Charisma sancti spiritus.

Hymno „Veni Creator" quo Spiritus Sanctus invocatur, ex veterum sententia singularis quaedam vis inest. Unde Mon. Salisb.: *wer den ympnum spricht pey tag oder pey nacht, dem mag kainer seiner feint sichtiger noch unsichtiger nicht geschaden.* Praeterea S. Trinitati tam gratus est ut, si mens concordet voci, spiritus sanctus non possit quin cum septem suis muneribus cantantibus adveniat. Unde non solum tempori pentecostali sed omnibus inservit necessitatibus quae prae ceteris spiritus sancti collustratione indigere videantur. Cantatur in creando summo pontifice, in eligendis episcopis, regibus coronandis etc. in synodo celebranda, in Elevatione et Translatione Sanctorum *) etc. Locus hymno in Breviario designatus est in Vesperis Pentecostes atque in Tertia eiusdem festivitatis, quae hora praeter morem magna cum sollemnitate celebratur quia hora Tertia super apostolos paraclitus descenderat. Merati (Gav. Th. III. p. 475). *In hac Dominica et duobus sequentibus diebus intonatur talis hymnus a Celebrante, amictu, alba, stola et pluviali indutus. Hanc majorem sollemnitatem in decantando hoc hymno et tota hora Tertia insinuat Gavantus, cum dicit convenire hac die, ut hymno longiori et proprio festi paraclitum spiritum in et ad nos invitemus. Qua propter decet etiam, quod, uti monet Bauldriy, decantetur tota hora Tertia accensis omnibus cereis altaris ad eamque omnes clerici de ecclesia adsint.* Inter vetustiora breviaria nonnulla hymnum praescribunt ad omnes horas minores, ut Pt. In Germanicum conversum est carmen iam sc. XII. v. XIII. (Wackern.

---

*) Annales Ord. S. Benedicti ed. Mabillon Tom. VI. p. 532 (in Historia Delationis S. Marculfi, quae fiebat a. a. 898) „Sancti quoque Fursei principalis clerus — — cum corpore eiusdem sui sancti patroni affuit ac in introitu ecclesiae non sine religiosissimae deliberationis consilio psallentes Veni creator spiritus et finito subiunxerunt hymnum Te Deum."

p. 72) Kum schepfaer, heiliger geist, porro a mon. Salisb.: Kum schepher heiliger Geist, a Luthero: kom Gott schöpfer, heiliger Geist etc. — 4. Beb. tu quae. 8. Corn.: Unctio docens et illuminans nos, et veros sacerdotes reddens et obsignans. 9. Ct. s. gratiae. Wimpf. Zehn. Fabr. gratia. Torr.: Septem dona sp. scti (Ies. XI.) sunt timor, pietas, scientia, fortitudo, consilium, intellectus, sapientia. Unde versus:

Sap. intel. con. for. sci. pi. ti. collige dona.

Brev. Rom. digitus paternae dexterae. 10. Hil.: *tu es digitus i. e. potentia dextrae Dei, quia sicut modi digitorum sunt varii, ita varia dona sunt spir. sti.* Melius Clicht.: *In Exodo legitur Moses portasse de monte duas tabulas testimonii lapideas scriptas digito Dei. Et in evangelio respondisse perhibetur dominus „porro si in digito Dei eicio daemonia.“* 11. Cs. rite promissus. H. W. 2. D. 2. E. Pt. Mgd. Hl. Msb. Ef. Md. Hil. Lips. Gron. Torr. Beb. Fabr. Zehn. rite promisso, quod fortasse magis placet. 15. 16. desumpta sunt ex hymno Ambrosii 10, 22. 23. 16. Cass. Fabr. Clicht. e. a. perpeti. 18. W. 2. donas. 20. Cass. pessimum. 21—24. leguntur tantummodo in Pt. Ef. Lps. Wimpf. Beb. Fabr. Zehn. Thom.

S.

THEODULPHUS.

CLXXXVI. *Hymnus dominica in ramis palmarum.*

Gloria, laus et honor tibi sit rex Christe, redemptor
Cui puerile decus prompsit Hosanna pium.

Israel tu rex, Davidis et inclyta proles,
Nomine qui in domini rex benedicte venis.
Gloria, laus et honor etc.

Coetus in excelsis te laudat coelicus omnis
Et mortalis homo, cuncta creata simul.
Gloria, laus et honor etc.

Plebs Hebraea tibi cum palmis obvia venit,
Cum prece, voto, hymnis adsumus ecce tibi.
Gloria, laus et honor etc.

Hi tibi passuro solvebant munia laudis,
Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.
Gloria, laus et honor etc.

Hi placuere tibi, placeat devotio nostra,
Rex bone, rex clemens, cui bona cuncta placent.
Gloria, laus et honor etc.

[Fecerat Hebraeos hos gloria sanguinis almi,
Nos facit Hebraeos transitus ecce pius.
Gloria, laus et honor etc.

Sis pius ascensor tu, nos quoque simus asellus,
Tecum nos capiat urbs veneranda Dei.
Gloria, laus et honor etc.

Vestis apostolicae rutilo fulgore tegamur,
Te bene docta ut ea nostra caterva vehat.
Gloria, laus et honor etc.

Tegmine sic animae eternamus corpora nostra,
Quo per nos semper sit via tuta tibi.
Gloria, laus et honor.

Sit pia pro palmae nobis victoria ramis
Ut tibi victrici sorte canamus ita:

Gloria, laus et honor tibi sit rex Christe redemptor,
Cui puerile decus prompsit Hosanna pium.]

Clichtovaeus: *Theodulphus apud Ludovicum Pium falso delatus et accusatus ab aemulis, quod filiis eius in coniuratione contra patrem faveret eorumque partes sequeretur, ab eo Andegavum relegatus est et ibidem in carcerem coniectus. Cumque in sollemnitate diei dominicae in ramis supplicatio publica pro more ecclesiae apud Andegavos fieret, cui et Ludovicus rex interfuit et illac transeat clerus cum populo, ubi Th. custodiae erat mancipatus, ipse aperta fenestra factoque silentio hunc hymnum a se tunc primum editum suaviter coram omnibus concinuit. Cuius religione devotioneque permotus Lud. eum protinus vinculis liberavit et in pristinum honoris statum revocavit utque deinceps in sollemni illo die supplicatione hymnus ille caneretur a clero, instituit.* Alii pueros hunc hymnum iubente Theodulpho coram imperatore cecinisse narrant. Sane hoc certum est ex illis temporibus hymnum in ecclesia fuisse in usu. Ita Rubrica Missalis Romani: *In reversione processionis duo vel quatuor cantores intrant in ecclesiam et clauso ostio stantes versa facie ad processionem incipiunt „Gloria, laus“ et decantant duos primos versus. Sacerdos vero cum aliis extra ecclesiam repetit eosdem. Deinde qui sunt intus cantant alios versus sequentes, vel omnes, vel partem, prout videbitur et qui sunt extra ad quoslibet duos versus respondent. Gloria, laus sicut in principio. Postea subdiaconus hastili crucis percutit portam* etc. Ludecus testatur Theodul-

phi carmen in quibusdam Protestantium ecclesiis per XVI. saeculum etiamtum esse decantatum. Adhibuimus in textu carminis constituendo nonnulla vetusta missalia et scripturam Ms. Guelferbytani, a Polyc. Leysero in librum de poetis medii aevi receptam. — 2. Gron. Beb. Israel es. Cass. Davidisque. 5. Torr. Miss. Strigoniense coelitus. 6. Alii homo et. 7. Al.: obviam. 11. Al. munera. 13. 14. Clicht.: *Superioribus annis apud coenobium Cluniacum aliquantisper diversatus vidi supradictis sex versibus (distichis) in hoc celebri et plaeclaro hymno adiectum hunc septimum versum — et alludit auctor ad interpretationem huius nominis „Hebraeus" descendente ab „Heber" quod transitum significat.* Sed praeter hos versus satis elegantes in Thomasii Hymnario et vetusto Missali Ordinis eremitarum S. Augustini leguntur disticha quatuor v. 15—22. 15. 16. Imago ineptissima, quae tamen etiam in vetustis Protestantium cantionibus reperitur.

T.

S. RABANUS MAURUS.

CLXXXVII. *De Ascensione Domini.*

Festum nunc celebre magnaque gaudia
Compellunt animos carmina promere,
Cum Christus solium scandit ad arduum,
Coelorum pius arbiter.

Conscendit iubilans laetus ad aethera,
Sanctorum populus praedicat inclytum,
Concinit pariter angelicus chorus
Victoris boni gloriam.

Qui scandens superos vincula vinxerat
Donans terrigenis munera plurima,
Districtus rediens arbiter omnium
Qui mitis modo transiit.

Oramus domine, conditor inclyte,
Devotos famulos respice, protege,
Ne nos livor edax daemonis obruat
Demergat vel in inferos.

Ut cum flammivoma nube reverteris,
Occulta hominum pandere iudicans,
Ne des supplicia horrida noxiis
Sed iustis bona praemia.

Praesta hoc genitor, optime, maxime,
Hoc tu nate Dei et bone spiritus,
Regnans perpetuo fulgida Trinitas
Per cuncta pie saecula.

Si quaeritur utrum Rabanus carminis auctor sit, nec ne hoc sane memoratu dignum est, exstare in omnibus fere breviariis vetustis Germaniae, neque tamen Italiae, Angliae etc. In hodiernis ecclesiae libris deesse sciunt omnes. Vetustissimus interpres teutonicus est Monachus Salisb.: Zw dem Auffart tag der frolich ympnus „Festum nunc celebre" „kvm hochfeierleiche czeit" singt man czw der guldein don vnd zw andern tagczeiten bis auf phingsten. Interpretationes sc. XVI. duas vide W. p. 706. 713. — 5. Ps. XLVI, 6.: *Ascendit Deus in iubilo, unde* H. iubilo. 6. Clicht.: *Hic dicitur coetus ille venerandus antiquorum patrum qui inferno lacu educti, dominum censcendentem ad aethera comitati, sunt et dignis laudibus prosecuti.* 8. 9. Ephes. IV, 8. *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* 11. H. Beb. Lips. Gron. rediet. 14. Hil. Wimpf. Torr. Fabr. protege. 15. Hil. perperam ut nos. 16. Lud. in margine: ad inferos. 17. II. Thess. I, 8: *in flamma ignis vindictam dabit.* 18. Rom. II, 16. *In die cum iudicabit Deus occultahominum.* 22. Cass. et tu nate Dei.

CLXXXVIII. *De S. Michaele Archangelo.*

Libr. vet.

Christe sanctorum decus angelorum,
Rector humani generis et auctor,
Nobis aeternum tribue benignus
Scandere coelum.

Angelum pacis Michael ad istam
Coelitus mitte rogitamus aulam,
Nobis ut crebro veniente crescant
Prospera cuncta.

Angelus fortis Gabriel ut hostem
Pellat antiquum, volitet ab alto,

Saepius templum veniens ad istud
Visere nostrum.

Angelum nobis medicum salutis
Mitte de coelis Raphael, ut omnes
Sanet aegrotos pariterque nostros
Dirigat actus.

Hinc Dei nostri genitrix Maria
Totus et nobis chorus angelorum
Semper assistant, simul et beata
Concio tota.

Praestet hoc nobis deitas beata etc.

Brev. Rom.

Christe sanctorum decus angelorum,
Gentis humanae sator et redemptor,
Coelitum nobis tribuas beatas
Scandere sedes.

Angelus pacis Michael in aedes
Coelitus nostras veniat: serenae
Auctor ut pacis lacrimosa in orcum
Bella releget.

Angelus fortis Gabriel ut hostes
Pellat antiquos et amica coelo
Quae triumphator statuit per orbem,
Templa revisat.

Angelus nostrae medicus salutis
Adsit e coelo Raphael, ut omnes
Sanet aegrotos, dubiosque vitae
Dirigat actus.

Virgo dux pacis genitrixque lucis
Et sacer nobis chorus angelorum
Semper assistat, simul et micantis
Regia coeli.

Praestet hoc nobis deitas beata etc.

Cantatur in Dedicatione S. Michaelis ad Landes. Noli mirari, reliquorum archangelorum omniumque spirituum coelestium et Mariae, quae angelorum est regina, mentionem factam esse. Est enim festum omnium angelorum, ut in Collecta patet et lectione quarta et sequentibus. — 2. Torr. a u-

ctor — rector Hil. actor. 4. W. 2. Sl. regnum. 6. Aula apud poetas Christianos saepissime pro ecclesia usurpatur. 12. Cass. Hil. nostri misertus Wimpf. visere sanctum, 17—20. omittuntur a Torrentino et Hymn. Groningensi.

CLXXXIX. *De S. Michaele Archangelo.*

Libr. vet.

Tibi Christe, splendor patris, vita, virtus cordium,
In conspectu angelorum votis, voce psallimus,
Alternantes concrepando melos damus vocibus.

Collaudamus venerantes omnes coeli milites
Sed praecipue primatem coelestis exercitus,
Michaelem in virtute conterentem Zabulon.

Quo custode procul pelle, rex Christe piissime,
Omne nefas inimici, mundo corde et corpore
Paradiso redde tuo nos sola clementia.

Gloriam patri melodis resonemus vocibus etc.

Brev. Rom.

Te splendor et virtus patris,
Te vita, Iesu, cordium
Ab ore qui pendent tuo
Laudamus inter angelos.

Tibi mille densa millium
Ducum corona militat,
Sed explicat victor crucem
Michael salutis signifer.

Draconis hic dirum caput
In ima pellit tartara,
Ducemque cum rebellibus
Coelesti ab arce fulminat.

Contra ducem superbiae
Sequamur hunc nos principem
Ut detur ex agni throno
Nobis corona gloriae.

Patri simulque filio etc.

Carmen supra scriptum a Breviario Romano (ad Vesperas in Dedic. Mich.) minus correctum quam quod ad metrum et singula verba prorsus immutatum est. — 1. Hl. Sl. Ef. vita ac virtus. 6. Zabulus vel ζάβολος nihil aliud nisi diabolus cf. Barth Adv. XXIX, 1. Vox conterendi hausta ex Gen. III, 15. 7. Hil. om. rex. 8. Hl. Lud. mundos corde.

V.

S. ODO CLUNIACENSIS.

CXC. *De S. Maria Magdalena.*

Lauda mater ecclesia,
Lauda Christi clementiam,
Qui septem purgat vitia
Per septiformem gratiam.

Maria soror Lazari,
Quae tot commisit crimina,
Ab ipsa fauce tartari
Redit ad vitae limina.

Aegra currit ad medicum,
Vas ferens aromaticum,
Et a morbo multiplici
Verbo curatur medici.

Contriti cordis punctio
Cum lacrymarum fluvio,
Et pietatis actio
Ream solvit a vitio.

Post fluxae carnis scandala
Fit ex lebete phiala;
In vas translata gloriae
De vase contumeliae.

Surgentem cum victoria
Iesum videt ab inferis,
Prima meretur gaudia
Quae plus ardebat ceteris.

Uni Deo sit gloria
Pro multiformi gratia,
Qui culpas et supplicia
Remittit et dat praemia.

Praeter Bibliothecas Patrum inveni carmen in libris Ludeci, Clichtovaei, Thomasii et Rambachii: ex breviariis in Eboracensi. Hoc secutus sum in versuum ordine, nam apud reliquos ita constitutum vides: Lauda mater — Maria soror — Post fluxae — Aegra currit — Contriti — Surgentem, sed ita minus apte versiculi sese excipiunt. — 3. cf. Luc. VIII, 2. 4. per gratiam spiritus sancti. 8. Clicht. vitae praemia. 13. Eb. unctio. 17—20. cf. II. Timoth. II, 20. 21. 24. Eb. audebat.

X.

S. FULBERTUS CARNOTENSIS.

CXCI. *Hymnus paschalis.*

Chorus novae Hierusalem
Novam meli dulcedinem
Promat, colens cum sobriis
Paschale festum gaudiis.

Quo Christus, invictus leo
Dracone surgens obruto,
Dum voce viva personat
A morte functos excitat.

Quam devorarat improbus
Praedam refudit tartarus,
Captivitate libera
Iesum sequuntur agmina.

Triumphat ille splendide
Et dignus amplitudine,
Soli polique patriam
Unam facit rempublicam.

Ipsum canendo supplices
Regem precemur milites,
Ut in suo clarissimo
Nos ordinet palatio.

Per saecla metae nescia
Patri supremo gloria
Honorque sit cum filio
Et spiritu paraclito.

Rarus in breviariis vetustis tempore paschali. — 2. Cass. nova meli dulcedine. Beb. mellis. Hil.: *melum (μέλος dicitur a mel, quia sicut mel fit ex diversis generibus rerum, ita melum fit ex diversis notulis novum, unde Psalmista: „Cantate domino canticum novum.“* 5. cf. Apoc. V, 5. Hil.: *Fisiologus narrat leonem rugitu suo resuscitare catulum post triduum; ita pater filium.* 7. Ioan. V, 28. Hil. Wimpf. personet. 8—12. Corn.: *Fingitur tartarus hominem tanquam praedam absorptam revomere.* (Apoc. XX, 13.) *et fingitur Ch. incedere triumphator et magnam turbam ex servitute liberatorum secum trahere.* Dicit poeta patres in limbo. Hil. legendo sequamur ad omnes pertinere facit Christianos. 14. Lud. praecelsus amp. 16. Cass. Hil. e. a. fecit. 17—20. desunt apud Ludecum 21—24. apud Fabricium. 20. ordinare, vox militaris. 21. Sb. Hil. mente nescia quae (ita Hil.) *„humana possibilitate sunt incomprehensibilia.“*

V.

S. PETRUS DAMIANI*).

CXCII. *Rhythmus paschalis.*

Paschalis festi gaudium
Mundi replet ambitum;
Coelum, tellus ac maria
Laeta promunt carmina
Et Alleluia consonis
Modulentur organis.

Solus ululet tartarus
Rapta praeda vacuus,
Fractos vectes et ferrea
Strata ploret moenia
Quae subrnit rex gloriae
Cum laude victoriae.

Stupenda lex mysterii,
Novum genus proelii:
Ligatus nexos liberat,
Mortuus vivificat
Dumque vita perimitur
Mortis mors efficitur.

Quum auctor vitae moritur
Orbis et commoritur,
Sol radios operuit,
Lugens terra tremuit,
Templi velum dividitur
Vis saxorum scinditur.

Brevi sepulcro clauditur
Qui coelo non capitur,
Praeda vallatus divite,
Victo mortis principe
Triumphali potentia
Surgit die tertia.

Mox intonat angelicus
Sermo mulieribus,
Apostolis ut dulcia,
Haec deferrent nuntia:
In Galilaeam pergite,
Ibi Christi cernite.

Iam regis Aegyptiaci
Servitute liberi,
Post maris rubri transitum
Novum demus canticum:
Mortis soluti legibus
Christo consurreximus.

Totis, Christe, visceribus
Tibi laudes reddimus,
Qui resurgens a mortuis
Ultra iam non moreris
Sit patri laus et parili
Decus omne flamini.

Si verum quaeris, Petrus Damiani in hoc carmine quid aliud profert, nisi quae cecinerunt vetustiores in hymnis „Ad coenam agni“ et „Aurora lucis rutilat: quos

*) Singula ex S. Petri carminibus in cultum ecclesiae abiisse (quod de hymno paschali autumat Ven. Augusti Denkw. V. p. 308), nisi certis argumentis mihi quis probaverit vehementer dubito. Tamen damus ea quae leguntur in Rambachii libro (in breviorem formam redacta) et aliis quibusdam adiunctis, aliorum quorundam exhibemus exordia.

cum nostro pedetentim conferas. Neque ab aliis imitando abstinuit. — 13 — 18. Similiter in sequentia: „Victimae paschali“ *Mors et vita duello conflixere mirando*, et Lutherus: *Es war ein wunderlich Krieg da Tod und Leben rungen. — — die Schrift hat verkündet das Wie ein Tod den andern frass, ein Spott aus dem Tod ist worden.* 37. cf. ad. H. 81, 3. 42. Col. III, 1. 46. Rom. VI, 9.

CXCIII. *Rhythmus de die mortis.*

Gravi me terrore pulsas vitae dies ultima;
Moeret cor, solvuntur renes, laesa tremunt viscera,
Tuam speciem dum sibi mens depingit anxia.

Quis enim pavendum illud explicet spectaculum,
Quum dimenso vitae cursu carnis aegra nexibus
Anima luctatur solvi propinquans ad exitum.

Perit sensus, lingua riget, resolvuntur oculi,
Pectus palpitat, anhelat raucum guttur hominis,
Stupent membra, pallent ora, decor abit corporis.

Praesto sunt et cogitatus, verba, cursus; opera
Et prae oculis nolentis glomerantur omnia:
Huc tendat, huc se vertat, coram videt posita.

Torquet ipsa reum suum mordax conscientia,
Plorat, acta corrigendi defluxisse tempora,
Plena luctu caret fructu sera poenitentiae.

Falsa tunc dulcedo carnis in amarum vertitur
Quando brevem voluptatem perpes poena sequitur:
Iam quod magnum credebatur nil fuisse cernitur.

Atque mens in summae lucis gloriam extollitur,
Aspernatur lutum carnis quo mersa provolvitur,
Et ut carcerati nexu laetabunda solvitur.

Quaeso Christe rex invicte, tu succurre misero,
Sub extrema mortis hora quum iussus abiero,
Nullum in me ius tyranno praebeatur impio.

Cadat princeps tenebrarum, cadat pars tartarea;
Pastor ovem iam redemptam tunc reduc ad patriam,
Ubi te videndi causa perfruar in saecula.

CXCIV. *De S. Ioanne Evangelista.*

Magna Ioannis merita
Sancta promat ecclesia,
Quam tenebris evacuat,
Vitae verbis irradiat.

Huius cor in sublimibus
Sanctus suspendit spiritus,
Ut profunde latentia
Cernat alta mysteria.

En illa felix aquila
Ad escam volat avida,
Quae coeli cives vegetat
Et nos in via recreat.

Hic in choro tot millium
Primatum tenet virginum,
Fit agno sic pedissequus,
Ut matris individuus.

Sit Patri laus ingenito etc.

CXCV. *De S. Paulo Apostolo.*

Paule doctor egregie,
Tuba clangens ecclesiae,
Nubes volans ac tonitrum
Per amplum mundi circulum.

Nobis potenter intona
Ruraque cordis irriga,
Coelestis imbre gratiae
Mentes virescant aridae.

O magnum Pauli meritum:
Coelum conscendit tertium,
Audit verba mysterii,
Quae nullis audet eloqui.

Dum verbi spargit semina
Seges surgit uberrima,
Sic coeli replent horreum
Bonorum fruges operum.

Micantis more lampadis
Perfundit orbem radiis,
Fugat errorum tenebras
Ut sola regnet veritas.

Sit Patri laus ingenito etc.

CXCVI. *De Sancta Cruce.*

Crux orbis salus perditi,
Perempti vita saeculi,

Quam victa tremunt tartara,
Coeli verentur agmina etc.

Ex Thomasii Hymnario.

CXCVII. *De Sancta Cruce.*

Crux, mundi benedictio
Spes et certa redemptio,

Olim Gehennae baiula
Nunc clara coeli ianua etc.

Ex Thomasii Hymnario.

CXCVIII. *De Beata Virgine.*

Terrena cuncti iubilent,
Astra laudibus intonent,
Virginis ante thalamum
Laudes alternent dramatum etc.

Ex Thomasii Hymnario.

CXCIX. *De Beata Virgine.*

Gaudium mundi, nova stella coeli,
Procreans solem, pariens parentem,
Da manus lapsis, fer opem caducis
Virgo Maria etc.

Ex Thomasii Hymnario.

CC. *De Assumptione B. Mariae.*

Aurora velut fulgida
Ad coeli meat culmina
Ut sol Maria splendida
Tanquam luna pulcherrima etc.

Ex Thomasii Hymnario.

CCI. *De S. Petro Apostolo.*

Senatus apostolici
Princeps et praeco domini
Pastor prime fidelium,
Custodi gregem creditum etc.

Ex Thomasii Hymnario.

CCII. *De S. Ioanne Evangelista.*

Fidelis plebs cum angelis
Festivis plaudat gaudiis
Nativitatis domini
Occurrit laus apostoli etc.

Ex Thomasii Hymnario.

CCIII. *De S. Ioanne Evangelista.*

Virginis virgo venerande custos,
Magnus alterni legotheta verbi,
Dele servorum facinus tuorum,
Sancte Ioannes etc.

Ex Thomasii Hymnario.

CCIV *De S. Apollinare.*

Consul aeterni trabeate regni,
Mente devota, petimus, labore
Curiam coeli reserare plebi
Apollinaris etc.

Acta Sanct. Iul. Tom. V. p. 341.

CCV. *De S. Ursicino martyre.*

Dulcis martyr eximius
Festum praebet Ursicinus,
Quo victus victor exstitit
Et clarus astra subiit.

Acta Sanct. Iun. Tom. III. p. 812.

Z.

S. BERNARDUS.

CCVI. *Iubilus rhythmicus de Nomine Iesu.*

Iesu dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia,
Sed super mel et omnia
Eius dulcis praesentia.

*Nil canitur suavius,
Nil auditur iucundius,
Nil cogitatur dulcius
Quam Iesus Dei filius.

Iesu spes poenitentibus
Quam pius es petentibus
Quam bonus te quaerentibus,
Sed quid inventientibus.

Iesus, dulcedo cordium,
Fons veri, lumen mentium,
Excedens omne gaudium
Et omne desiderium.

Nec lingua valet dicere
Nec litera exprimere,
Expertus potest credere
Quid sit Iesum diligere.

Iesum quaeram in lectulo,
Clauso cordis cubiculo,
Privatim et in populo
Quaeram amore sedulo.

Cum Maria diluculo,
Iesum quaeram in tumulo,
Cordis clamore querulo
Mente quaeram, non oculo.

Tumbam perfundam fletibus,
Locum replens gemitibus,
Iesu provolvar pedibus,
Strictis haerens amplexibus.

Iesu rex admirabilis
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.

*Mane nobiscum domine,
Et nos illustra lumine,
Pulsa noctis caligine
Mundum replens dulcedine.

Quando cor nostrum visitas
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas
Et intus fervet caritas.

Amor Iesus dulcissimus
Et vere suavissimus,
Plus millies gratissimus
Quam dicere sufficimus.

Hoc probat tua passio
Hoc sanguinis effusio,
Per quam nobis redemptio
Datur Deique visio.

Iesum omnes agnoscite
Iesum ardenter quaerite
Amorem eius poscite
Quaerendo inardescite.

Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite,
In hunc odorem currite
Et vota votis reddite!

Iesus, auctor clementiae
Totius spes laetitiae,
Dulcoris fons et gratiae,
Verae cordis deliciae.

Cum digne loqui audeam
De te, tamen non sileam,
Amor facit ut audeam,
Cum de te solum gaudeam.

Iesu mi bone, sentiam
Amoris tui copiam,
Da mihi per praesentiam
Tuam videre gloriam.

Tua, Iesu, dilectio
Grata mentis refectio,
Replens sine fastidio
Dans famem desiderio.

*Qui te gustant esuriunt,
Qui bibunt adhuc sitiunt,
Desiderare nesciunt
Nisi Iesum quem cupiunt.

Quem tuus amor ebriat
Novit quid Iesus sapiat
Quam felix est quem satiat,
Non est ultra quod cupiat.

Iesu decus angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum
In corde nectar coelicum.

*Desidero te millies,
Mi Iesu, quando venies:
Me laetum quando facies
Ut vultu tuo saties.

Amor tuus continuus,
Mihi langnor assiduus,
Mihi melliflnus fructus
Est et vitae perpetuus.

Iesu summa benignitas
Mea cordis incunditas,
Incomprehensa bonitas,
Tua me stringat caritas.

*Bonum mihi diligere,
Iesum, nil ultra quaerere,
Mihi prorsus deficere
Ut illi queam vivere.

O Iesu, mi dulcissime,
Spes suspirantis animae,
Te quaerunt piae lacrimae
Te clamor mentis intimae.

*Quocunque loco fuero
Mecum Iesum desidero:
Quam laetus cum invenero,
Quam felix cum tenuero.

Tunc amplexus, tunc osculа
Quae vincunt mellis pocula,
Quam felix Christi copula
Sed in hia parva morula,

Iam quod quaesivi video,
Quod concupivi teneo,

Amore Iesu langueo

Et toto corde ardeo.

Iesus cum sic diligitur
Hic amor non exstinguitur,
Non tepescit, nec moritur
Plus crescit et accenditur.

Hic amor ardet ingiter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter
Delectat et feliciter.

Hic amor missus coelitus
Haeret mihi medullitus,
Mentem incendit penitus,
Hoc delectatur spiritus.

O beatum incendium,
O ardens desiderium
O dulce refrigerium:
Amare Dei filium.

Iesus, flos matris virginis
Ardor nostrae dulcedinis
Laus, honor, tibi numinis
Regnum beatitudinis.

Veni, veni rex optime
Pater immensae gloriae
Affulge menti clarius
Iam exspectatus saepius.

Iesu sole serenior
Et balsamo suavior,
Omni dulcore dulcior
Ceteris amabilior.

Cuius gustus sic afficit,
Cuius odor sic reficit,
In quo mens mea deficit,
Solus amanti sufficit.

Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio,
Tu mea gloriatio,
Iesu mundi salvatio.

Dilecte mi, revertere
Consors paternae dexterae,

Hostem vicisti prospere
Iam coeli regno fruere.

*Sequar te quoquo ieris,
Mihi tolli non poteris
Cum meum cor abstuleris
Iesu, laus nostri generis.

*Coeli cives occurrite
Portas vestras attollite,
Triumphatori dicite:
Ave Iesu, rex inclyte.

Rex virtutum, rex gloriae
Rex insignis victoriae,
Iesu largitor gratiae,
Honor coelestis curiae.

Tu fons misericordiae,
Tu veræ lumen patriae
Pelle nubem tristitiae
Dans nobis lucem gloriae.

Te coeli chorus praedicat
Et tuas laudes replicat,
Iesus orbem laetificat
Et nos Deo pacificat.

Iesus in pace imperat
Quae omnem sensum superat,
Hanc semper mens desiderat
Et ea frui properat.

Iesus ad patrem rediit,
Coeleste regnum subiit,
Cor meum a me transiit
Post Iesum simul abiit.

Iesum sequamur laudibus
Votis hymnis et precibus,
Ut nos donet coelestibus
Secum perfrui sedibus.

In editione Operum S. Bernardi quae prodiit Lutetiae Parisiorum anno MDCXC. p. 1659 sqq. legitur „Iubilus S. Bernardi Abbatis in commemorationem dominicae passionis, qui et rhythmica constat modulatione.“ Cuius prolixioris carminis quin ecclesia iam medio aevo singulas strophas cultui divino inservire voluerit, nemo facile addubitaverit. Quae sententia commendatur duobus hymnis vetustis teutonicis in libro Wackernagelii p. 78. quorum uterque saeculi est decimi tertii. Alter in exordio S. Bernardum imitatur „Iesu dulcis memoria dans vera cordis gaudia dulcis Iesu, pie Iesu, bone Iesu: alter qui inscriptus est „Canticum S. Bernardi“ undecim carminis strophas teutonice exhibet, quas supra asterisco notavimus. Porro Hoffmannus (D. K. p. 149.) mentionem iniicit versionis batavae „Iesu soete andachtelicheit.“ Item Fabricius et Ellingerus totum hymnum, secundum horas canonicas dispositum, exhibent. Quae

cum ita sint, haec mihi arridet sententia, in quibusdam ecclesiis singulas Bernardi strophas cantatas esse vel in Circumcisione Domini (qua festivitate Nomen Domini celebratur) vel ipso Festo Nominis, quod longe antiquius est, quam narrant heortologi *). Postea cum Nomen Iesu ex praecepto pontificum singulari sollemnitate a tota ecclesia celebraretur, tres hymni in Brev. Romanum recepti sunt, ex nostro maximam partem conflati. I) Iesu dulcis memoria 1—12. 17—20. Adiectus est aliunde versiculus: Sis Iesu nostrum gaudium H. 56, 17—20. II) Iesu rex admirabilis 33—36. 41—44. 13—16. 51—54. Additur versiculus: Te nostra Iesu vox sonet, Nostri te mores exprimant, Te corda nostra diligant Et nunc et in perpetuum. III) Iesu, decus angelicum 83—86. 75—78. 103—106. 37—40. 135—138. In protestantium ecclesia olim cantabatur Bernardi carmen translatum opera M. Mölleri „O Iesu süss wer dein gedenkt dess Hertz mit Freud wird überschwenkt etc. Contulimus cum editione Parisina Fabricium, Brev. Romanum et versiones teutonicas. — 2. Brev. Rom. Vers. Teut. 1. cordis. 10. Fabr. es p. 12. Ed. Par. innocentibus. 15. Fabr. excedit. 17. Fabr. potest. 18. Id. depromere. 21. Cant. III, 1: *In lectulo meo per noctes quaesivi quem diligit anima mea.* 32. Interserit Fabricius versum: Iesu stringam vestigia Et flendo figam labia, Ut detur mihi venia atque perfecta gratia. 37. Fabr. mane novo cum lumine. Versio theot.: des hertzen tunkel von uns triben das din lieht bi uns beliebe. 40. Fabr. mentem reple, itaque v. th.: din süze an sel und libe. 49. Fabr. haec. 50. Fabr. et s. 53—60. om. Fabr. 68. Fabr. solum te loqui gaudeam. 69—72. om. Fabr. 75. Fabr. replet. 83. Fabr. felix gustus quem s. 84. Fabr. quid ultra. 91. Fabr. q. laetum me facies. 92. Ed. Par. me de te quando, sed praeter Fabr. intp. theot. din antlücz machet mich gesunt. 95. 96. Fabr. mihi Iesus mellifluus fructus vitae continuus. 101—104. Interp. theot.: Mir ist gut daz ich minne dich durch dich will ich verkiesen mich und will mich selben gar uf geben und gar nach dinem willen leben. 105. Fabr. Iesu mi dilectissime. 108. Fabr. et clamor. 116. Recte Nickelius sententiam poetae intellexit,

*) In Calendario Misnensi saec. XV. Festum Nominis Iesu commemoratur ad diem XVII. Martii neque desunt in Breviario hymni festi proprii.

interpretando: O dass die Wonne weichen muss! 125. Fabr. dulciter. 128. Fabr. et delectat. 139. Fabr. laus, honor, decus. 142. Fabr. veni dator munifice. 143. Fabr. effulge. 148. Fabr. prae cunctis. 149. Fabr. cuius gustus. 150. Id. me ref. 151. Id. in quem. 157. Id. dilecte mi. 161. Id. sequar quocunque ieris. 173—176. om. Fabr. 184. Fabr. et illo. 185. Ed. Par. ad patriam. Interp. theot.: Iesus zv sinem vater quam. 189. Ed. Par. quem prosequamur. 192. Fabr. cum ipso frui.

CCVII. *Hymnus ad Faciem Christi in cruce pendentis.*

Salve caput cruentatum,
Totum spinis coronatum,
Conquassatum, vulneratum,
Arundine sic verberatum,
Facie sputis illita.
Salve cuius dulcis vultus
Immutatus et incultus,
Immutavit suum florem
Totus versus in pallorem
Quem coeli tremit curia.

Omnis vigor atque viror
Hinc recessit, non admiror,
Mors appareț in adspectu
Totus pendens in defectu
Attritus aegra macie.
Sic affectus, sic despectus
Propter me sic interfectus,
Peccatori tam indigno
Cum amoris in te signo
Appare clara facie.

In hac tua passione
Me agnosce pastor bone,
Cuius sumpsi mel ex ore,
Haustum lactis ex dulcore
Prae omnibus deliciis
Non me reum asperneris
Nec indignum dedigneris,
Morte tibi iam vicina
Tuum caput hic inclina,
In meis pausa bracchiis.

Tuae sanctae passioni
Me gauderem interponi,
In hac cruce tecum mori
Praesta crucis amatori,
Sub cruce tua moriar;
Morti tuae iam amarae
Grates ago, Iesu care,
Qui es clemens, pie Deus
Fac quod petit tuus reus
Ut absque te non finiar.

Dum me mori est necesse,
Noli mihi tunc deesse:
In tremenda mortis hora
Veni Iesu absque mora
Tuere me et libera.
Cum me iubes emigrare,
Iesu care tunc appare,
O amator amplectende
Temet ipsum tunc ostende
In cruce salutifera.

In Editione S. Bernardi Parisina MDCXC. legitur „Oratio rhythmica ad unum quodlibet membrorum Christi patientis et a cruce pendentis.“ Contexta est e carminibus septem, ad pedes, ad genua, ad manus, ad latus, ad pectus, ad cor et ad faciem redemptoris pertinentibus, quae omnia omnes divini amoris spirant aestus atque incendia, ut nil possit suavius dulciusque excogitari. Praeter editiones S. Bernardi inveniuntur hymni apud Zehnerum: Rambachius, totius carminis ratione metrica perturbata, ex septem unum effecit. In hoc nostro libro, cum ecclesia non cecinerit illa carmina nec hodie canat, unum tantummodo locum tenet, qua faciem Christi poeta dulcisonus praedicat atque adorat. Hanc enim redemptoris salutationem germanicam fecit Paulus Gerhardus: praeclarissimum cuius canticum „O Haupt voll Blut und Wunden.“ si vera volumus, nihil est aliud nisi S. Bernardi, congratulatio crucis Christi patrio sermone expressa. — 4. Zehn. om. sic. 11. Male Zehn. omnis virgo. 40. Id. finiat.

AA.

FLAVIUS.

CCVIII. *Ad Lotionem pedum in Coena Domini.*

Tellus et aethra iubilent
In magni coena principis,
Qui protoplasti pectora
Vitae purgavit ferculo.

Hac nocte factor omnium
Potenti sat mysterio
Carnem suam cum sanguine
In escam transfert animae.

A celsis surgens dapibus
Praebens formam mortalibus,
Humilitatis gratia
Petri petens vestigia.

Pallet servus obsequio
Cum angelorum dominum
Ferendo lympham linteo
Cernit coeno procumbere.

Permitte Simon ablui,
Acta figurant mystica,
Dum summus ima baiulat
Quid cinis servet cinëri.

Laeva tortoris accubat
Verbique favos aggregat,
Quos inter hostem denotat
Necis dolos qui ruminat.

Trux lupe, luda pessime
Fers agno miti basia,

Dans membra loris regia
Quae sorde tergunt saecula.

Nexi solvuntur hodie:
Carnis ac condis carcere,
Unguen sacratur chrismatis,
Spes inde crescit miseris.

Victori mortis inclytam
Pangamus laude gloriam,
Cum patre et sancto spiritu
Qui nos redemit obitu.

Cassander: *Hunc hymnum in nonnullis libris de ecclesiasticis officiis inscriptum repperi; „Versus Flavii ad mandatum;“ quis autem hic Flavius fuerit mihi modo non constat. Porro ultimam hanc clausulam „Victori mortis“ initio positam et post singulas clausulas tanquam interealarem repetitam invenio.* Quod eximium carmen, cum praeter Cassandrum etiam habeat Ellingerus et quidem mutatum, in quibusdam locis emendandum est ex editione S. Gregorii op. Congr. S. Mauri. Nam in adnotationibus ad librum Sacramentorum (Tom. III. p. 334.) docti editores ex vetusto codice hoc nostrum carmen nobiscum communicant. Inscriptum erat in illo libro „Hymnus de Passione Domini.“ — 1. Ed. M. iubilant. 3. Ed. M. quae. 9. Io. XIII, 4. *surgit a coena.* 10. Cass. praebet. 13. Petrus apostolus. 15. Cass. terendo, in margine tergendo. 19. 20. Io. XIII, 14. 21. Cass. (adeo Ell.) vitiose: lavator toris. 22. Cass. aggregat. 29. Cass.: *alludit ad veterem consuetudinem, qua dominicae coenae die et captivi sub Christianis principibus libertate donari et poenitentes reconciliari solent.* 33. Cass. inclyto.

BB.

HYMNI ΑΔΕΣΠΟΤΟΙ.

circa sc. X—XIII conditi.

CCIX. *Hymnus Vespertinus.*

Altissimi verbum patris,
Almae Iesusque virginis,
Thomasii Hymnarium.

Bis natus nostro gaudio,
Carnis factor et caro etc.

CCX. *Hymnus de Epiphania.*

A patre unigenitus
Ad nos venit per virginem,
Radulphus, D. 2. Sb. Beb. Cass. Ell. Thom.

Baptisma cruce consecrans,
Cunctos fideles generans etc.

CCXI. *Hymnus de Epiphania.*

Nuntium vobis fero de supernis:
Natus est Christus, dominator orbis
In Bethlem Iudae, sic enim propheta
Dixerat ante etc.

Cod. H. Hil. Wimpf. Clicht. Cass. Fabr. Ell.

CCXII.

Dominica Septuagesimae (al: tempore Quadragesimae.)

Dies absoluti praetereunt;
Dies observabiles redeunt;
Tempus adest sobrium:
Quaeramus puro corde dominum.

Mss. Lips. Beb. Wimpf. Fabr. Ell. Rambl. — Huic tempori adsignavimus carmen, quoniam in sermone sc. XIII. eius mentio iniecta est cf. Hoffmann Fundgruben etc. I. p. 93.

CCXIII. *Hymnus Quadragesimalis.*

Nunc tempus acceptabile
Fulget datum divinitus
Ut sanet orbem languidum
Medela parsimoniae etc.

Radulphus, Hv. Cron. Cass. Ell. Thom.

CCXIV. *Hymnus Quadragesimalis ad Laudes.*

Libr. vet.	Brev. Rom.
Iam Christe sol iustitiae,	O sol salutis, intimis
Mentis diescant tenebrae,	Iesu refulge mentibus,
Virtutum ut lux redeat,	Dum nocte pulsa gratior
Terris diem dum reparas.	Orbi dies renascitur.
Da tempus acceptabile	Dans tempus acceptabile,
Et poenitens cor tribue,	Da, lacrimarum rivulis
Convertat ut benignitas	Lavare cordis victimam
Quos longa suffert pietas.	Quam laeta adurat caritas.
Quiddamque poenitentiae	Quo fonte manavit nefas
Da ferre, licet grandium	Fluent perennes lacrimae
Maiore tuc munere	Si virga poenitentiae
Quod demptio sit criminum.	Cordis rigorem conterat.

CCXVII. *Hymnus paschalis.*

Vita sanctorum, decus angelorum,
Vita cunctorum pariter piorum
Christe, qui mortis moriens ministrum
Exsuperasti.

Tu tuo lactos famulos tropaeo
Nunc in his serva placidis diebus,
In quibus sacrum celebratur omnem
Pascha per orbem.

Pascha, quo victor rediens ab imo
Atque cum multis aliis resurgens
Ipse susceptam super alta carnem
Astra levasti.

Nunc in excelsis dominus refulgens
Et super coelos Deus elevatus
Inde venturus homo iudicatus
Denuo iudex.

Corda tu sursum modo nostra tolle
Quo patri dexter residens in alto,
Ne resurgentes facias in lima
Praecipitari.

Hoc pater tecum, hoc idem sacratus
Praestet amborum pie Christe flatus,
Cum quibus regnas Deus unus omni
Iugiter aevo.

Hic Hymnus, quem Clichtovaeus admodum suavem et dulcisonum appellat, saepe reperitur in vetustis Germaniae et Galliae breviariis, et propagatus est in protestantium ecclesias translatione Io. Spangenbergii: Der hailgen leben thut stets nach Gott streben (W. p. 339). — 1. Md. Deus. 5. W. 2. laetus. 6. Fabr. Zehn. placidus. 14. Cod. H. supra. 18. Cass. Lud. resides. W. 2. in altum. Clicht. refert alios legere dextrae residis.

CCXVIII. *Hymnus paschalis.*

Iesu salvator saeculi,
Verbum patris altissimi

Lux lucis invisibilis,
Custos tuorum pervigil etc.

Cod. H. Sb. Gron. Wimpf. Clicht. Cass. Thom.

CCXIX. *Hymnus in Dedicatione Ecclesiae.*

Libr. vet.

Urbs beata Hirusalem, dicta pacis visio,
Quae construitur in coelis vivis ex lapidibus
Et angelis coornata ut aponsata comite.

Nova veniens e coelo nuptiali thalamo
Praeparata ut sponsata copulata domino,
Plateae et muri eius ex auro purissimo.

Portae nitent margaritis adytis patentibus
Et virtute meritorum illuc introducitur
Omnis qui pro Christi nomine hoc in mundo premitur.

Tunsionibus, pressuris expoliti lapides
Suis coaptantur locis per manum artificis,
Disponuntur permansuri sacris aedificiis.

Angulare fundamentum lapis Christus missus est
Qui compage parietum in utroque nectitur,
Quem Sion sancta suscepit, in quo credens permanet.

Omnis illa Deo sacra et dilecta civitas
Plena modulis in laude et cunore iubilo,
Trinum Deum unicumque cum favore praedicat.

Hoc in templo, summe Deus, exoratus adveni
Et clementi bonitate precum vota suscipe,
Largam benedictionem hic infunde iugiter.

Hic promereantur omnes petita accipere
Et adepta possidere cum sanctis perenniter,
Paradisum introire, translati in requiem.

Gloria et honor Deo usquequo altissimo etc.

Brev. Rom.

Coelestis urbs Ierusalem,
Beata pacis visio,
Quae celsa de viventibus
Saxis ad astra tolleris,
Sponsaeque ritu cingeris
Mille angelorum millibus.

O sorte nupta prospera,
Dotata patris gloria,
Respersa sponsi gratia,
Regina formosissima,
Christo ingata principi
Coelo coruscas civitas.

Hic margaritis emicant
Patentque cunctis ostia,
Virtute namque praevia
Mortalis illuc ducitur,
Amore Christi percitus
Tormenta quisquis sustinet.

Scalpri salubris ictibus
Et tunsione plurima,
Fabri polita malleo
Hanc saxa molem construunt,
Aptisque iuncta nexibus
Locantur in fastigio.

Alto ex Olympi vertice
Summi parentis filius,
Ceu monte desectus lapis
Terras in imas decidens,
Domus supernae et infirmae
Utrumque iunxit angulum.

Sed illa sedes coelitum
Semper resultat laudibus,
Deumque trinum et unicum
Iugi canore praedicat:
Illi canentes iungimur
Almae Sionis aemuli.

Haec templa, rex coelestium,
Imple benigno lumine;
Huc o rogatus advenì
Plebisque vota suscipe,
Et nostra corde ingiter
Perfunde caeli gratia.

Decus parenti debitum
Sit usquequaque altissimo,
Nateque patris unico
Et inclyto paraclito,
Cui laus, potestas, gloria
Aeterna sit per saecula.

Haec supernae civitatis laudatio, ut mihi videtur, ex poetae consilio nihil spectabat ad festum Dedicationis, neque ultra versum decimum octavum genuinam esse puto. Quae sequuntur v. 19—24. illo tempore adiecti sunt, quo pro vetustiori hymno: Christe cunctorum dominator alme nostrum canticum in ecclesiae usum convertebatur. Exstat, plus iusto mutatum, in breviariis hodiernis: in Germanicum convertit G. Wicelius: Iernsalem, du selig stad. (W. p. 708). — 1. Visio pacis, interpretatio vocis Hebraeae. 2. I. Petr. II, 5. 3. Cass. Torr. Thom. Gron. Lps. Wimpf. Fr. coronata. W. 2. coronatur H. angelico ornatu, sed cf. Apoc. XXI, 2: *Vidi sanctam civitatem Ierusalem novam descendentem de coelo a Deo, paratam sicut sponsam, ornatam viro* sub. adde v. 19. et carmen.: Ad perennis vitae fontem locis plurimis. 5. Fr. Bd. Hil. Wimpf. Cass. e. a. copuletur. Gron. ceu sponsata. 6 sqq. Apoc. XXI, 19. 21. *fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata — — — et duodecim portae duodecim margaritae sunt per singulas et singulae portae erant ex singulis margaritis et platea civitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum.* 7. Pt. Msn. abditis. 9. Cass. Bd. Fr. ob Christi nomen, sed nomine est, ut saepius, disyllabum. Hv. Hl. Lps. Gron. Beb. Thom. hic in mundo. Beb. pro Christo Deo. 11. H. E. Hl. Hv. Hil. Wimpf. Lps. suisque aptantur locis Mgd. suisque coaptantur. Gron. Torr. spis adaptantur. Cass. Hd. Wimpf. per manus. 13. 14. Lud.: *appellatur Ch. angularis lapis, quia totam ecclesiae molem potentissime sustinet et duos diversos populos in unum angulum copulat i. e. Iudaeos et Gentes in unum corpus coagmentat.* 15. Fr. Hil. Wimpf. Thom. angularis. 14. Cass. cum compage. 16. W. 2. cu-

cara et electa civitas. 17. Cass. et laude. E. Hv. Lps. Lud. cum canore iubilo. 19. Thom. templum. 22. Fr. Hil. Cass. acquirere.

CCXX. *De S. Nicolao.*

Exultet aula coelica,
Laetetur mundi machina,
Dum refert solis orbita
Nicolai sollemnia etc.

God. H. Hv. Wimpf. Beb. Clicht. Cass. Ell.

CCXXI. *De S. Stephano.*

Sancte Dei pretiose, protomartyr Stephane,
Qui virtute caritatis circumfultus undique
Dominum pro inimico exorasti populo.

Tu coelestis primitivus signifer militiae,
Veritatis assertivus, testis primus gratiae,
Fundamento lapis vivus, basis patientiae.

Saxo caesus, non mucrone, per saxorum cuspides
Corpus membri passione circumcidi praevides,
Ad decorem sunt coronae rubricati lapides.

Tu coelorum primus stratam consternis lapideam,
Tu per Christum hebetatam primus transis rhomphaeam,
Primum granum trituratum, ditans Christi aream.

Tibi primum reseratae coeli patent ianuae,
Iesum vides potestate cui pugnas strenue;
Stans cum patris maiestate tecum est assidue.

Praestans genti persequenti preces pro lapidibus,
Ne rependas te petenti lapides pro precibus,
Sed indulge piae menti plus quam audet vocibus.

Funde preces pro devoto tibi nunc collegio
Ut tue propitiatus interventu dominus
Nos purgatos a peccatis iungat coeli civibus.

[Ubi chorus beatorum laetatur spirituum,
Ubi animae iustorum claro gaudent lumine,
Cernentes cum iubilo regem in decore suo.]

Gloria et honor Deo, qui te flore roseo
Coronavit et locavit in throno siderco:
Salvet reos, solvens eos a mortis aculeo.

Pulcherrimum carmen, ut supra scriptum est, legitur apud Clichtovaeum: duodecim strophas, ad metri leges revocatas exhibet Ellingerus. Qui maioribus typis excusi sunt versus designantur vel, Nataliciis vel Inventioni S. Stephani in Cod. H. in Brev. Hl. Hv. Bd.; fortasse in omnium ecclesiarum libris qui protomartyrem singulari quodam honore colebant*). Praeterea tres strophas, quas modo nominavi, habent Wimpf. et Beb. — 2. Clicht.: al. circumfulsus. 7 sqq. Clicht.: *Sicut in veteri lege fiebat circumcisio carnis cultro lapideo, ita, o sancte, inquit, Stephane praevides et cognoscis corpus mysticum Christi circumcidi spiritualiter per saxorum cuspides quasi mucrones gladiorum et id quidem per unius membri illius corporis passionem et tormentum. Cum enim tu ipse patiebare lapidum ictus sciebas ipsum totum corpus huiusmodi iactu lapidum spiritualiter circumcidi.* 11. Clicht.: *Gladium illum flammeum qui in Genesi describitur, hic vocat rhomphaeam. Ista autem fuit per Christum hebetata quia passione sua paradisum reseravit. Et quoniam b. Stephanus post Christum primus post martyrium ingressus est coelos, merito hic dicitur primum illam rhomphaeam intercipientem viam paradisi transisse.* 12. cf. Io. XII, 24. Matth. III, 12. 22—24. desunt apud Clichtovaeum.

CCXXII. *De Purificatione Virginis.*

Quod chorus vatum venerandus olim
Spiritu sancto cecinit repletus,
In Dei factum genitrice constat
Esse Maria etc.

Cod. H. Hv. Hl. Bd. Lg. Aug. Gron. Lps. Hil. Wimpf. Beb. Torr. Clicht. Cass. Ell.

CCXXIII. *De S. Georgio.*

Martyr egregie,
Deo dilecte,
Ad te clamantum
Preces tuorum
Propitius exaudi,
Sancte Georgi.

*) Quis est qui nos edoceat de Benedictione Avenae, et aliorum seminum quam fieri solitam esse in Nativitate (vel Inventione) S. Stephani testis est Benedictionale Lipsiense (cf. p. 133). In una ex collectis proferuntur haec: Domine Iesu Christe qui b. St. protomartyri tuo hanc gratiam conferre dignatus es, ut flores et semina super altare suum posita tantae essent virtutis, ut aegris hominibus et animalibus sanitatem conferrent, praesta quaesumus: ut eiusdem gloriosi protomartyris tui intercessione haec semina tua benedictione benedicantur, ut animalia ex eis gustantia robustam sanitatem et segetes seminatae ex eisdem multiplicationem et homines ex eis manducantes mereantur sanitatem corporum et medelam aeternam animabus obtinere, te eis largiente. Qui cum Deo patre etc.

Tu per innumera
Mortis tormenta,
Triumpho nobili
Promernisti
Martyrum militiae
Signifer esse etc.

Cod. H. Hl.

CCXXIV. *De Inventione sive Exaltatione S. Crucis.*

Rex angelorum praepotens,
Qui sponte pauper factus es,
Ut nos per aevum divites
In aethre tecum poneres etc.

Cod. H. Clicht. Cass. Ell.

CCXXV. *De iisdem festivitatibus.*

Salve crux sancta, salve mundi gloria
Vera spes nostra, vera ferens gaudia,
Signum salutis, salus in periculis
Vitale lignum, vitam portans omnium etc.

Cod. H. E. Md. Msn. Pt. Hl. Mgd. Msb. Lps. Wimpf. Beb. Torr. Clicht. Cass. Ell.

CCXXVI. *De Apostolis Petro et Paulo.*

Felix per omnes festum mundi cardines
Apostolorum praepollet alacriter
Petri beati, Pauli sacratissimi,
Quos Christus almo consecravit sanguine
Ecclesiarum deputavit principes.

Hi sunt olivae duae coram domino
Et candelabra luce radiantia,
Praeclara coeli duo luminaria,
Fortia solvunt peccatorum vincula,
Portas Olympi reserant fidelibus.

Habent supernas potestatem claudere
Sermone sedes, pandere splendentia
Limina poli super alta sidera,
Lingnae eorum claves coeli factae sunt,
Larvas repellunt ultra mundi limitem.

Libr. vet.	Brev. Rom.
Petrus beatus catenarum laqueos	Miris modis repente liber, ferrea

Christo iubente rupit mirabiliter,
Custos ovilis et doctor ecclesiae
Pastorque gregis, conservator omnium
Arcet luporum truculentam rabiem.

Christo iubente vincla Petrus exuit
Ovilis ille pastor et rector gregis
Vitae recludit pascua et fontes sacros
Ovesque servat creditas, arcet lupos.

Quodcunque vinclis super terram strinxerit,
Erit in astris religatum fortiter,
Et quod resolvit in terris arbitrio
Erit solutum super coeli radium,
In fine mundi erit iudex saeculi.

Quodcunque in orbe nexibus revinxeris
Erit revinctum, Petre, in arce siderum
Et quod resolvit hic potestas tradita
Erit solutum coeli in alto vertice,
In fine mundi iudicabis saeculum.

Non impar Paulus huic, doctor gentium,
Electionis templum sacratissimum,
In morte compar, in corona particeps,
Ambo lucernae et decus ecclesiae
In orbe claro coruscant vibramine.

O Roma felix, quae tuorum principum
Es purpurata pretioso sanguine,
Excellis omnem mundi pulchritudinem,
Non laude tua sed sanctorum meritis
Quos cruentatis iugulasti gladiis.

Vos ergo modo gloriosi martyres
Petre beate, Paule mundi lilium,
Coelestis aulae triumphales milites,
Precibus almis vestris nos ab omnibus
Munite malis, ferte super aethera.

Gloria Deo per immensa saecula — vel
Patri perenne sit per aevum gloria etc.

Commemoratur hymnus ab Radulpho; legitur in Brev. Eboracensi atque in libris Hilarii, Clichtovaei, Cassandri, Ellingeri. V. 16—25. in Romana ecclesia ornant festivitates S. Petri minores. — 10. Eb. reserunt. 11. Hil. supernam

CCXXVII. *De S. Maria Magdalena.*

Iesu Christe, auctor vitae, Peccatum lavisti Adae
Qui in tuo sanguine Mariae Magdalenae etc.

Cod. H. W. 2. Md. Ef. Pt. Beb. Ell.

CCXXVIII. *De S. Laurentio.*

Martyris Christi carminis triumphum
Annuum tempus venerando, cuius
Cernua vocis prece iam rotundus
Orbis adorat etc.

Mentio fit carminis apud Radulphum. Habent ex nostris Msb. Ef. Beb. Clicht. Cass. Ell. Thom.

CCXXIX. *De Assumptione Mariae.*

O quam glorifica luce coruscas
Stirpis Davidicae regia proles,
Sublimis residens virgo Maria
Supra coeligenas aetheris omnes etc.

Pt. Hv. Hil. Wimpf. Beb. Gron. Clicht. Cass. Ell. In hymnorum numero recenset Radulphus.

CCXXX. *De B. Virgine.*

Gaude visceribus mater in intimis
Felix ecclesia, quae sacra replicas
Sanctae festa Mariae:
Plaudant astra, solum, mare.

Cuius magnifica est generatio,
Cuius vita sacris claruit actibus,
Cuius finis honorem
Summum sine tenet fine.

Quae virgo peperit virgoque permanet
Lactavit propriis uberibus Deum,
Portantemque gerebat
Ulnis prona trementibus.

Felix multiplici laude puerpera,
Regis porta sui clausa perenniter,

Mundi stella fluentis,
Floris virgula regia.

Te nunc suppliciter, sancta theotocos,
Regis perpetui sponsaque poscimus,
Ut nos semper ubique
Miti munere protegas.

Sanctis obtineas virgo precatibus
Pacis praesidium dulce diutinae
Nobis atque beati
Regni dona perennia.

Praesta summe pater, patris et unice
Amborumque simul spiritus annue,
Qui regnas Deus unus
Omni tempore saeculi.

Carmen supra scriptum, elegantia et suavitate eximium, commemoratum a Radulpho, sat frequens in libris vetustis. Descriptum est vel festo Nativitatis vel Assumptionis, raro Conceptionis *). — 3. Md. festa s. M. 4. Lps. Wimpf. plaudent. 9. Md. Pt. quem. 11. Lusus verborum poetis acceptissimus: portabat Mariae eundem qui omnia portat verbo virtutis suae Hebr. I, 3. Sane vero hi versiculi laudatissimum efficiunt carminis locum. 14. Msn. Lps. summi.

CCXXXI. *De S. Apollinare M.*

Apollinaris martyris
Piis triumphum vocibus
Laetisque palmam mentibus
Promat fidelis concio etc.

Thomasius in Hymnario.

---

*) Exstat hymnus (emendatus) in libro Ludeci: scis enim festivitatem Assumptionis a Lutheranis saeculo decimo sexto passim esse celebratum. Mutata collecta („Veneranda nos Domine b. Mariae festivitas laetificet, quae mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus potuit deprimi, quae filium tuum de se genuit incarnatum. Qui vivit etc.") non dubitarunt, quin illa die dormitio, κοίμησις b. virginis convenienter posset celebrari. Item satis notum est, in Officio Romano, ut hodie est, miraculum illud visibilis in coelum assumptionis alto silentio praetermissum: nihil curat ecclesia catholica, nisi ut Mariam post mortem supra angelorum choros exaltatam et summis honoribus coronatam esse, certissime credant fideles.

CCXXXII. *De Communi Apostolorum.*

Libr. vet.	Brev. Rom.
Exultet coelum laudibus,	Exultet orbis gaudiis,
Resultet terra gaudiis,	Coelum resultet laudibus
Apostolorum gloriam	Apostolorum gloriam
Sacra canunt sollemnia.	Tellus et astra concinunt.
Vos saecli iusti iudices	Vos saeculorum iudices
Et vera mundi lumina	Et vera mundi lumina,
Votis precamur cordium:	Votis precamur cordium:
Audite preces supplicum.	Audite voces supplicum.
Qui coelum verbo clauditis	Qui templa coeli clauditis
Serasque eius solvitis,	Serasque verbo solvitis,
Nos a peccatis omnibus	Nos a reatu noxios
Solvite iussu, quaesumus.	Solvi iubete, quaesumus.
Quorum praecepto subditur	Praecepta quorum protinus
Salus et languor omnium,	Languor salusque sentiunt,
Sanate aegros moribus	Sanate mentes languidas
Nos reddentes virtutibus.	Augete nos virtutibus.
Ut quum iudex advenerit	Ut cum redibit arbiter
Christus in fine saeculi,	In fine Christus saeculi,
Nos sempiterni gaudii	Nos sempiterni gaudii
Faciat esse compotes.	Concedat esse compotes.

Locum tenet in hymnis Radulphi. — 3. Cass. et plurima breviaria gloria Thom. Gron. gloriam. 10. Cass. seras et eius.

CCXXXIII.

De Communi Apostolorum (*al: de Omnibus sanctis.*)

Ortu phoebi iam proximo Apostolis condebitam
Hymnum dicamus domino, Ferentes reverentiam etc.

Radulphi temporibus multis ecclesiis usitatus fuisse videtur, sed rarissimus est in breviariis. Ex nostris Hv. Sl. Beb. atque Ellingerus.

CCXXXIV. *De Communi unius Martyris.*

Martyr Dei qui unicum Victis triumphans hostibus
Patris sequendo filium Victor fruens coelestibus.

Tui precatus munere
Nostrum reatum dilue,
Arcens mali contagium,
Vitae removens taedium.

Soluta sunt iam vincula
Tui sacrati corporis,
Nos solve vinclis saeculi
Amore filii Dei.

Est ex Radulphianis, in Brev. Rom. correctus. 1. Br. R. Invicte martyr unicum. 2. Id. secutus. 3. Bd. Cass. Br. R. triumphas. 7. 8. Hv. taedia — contagia. 8. Br. R. repellens, quod iam Clichtovaeo placuit de metrica carminis ratione. 12. B. R. Dono superni numinis.

CCXXXV. *De Communi plurimorum Martyrum.*

Rex gloriose martyrum,
Corona confitentium,
Qui respuentes terrena
Perducis ad coelestia.

Aurem benignam protinus
Appone nostris vocibus,
Tropaea sacra pangimus,
Ignosce quod deliquimus.

Tu vincis in martyribus,
Parcendo confessoribus,
Tu vince nostra crimina
Donando indulgentiam.

Enumeratur a Radulpho, correctus est in hodiernis. — 3. Gron. Terr. Cass. B. R. terrea. 6. B. R. intende. 8. Sl. Lps. delinquimus. 9. 10. B. R. vincis inter martyres parcisque cf. Wimpf.: *quia non vis ut per martyrium finiant vitam suam.* 12. B. R. largitor indulgentiae.

CCXXXVI. *De Confessoribus.*

Iste confessor domini sacratus,
Festa plebs cuius celebrat per orbem,
Hodie laetus meruit secreta
Scandere coeli.

Qui pius, prudens, humilis, pudicus
Sobrius, castus fuit et quietus,
Vita dum praesens vegetavit eius
Corporis artus.

Ad sacrum cuius tumulum frequenter
Membrum languentum modo sanitati
Quolibet morbo fuerint gravata
Restituuntur.

Unde nunc noster chorus in honore
Ipsius hymnum canit hunc libenter
Ut piis eius meritis iuvemur
Omne per aevum.

Sit salus illi decus atque virtus etc.

Brev. Rom.

Iste confessor domini, colentes
Quem pie laudant populi per orbem,
Hac die laetus meruit beatas
Scandere sedes.

Qui pius, prudens, humilis, pudicus
Sobriam duxit sine labe vitam,
Donec humanos animavit auras
Spiritus artus.

Cuius ob praestans meritum frequenter
Aegra quae passim iacuere membra,
Viribus morbi domitis, saluti
Restituuntur.

Noster hinc illi chorus obsequentem
Concinit laudem celebresque palmas,
Ut piis eius precibus iuvemur
Omne per aevum.

Sit salus illi, decus atque virtus etc.

Exstat in catalogo Radulphi. — 3. Cass. in marg.: al. sacratum — coelum. Br. Rom.: si non est dies obitus, dicatur: Hac die laetus meruit supremos laudis honores. cf. ad.

CCXXXVII. *De Confessore Pontifice.*

Iesu redemptor omnium,
Perpes corona praesulum,
In hac die clementius
Nostris faveto precibus.

Tui sacri qua nominis
Confessor almus claruit,
Cuius celebrat annua
Devota plebs sollemnia.

Qui rite mundi gaudia
Huius caduca respuens
Cum angelis coelestibus
Laetis potitur praemiis.

Huius benignus annue
Nobis sequi vestigia,
Huius precatu servulis
Dimitte noxam criminis.

Mentionem hymni facit Radulphus. — 4. Brev. Rom. indulgeas precantibus. 7. B. R. huius. 11. 12. B. R. aeternitatis praemio potitur inter angelos.

CCXXXVIII. *De Virginibus.*

Virginis proles opifexque matris,
Virgo quem gessit peperitque virgo,
Virginis festum canimus, tropaeum:
Accipe votum.

Haec tua virgo duplici beata
Sorte, dum gestit fragilem domare
Corporis sexum, domuit cruentum
Corpore saeclum.

Unde nec mortem, nec amica mortis
Saeva poenarum genera pavescas
Sanguine fuso meruit sacratum
Scandere coelum.

Huius obtentu Deus alme nostris
Parce iam culpis, vitia remittens
Quo tibi puro resonemus almum
Pectoris hymnum.

Brev. Rom.

Virginis proles opifexque matris,
Virgo quem gessit peperitque virgo,
Virginis festum canimus beatae:
Accipe votum.

Haec enim palmae duplicis beatae
Sorte, dum gestit fragilem domare
Corporis sexum, domuit cruentum
Caede tyrannum.

Unde nec mortem, nec amica mortis
Mille poenarum genera exparescens
Sanguine effuso meruit serenum
Scandere coelum.

Huius oratu Deus alme nobis
Debitas poenas scelerum remitte,
Ut tibi puro resonemus almum
Pectore carmen.

Affertur ut Virginum sollemnitatibus proprius a Radulpho. Particula hymni a v. 13 incipiens, a reliquis avulsa, cantabatur praeterea festis mulierum sanctarum non Virginum, Viduarum vel (ut saepius dicuntur) Electarum. — 6. al. male gessit. 9. Cass.: al. inde. 11. 12. Hv. secreta coeli.

CC.

S. THOMAS AQUINAS.

CCXXXIX.

Hymnus in die Corporis Christi ad Vesperas.

Pange lingua gloriosi corporis mysterium
Sanguinisque pretiosi, quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi, rex effudit gentium.

Nobis natus, nobis datus ex intacta virgine
Et in mundo conversatus, sparso verbi semine,
Sui moras incolatus miro clausit ordine.

In supremae nocte coenae recumbens cum fratribus
Observata lege plene cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae se dat suis manibus.

Verbum caro, panem verum verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum, etsi sensus deficit
Ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit.

Tantum ergo sacramentum veneremur cernui
Et antiquum documentum novo cedat ritui:
Praestet fides supplementum sensuum defectui.

Genitori genitoque laus et iubilatio
Salus, honor, virtus quoque sit et benedictio
Procedenti ab utroque compar sit laudatio.

Praeclarus Doctoris angelici cantus in omnibus libris adsignatur Vesperis die Corporis Christi (et per Octavam), praeterea cantatur in processione sollemnissima, quae illo die in urbibus et pagis a clero et populo haberi solet *), porro feria quinta in coena Domini, dum sacramentum ab altari maiori defertur in altare minus, velis atque luminibus praeparatum. In officio votivo de S. Eucharistia aliisque festivitatibus, quae nonnullis locis in honorem corporis Christi institutae sunt, carmen nostrum in usu esse non est quod moneamus. Neque id respuit ecclesia Lutheri: scis enim saeculo decimo sexto in plurimis ecclesiis festum corporis Christi pro summo celebratum esse. Audi Ludecum: *Etsi autem hoc festo pontificii ἀρτολατρείαν suam stabiliunt, et etiamnum dum panem consecratum in pompa Persica circumgestant, tamen in nostris ecclesiis repurgatis sublato abusu verus usus remansit et doctrina de coena Domini hac die pro concione tractatur.*" Addidit in margine pastoris cuiusdam manus „et habetur de hoc festo Octava et quidem hymni tantummodo canuntur."

Vetustissima Germanica hymni interpretatio est Monachi Salisburg: Lobt all' Zungen des ernreichen gotes leichnams wirdigkeit Hoffmann D. K. p. 144. 145: alia saeculi decimi quinti: Mein zung erkling und frölich sing W. p. 109 in protestantium etiam ecclesiis aliquantisper cantabatur, cf. Rambach Anth. p. 304. — 1. In Exordio imitatur poeta Fortunatum, cf. H. 140 3. Luc. I, 42. *benedictus fructus ventris tui.* 5. Luc. VIII, 5. *Exivit qui seminat seminare semen suum.* 6. cf. Ps. CXIX, 5. 8. W. 2, vitiose illegalibus. 10. caute addit Ludecus: *non μετουσιαστικῶς, sed vere.* 11. 12. Confer Sequentiam S. Thomae: quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides. 14. Iudaicum vel typicum pascha det locum evangelicae huic caerimoniae novi testamenti. 15. W. 1. praestat.

CCLX. *Eadem festivitate ad Matutinum.*

Sacris sollemniis iuncta sint gaudia
Et ex praecordiis sonent praeconia;
Recedant vetera, nova sint omnia
Corda, voces et opera.

Noctis recolitur coena novissima 5

---

*) Ex decreto S. C. R. 21. Mart. 1609 Festo Sanctissimi Corporis Christi non convenit cantare cantiones vulgari sermone.

Qua Christus creditur agnum et azyma
Dedisse fratribus, iuxta legitima
Priscis indulta patribus.

Post agnum typicum expletis epulis
Corpus dominicum datum discipulis,
Sic totum omnibus quod totum singulis
Rius fatemur manibus.

Dedit fragilibus corporis ferculum,
Dedit et tristibus sanguinis poculum
Dicens: accipite quod trado vasculum,
Omnes ex eo bibite.

Sic sacrificium istud instituit,
Cuius officium committi voluit
Solis presbyteris quibus sic congruit
Ut sumant et dent ceteris.

Panis angelicus fit panis hominum,
Dat panis coelicus figuris terminum:
O res mirabilis: manducat dominum
Pauper, servus et humilis.

Te trina deitas unaque poscimus,
Sic nos tu visita, sicut te colimus:
Per tuas semitas duc nos quo tendimus,
Ad lucem quam inhabitas.

Conferas quae adnotata sunt ad hymnum superiorem. — 1. Cass. sunt. 17. Cass. illud. 16—20. Versiculus satis ieiunus. 21. sqq. Notum est corpus Christi saepissime appellari panem angelorum in teutonicis quoque W. p. 85: *hilf das ich der engel brot mit riuwen empfach in todes not:* his ex plurimorum doctorum opinione concessum est adspicere corpus Christi in specie panis dum pronuntiat sacerdos verba consecrationis cf. Pelbart. Sermo de Corp. Christ. V. Wimpf. ad h. l.: *Iste panis habet septem conditiones quas etiam debet habere communicandus. Primo est candidus: sic ille debet esse candidus, sine macula peccati mortalis. Secundo triticeus, nam triticum est dulcius frumentorum: sic digne manducans sit dulcior sine amaritudine fellis et rancoris. Tertio debet esse tenuis: per quod significatur quod sumens corpus Christi debet esse macilentus per abstinentiam. Quarto hostia debet esse parva: sic sumens debet esse humilis et non superbus. Quinto debet esse rotunda: sic sumens sit velox ad servitium Christi et non acidiosus. Nam figura rotunda est aliis habilior ad motum, ut claret in globo vel rota. Sexto debet esse non fermentatus: ita sumens sit sine fermento malitiae, avaritiae vel alterius peccati. Se-*

ptimo hostia non debet esse salsa: ita sumens sit sine amaritudine invidiae. Et sic per hos septem conditiones designantur septem vitia capitalia a quibus homo debet esse mundatus volens digne manducare corpus Christi.

CCXLI. *De eadem festivitate ad Laudes.*

Verbum supernum prodiens
Nec patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens
Venit ad vitae vesperam.

In mortem a discipulo
Suis tradendus aemulis,
Prius in vitae ferculo
Se tradidit discipulis.

Quibus sub bina specie
Carnem dedit et sanguinem,
Ut duplicis substantiae
Totum cibaret hominem.

Se nascens dedit socium
Convescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in praemium.

O salutaris hostia
Quae coeli pandis ostium,
Bella premunt hostilia
Da robur, fer auxilium.

Uni trinoque domino
Sit sempiterna gloria:
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria.

Aptissime S. Thomas carmen suum hymno fecit simile notissimo de Nativitate Domini (LXXIV), nam festivitas S. Eucharistiae, qua per omnia saecula Verbum caro factum habitabit in nobis, quid habeat affinitatis cum Nativitate Domini non est quod fusius explanemus. Ecclesiam idem sentire id perspicue docet, quod in sollemnitate corporis Christi et per totam Octavam cantatur Praefatio de Nativitate. — 17. in quibusdam vetustioribus **ostia**. Ad. v. 19. audiamus Clichtovaeum; *potissimum bella spiritualia et contra hostes animae qui nos quotidie infestant. Nam ut canit ecclesia „mundus, caro, daemonia diversa movent proelia.“ Contra quae praecipuum munimentum et praesidium est sacrosancta eucharistia in qua continetur veraciter dominus fortis, dominus potens in proelio, dominus virtutum et rex gloriae. Ceterum cum etiam corporalia bella nos infestant, pium admodum et religiosum est ad huius S. sacramenti auxilium petendum per hanc orationem suppliciter confugere. Quod cum multa pietate superioribus annis perspeximus palam observari, cum undequaque in florentissimum Galliae regnum coniurati insurgerent hostes. Ad quorum improbos conatus reprimendos id laudabiliter institutum est, quod in elevatione sacratissimi corporis et sanguinis Christi in ipso altaris sacrificio per omnia loca, quae regni illius ambitu continentur, decantaretur a choro fidelium hic versus „o salutaris“ quod magnopere credo contulisse ad pacem placidam et tranquillitatem paullo post in omnibus regni finibus obtentam, quae imprimis Deo accepta referri debet.*

CCLXII. *Rhythmus ad Sacram Eucharistiam.*

Adoro te devote, latens deitas
Quae sub his figuris vere latitas
Tibi se cor meum totum subiicit
Quia te contemplans totum deficit.

Visus, tactus, gustus in te fallitur
Sed auditu solo tuto creditur:
Credo quidquid dixit Dei filius:
Nil hoc verbo veritatis verius.

In cruce latebat sola deitas
Ad hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens
Peto quod petivit latro poenitens.

Plagas sicut Thomas non intueor
Deum tamen meum te confiteor:
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere et diligere.

O memoriale mortis domini,
Panis vivus, vitam praestans homini:
Praesta meae menti de te vivere
Et te illi semper dulce sapere.

Pie pellicane, Iesu domine
Me immundum munda tuo sanguine
Cuius una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere

Iesum quem velatum nunc adspicio
Oro: fiat illud quod tam sitio,
Ut te revelata cernens facie
Visu sim beatus tuae gloriae.

Ven. Rambachius p. 304: *Dieser Gesang war ursprünglich ein Gebet für die Privatandacht, ist aber in neuern Zeiten auch unter die Kirchenlieder aufgenommen.* Quod vehementer doleo argumentis non esse stabilitum atque illustratum. Nam mihi quidem non contigit canticum in breviariis hodiernis invenire, in Missalibus tantum interpositum est Praeparationi ad Missam quae „pro opportunitate sacerdotis facienda est.“ Quod in asceticis libris (imprimis qui Iesuitarum opera confecti sunt) saepe proponitur, privatae est devotionis non, publicae. — 21. Nota est fabula, pellicanum, si pulli omni cibo deficiente fame vexantur, proprii sanguinis haustus ipsis praebere escam et nutrimentum. Inde orta est Christi cum pellicano comparatio, inde in ecclesiis etc. saepissime reperitur illius avis imago.

Ex vetustis teutonicis unum nobis sufficiat nobile exemplum (Conrad von Würzburg Die goldne Schmiede 470 sqq. ed. Grimm.)

Da der vogel Pellican
In und uz vil schone flöck,
Der blut uz sinem herzen sök,
Damite er machte sine kint
Schire lebendig, da sie blint
Uor im lagen unde tot:
Din herz sich zu neste bot
Dem edeln, so sunder wank,
Der in eines vogels bilde swank
Zu dinem schonen lib gut
Und darnach sines herzen blut
Durch sine toten kind vergoz
Damit er in do schir entsloz
Das leben ewiclich dort.

DD.

HYMNI ECCLESIASTICI QUI IN BREVIARIIS SC. XIV ET XV REPERIUNTUR.

a) Hymni ὁμοιοτελεύτων expertes.

CCXLIII. *De Omnibus Sanctis.*

Libr. vet.

Christe redemptor omnium,
Conserva tuos famulos,
Beatae semper virginis
Placatus sanctis precibus.

Beata quoque agmina
Coelestium spirituum,
Praeterita, praesentia
Futura mala pellite.

Vates aeterni iudicis
Apostolique domini,

Brev. Rom.

Placare, Christe, servulis
Quibus patris clementiam
Tuae ad tribunal gratiae
Patrona virgo postulat.

Et vos beata, per novem
Distincta gyros, agmina
Antiqua cum praesentibus
Futura damna pellice.

Apostoli cum vatibus
Apud severum iudicem

Ve-

Suppliciter exposcimus
Salvari vestris precibus.

Martyres Dei inclyti
Confessoresque lucidi,
Vestris orationibus
Nos ferte in coelestibus.

Chorus sanctarum virginum
Monachorumque omnium,
Simul cum sanctis omnibus
Consortes Christi facite.

Gentem auferte perfidam
Credentium de finibus,
Ut Christo laudes debitas
Persolvamus alacriter.

Gloria patri ingenito etc.

Veris reorum fletibus
Exposcite indulgentiam.

Vos purpurati martyres,
Vos candidati praemio
Confessionis, exules
Vocate nos in patriam.

Chorea casta virginum
Et quos eremus incolas
Transmisit astris, coelitum
Locate nos in sedibus.

Auferte gentem perfidam
Credentium de finibus,
Ut unus omnes unicum
Ovile nos pastor regat.

Deo patri sit gloria etc.

Hic hymnus, in antiquis rarus, nunc cantatur in festo Omnium Sanctorum ad Vesperas. — 2. Wimpf. nos. 17. Cass. chorus sacratus. Fr. Thom. chori sanctarum. 18. In plerisque brev. monasticis: electorumque v. 25. Fortasse carmen eodem tempore conditum est quo bellum cum Albigensibus, Catharis etc. gestum est. Beb. mentem.

CCXLIV. *Ad Completorium.*

Sol angelorum respice
Quem concupiscit mentium

Intenta visu caritas
Sursum manentem cernere etc.

Legitur apud Cassandrum.

CCXLV. *De Adventu Domini.*

Sol, astra, terra, aequora
Adventum Dei altissimi,
Prolem excelsi germinis
Dives et inops concrepet,

Agnus et fera bestia
Simul manducent paleas,
Cognoscat bos et asinus
Iacentem in praesepio etc.

Ut supra.

CCXLVI. *De Nativitate Domini.*

Verbum patris principium,
Proles beata coelitus
Narrare quem nemo valet
Demissus terris apparet etc.

Hymnar. Colon. a. 1492.

CCXLVII. *Hymnus paschalis.*

Te lucis auctor personent
Huius catervae carmina,
Quam tu replesti gratia,
Anastasis, potentia etc.

Ut supra.

CCXLVIII. *Hymnus paschalis.*

Sol, luna, coelum, sidera,
Mons, vallis, alta, concava
Fons, stagna, flumen, aequora
Quicquid volat, repit, natat.
Qua voce quisque praevalet
In laude Christi plaudite,
Redemptor orbis hodie
Ab inferis victor redit etc.

Ut supra.

CCXLIX. *De Ascensione Domini.*

Adest dies sanctus Dei
Claro resplendens lumine,
Quo victor coelos potens rex
Christus exultans petiit etc.

Brev. Hv.

CCL. *De S. Andrea Ap*

Post Petrum primum principem
Andreas est apostolus,
Salutis verbum praedicans
In Achaia provincia etc.

Hl. Cs.

CCLI. *De S. Antonino Arch. Flor.*

Ut Antonini gloriam
Concinamus uberius,
Afflare nunc pectoribus
Nostris Deus omnipotens etc.

In Praedicatorum Brev.

CCLII. *De eodem.*

Cum sol ad cursum properat
Ad te praesul confugimus,
Qui tuas laudes canimus
Tuas sub alas protege etc.

Ut supra.

CCLIII. *De Sancta Cruce.*

Lignum crucis mirabile
Olim per orbem praenitet,
In qua pependit innocens
Christus redemptor omnium etc.

Hv. Clicht. Beb. Cass. 1. al: signum.

CCLIV. *De S. Monica.*

Excelse princeps omnium,
Mundi regis qui machinam,
Aeterna regnans saecula:
Audi tuos nunc servulos etc.

Aug. 2.

CCLV. *In Festo Nivis.*

Quem pia virgo genuit
Sacro perfusa spiritu etc.
v. 11. Locum elegit inclytum
Suo sacrandum nomini:
Quem praeter morem solitum
Mensis Augusti tempore,
Pressis solis ardoribus
Totum replevit nivibus etc.

Ef. Pt.

CCLVI. *De Transfiguratione Domini.*

O nata lux de lumine,
Iesu redemptor saeculi,
Dignare clemens supplicum
Laudes precesque sumere etc.

Pt. Sl. Cass.

CCLVII. *De S. Martino.*

Martine, confessor Dei,
Valens vigore spiritus,
Carnis fatiscens artubus,
Mortis futura praescius etc.

Pt. Sl. Beb. Clicht. Cass.

CCLVIII. *De eodem.*

En gratulemur spiritu,
Voti colentes debita
Haec festa, quae sollemnibus
Martinus ornat gaudiis etc.

Cass. Gron. Torr. Wimpf.

CCLIX. *De eodem.*

Martine, par apostolis,
Festum colentes tu fove,
Qui vivere discipulis
Vis aut mori, nos respice etc.

Hil. Clicht.

CCLX. *De eodem.*

Rex Christe, Martini decus etc.

Hilarius.

CCLXI. *In Vigilia Pentecostes ad Baptismum.*

Rex sanctorum angelorum, totum mundum adiuva:
Ora primum tu pro nobis, virgo mater germinis
Et ministri patris summi ordines angelici.

Rex sanctorum etc.
Supplicate Christo regi coetus apostolici
Supplicetque permagnorum fusus sanguis martyrum.

Rex sanctorum etc.
Implorate confessores consonaeque virgines
Quo donetur magnae nobis tempus indulgentiae.

Rex sanctorum etc.
Omnes sancti atque iusti, vos precamur cernui
Ut purgetur crimen omne vestro sub oramine.

Rex sanctorum etc.

Huius Christe rector almo plebis vota suscipe,
Qui plasmasti protoplastum et genus gignentium.

Rex sanctorum etc.
Mitte sanctum nunc amborum spiritum paraclitum
In hanc plebem, quam recentem fons baptismi parturit.

Rex sanctorum etc.
Fac in terra fontis huius sacratum mysterium
Qui profluxit cum cruore sacro Christi corpore.

Rex sanctorum etc.
Ut laetetur mater sancta, tota nunc ecclesia
Ex profectu renascentis tantae multitudinis,

Rex sanctorum etc.
Praesta patris atque nati compar sancte spiritus
Ut te solum semper omni diligamus tempore.

Wimpf. narrat istum hymnum decantatum esse in vigilia Paschae et Pentecostes ad fontem: sed quod ad tempus paschale attinet, hoc addubitaverim. Nam aliud vetustum et insigne canticum ex antiquo more ecclesiae recitatur inter benedictionem fontis, quae fieri solet Sabbato sancto. — 6. Beb. quo donetur nobis magis. 9. Cass. almae. 13. Cass. interna. 15. Beb. Wimpf. et laetetur.

CCLXII. *De S. Stephano R. H.*

Gaudent coeli luce nova etc.

Clicht.

CCLXIII. *Sabbato ante Dominicam Septuagesimae.*

Alleluia, dulce carmen, vox perennis gaudii,
Alleluia vox suavis est choris coelestibus,
Quam canunt Dei manentes in domo per saecula.

Alleluia laeta mater concivis Hirusalem,
Alleluia vox tuorum civium gaudentium,
Exules nos fiere cogunt Babylonis flumina.

Alleluia non meremur nunc perenne psallere

Alleluia nos reatus cogit intermittere,
Tempus instat, quo peracta lugeamus crimina.

Unde laudando precamur te beata Trinitas,
Ut tuum nobis videre pascha des in aethere,
Quo tibi laeti canamus alleluia dulciter.

Cum laudabili more in ecclesia Catholica praescriptum sit, ut ab Dominica Septuagesimae ad Pascha usque intermittatur vox Alleluia, exstant apud veteres carmina, Sabbato ante Septuagesimam decantanda, quae in dilecta et suavi laudatione, persaepe repetita, quasi exultant et iubilant. Ut nunc est, in protestantium ecclesiis per totum annum et in ipsa Parasceue canitur Alleluia: sed aliter statuit ecclesia Lutheri vetus. Ludecus: *Etsi autem hoc nullius est momenti, cum singuli singulis diebus Deum laudibus praedicationibusque extollere merito debeamus, ordinationi tamen ecclesiae standum duxi.*

CCLXIV. *De S. Mauritio et Sociis.*

Alma Christi quando fides mundo passim traditur etc.
v. 10. Tunc armati spiritali ense Christi milites
Submittentes velut agnus pia colla iuiulo,
Triumphabant trucidati spreto mundi principe etc.

Mgd. Hl. Hv. Ef. Beb. Wimpf.

CCLXV. *In Festivitate Nivis.*

Iesu Christi mater,
Virga stirpis Iesse
Sponsa Dei digna,
Salve salus nostra etc.

Pt. Ef.

CCLXVI. *Tempore Quadragesimae.*

Aures ad nostras deitatis preces
Deus inclina pietate sola,
Supplicum vota suscipe precamur
Famuli tui etc.

Cass. Clicht.

CCLXVII. *De S. Trinitate.*

O pater sancte, mitis atque pie,
O Iesu Christe, fili venerande,
Paracleteque spiritus et alme
Deus aeterne etc.

Cass. Clicht. Sb.

CCLXVIII. *De Dedicatione Ecclesiae.*

Christe coelorum habitator alme,
Haec domus fulget sub honore cuius,
Hostiam clemens tibi quam litamus,
Suscipe laudes etc.

Brev. Sl.

CCLXIX. *De S. Blasio.*

Martyris sanctum celebrando festum
Laudibus Christum resonemus altum,
Cuius ex nutu meruit supernam
Blasius aulam etc.

Hil. Wimpf.

CCLXX. *De S. Iosepho.*

Virginis sponsum Mariae fidelem,
Regibus Iuda genitum et prophetis,
Sobriae mentis resonare Ioseph
Christicolarum.

Virga quam sanctis manibus gerebat
Aridam, mire subito virescens
Virginis monstrat Mariae maritum
Virginem Ioseph.

Antequam virgo pia conveniret
Cum viro novit gravidam maritus,
Clanculum iustus voluit relicta
Virgine abire.

Angelus coeli vetuit monendo:

Coniuiem sumas, nihil est timendum,
Nempe quod gestat gravidata, sacro
Flamine gestat.

Liber a somno memoransque Ioseph
Angeli dictum, Mariae ministrat,
Parvulum et matrem fovet architectus
Officiose.

Iussus Herodis rabiem cavere
Currit Aegyptum, redit inde iussus,
Et semen iustum comitantur ambo
Mater et infans.

Sedulus natum simul et parentem
Educat, quamvis fuit ille alumnus,
Qui potest patris famulos supernam
Ducere in aulam.

Ergo iam nostri memor, o patrone,
Criminum exora veniam salubrem,
Tempora, coelum sociosque sanctis
Redde clientes.

Liber, qui inscriptus est „Heures à l'usage de Lengres" continet Officium S. Iosephi proprium: huic hymnus supra positus insertus est. Ceterum notum est cultum sancti Iesu Christi nutritii apud Catholicos recentiorem esse: coepit enim propagari circa tempora sc. XVI. In plurimis calendariis vetustis desideratur festum S. Iosephi: in calce Brev. Halberstadensi adiecta est Legenda de S. Ioseph, sed adnotatur: *Festum beati Ioseph in ecclesia Halberstadensi nondum servatur.*

CCLXXI. *De S. Ioachimo.*

O pater summae, Ioachim, puellae,
Quae Deum clauso genuit pudore,
Promove nostras domino querelas,
Castaque vota.

Scis quot hic caecis agitemur undis,
Triste quos mundi mare defatigat;
Scis quot adnectat Satanas carove
Proelia nobis.

Iam sacris iunctus superum catervis,

Immo praecedens, potes omne, si vis:
Nil nepos Iesus merito negabit,
Nil tibi nata.

Fac tuo nobis veniam precatu
Donet et pacem deitas beata;
Ut simul iuncti resonemus illi
Dulciter hymnos.

Acta Sanct. Mart. Tom. III. p. 80 ex vetusto Brev. Romano.

CCLXXII. *De S. Benedicto.*

Christe sanctorum decus atque virtus,
Vita et forma, via, lux et auctor,
Supplicum vota pariterque hymnum
Suscipe clemens.

Hil. Wimpf.

CCLXXIII. *De S. Vincentio Ferrerio.*

Mente iucunda inbilent fideles,
Vocibus hymnos resonent canentes
Nam datus mundo novus est precator
Ante tonantem etc.

In Brev. Praedicatorum.

CCLXXIV. *De eodem.*

Magne Vincenti, nova lux Olympi
Noctis obscurae tenebras resolve,
Ut tuas pure modulemur omnes
Carmine laudes etc.

Ut supra.

CCLXXV. *De S. Catharina Senensi.*

Haec tua virgo monumenta laudis
Quae tuis laetis Catharina sacris,
Hoc quidem pacto modulamur omnes,
Perfer Olympo etc.

Ut supra.

CCLXXVI. *De S. Monica.*

Te ferant linguae, celebrent et omnes,
Te simul totus moduletur orbis
Saeclis cunctis memor eris ampla
Monica laude.

Cuius effusae lacrimae precesque
Cor tui durum rigidumque nati
Ad Dei magni meruere sacrum
Vertere cultum etc.

Aug. 2.

CCLXXVII. *De SS. Voto et Felice Eremitis.*

O Vote, et Felix, meriti patroni;
Ut queat nostrum resonare quisque
Gesta tantorum, date, monachorum,
Quaesumus omnes.

Insequens cervum Votus, in suprema
Rupis advenit iuga, devolando
Quo cadit cervus nimis inde lassus,
Undique pressus.

Inscius casus eques ipse tanti,
Mox equi pinnae pedes applicantur,
Cum ruens clamat, Mihi tu faveto,
Sancte Ioannes.

Hinc reviviscens, vepribus putatis,
Gratias reddens domino, tetendit.
In specum, quo funus erat Ioannis,
Quod sepelivit.

Parce nunc nostris, Deus alme culpis

Et domum semper tuearis istam:
Qui globum mundi regis et gubernas,
Trinus et unus.

Acta Sanct. Mai. Tom. VI. p. 415. ex vetere Breviario Pinnatensi.

CCLXXVIII. *De S. Erasmo.*

O pater alme clemens atque pie
Da te laudemus, ardenter amemus,
Nunc revoluto martyris in festo
Sancti Erasmi etc.

Pt.

CCLXXIX. *De S. Ioanne Baptista.*

Praeco praeclarus sacer et propheta
Regis aeterni paranymphus almi
Voxque clamantis domino potenter
Dirige callem.

Qui redemptorem digito notasti,
Rite tollentem scelus omne mundi
Intimans agnum pietate cunctum
Solvere mundum.

Angelus cum tu vocitaris alti
Iura formantem rogita tonantem,
Quatenus sanctis sociemur astris
Arce polorum.

Hocque tu praesta genitor superne etc.

Gron. Torr. Cass.

CCLXXX. *De Transfiguratione Domini.*

O sator rerum reparator aevi,
Christe rex regum, metuende censor,
Ad preces nostras pariterque laudes
Adspice clemens etc.

Cass. Sb.

CCLXXXI. *De S. Nicolao de Tolentino.*

Laudibus summis celebremus omnes
Regis aeterni memoranda dona,
Mentibus laetis modulemur eius
Grandia facta etc.

Aug. 2.

CCLXXXII. *De S. Hieronymo.*

Ecce qui Christi decoravit aulam,
Summus interpres fideique doctor,
Ut Deum lingua resonaret omni
Orbe peregit.

Lege sub trina modulatus ore,
Tullii lingua vagus et Platonis,
Iussus est caedi gravibus flagellis
Iudice celso.

Postque sacrorum studiis inhaerens
Romae sacratus roseo galero
Bethleem pergens aemulata liquit
Vestis iniqua.

Omne mandatum vetus et novellum,
Quicquid arcani cecinere patres,
Quicquid externum celebrant latini,
Transtulit iste.

Nec nitet pandens aliena tantum,
Immo, sic penna propria coruscat,
Ne quis in sacro studio sophiae
Non sibi cedat.

Horridas cautes eremi subivit,
Post quod cum multos monachos gregasset
Ligna qui gessit domuit leonem
Legifer abbas.

Dogmata vitae moriens docebat,
Angeli tollunt animam canentes
Romam translatum tenet inde corpus
Virginis aula.

Redde nos claros radiosa lampas,

Absque qua caecus titubaret orbis
Sacra nam lex Hieronymus vocaris
Nomine vero.

Pt. Msn. Msb. Lps.

CCLXXXIII. *De S. Nicecio.*

Cerne quam duris premitur catervis,
Cerne quam multum dedimus reatum,
Cerne devotam petimus catervam
Sancte Niceci etc.

Msb.

CCLXXXIV. *De S. Burchardo.*

Gaudium magnum referunt per annum
Festa Burchardi veneranda sancti,
In quibus regnum meruit supremum
Scandere felix etc.

Pt.

CCLXXXV. *De S. Gallo.*

Vita sanctorum, via, spes salusque
Christe largitor probitatis atque
Conditor pacis, tibi voce, sensu
Pangimus hymnum etc.

Beb. Wimpf.

CCLXXXVI. *De S. Monica.*

Cantemus domino grandia munera
Pulsemusque poles altaque sidera
Laudantes resono carmine Monicam
Sexus feminei decus etc.

Aug. 2.

CCLXXXVII. *De S. Kiliano.*

Fons sapientiae, corona praesulum,
Dat te Kilianum patronum Francorum
Cum viris clarissimis tuis consociis,
Inclytos flores martyrum.

Intelligentiae dono tu rutilas,
Ignotae patriae fidem tu praedicas,
Romanos ut Cephas, Achaeos Andreas,
Salvas Francos idolatras.

Lumen scientiae, doctrinae coelicae,
Confers Franconiae vitae catholicae
Duci provinciae, fidem ecclesiae
Fontemque donas gratiae.

Dono consilii incestum prohibes,
Geylanam odii caecat luxuries,
Baptistam ut saeva necat Herodias
Trucidat et haec martyres.

In fortitudinis dono martyrium
Subis dulcedinis ob iuge bravium
Beatitudinis scandis imperium,
Gaudens cum rege omnium.

Cogat te pietas divini flaminis,
Fer nobis gratias paterni numinis,
Ut pestilentias tantae formidinis
Christus tollat, fons luminis.

Vitam hanc miseram, timore domini
Fac nobis perviam tuo precamine,
Det nobis patriam felicis bravii
Deus aeterni gaudii.

Praesta hoc, genitor, optime maxime etc.

Cod. W. 2. Brev. Msn. cf. I. P. Ludwig „Geschichtschreiber von dem Bischoffthum Würzburg“ Frankfurt 1713 p. 725.

CCLXXXVIII. *De S. Bonaventura.*

Virtutum praemia suggerit aurea
Et sceptrum floride carpit imagine
Perlustrans aethera, flos innocentiae
Francisce proles inclyta etc.

v. 13. En suxit dulcia pedibus dogmata
Iesu dum oscula fixa multiplicat,
Cunctis praeeminens se aptat limpide
Seraphicis ardoribus etc.

Fr. 2.

CCLXXXIX. *De S. Rocho.*

Rochi coniubilent omnia laudibus,
Axis stelliferi regia gaudeat,
Et mundi teretis concrepet orbita,
Sit vox una canentium.

Felix illa suo gaudeat hospite
Haec patrocinio floreat inclyto:
Rochum nam medicum nunc habet optimum
Qui pestem fugat horridam.

Hic qui cuncta simul pauperibus bona,
Et sese miseris subsidium dedit,
Aegros mirifico sublevat omine
Non herba, cruce sed sacra.

Haec illi merito gratia reddita,
Summo qui studio, cordeque fervido
Res et delicias, stemmaque gloriae
Sprevit, nil retinens sibi.

Huius praesidium rebus in arduis
Poscamus pavido pectore singuli
Si perfecta fides, mensque sit integra,
Nobis mox aderit pius.

Te simplex Deitas, trinaque poscimus etc.

Acta Sanct. Aug. Tom. III. p. 389. ex Brev. Slesvicensi.

CCXC. *De S. Hedwige.*

Exultent hodie ingiter omnium
Mentes altisono carmine cordium
Cum Christus famulam vexit ad aethera
Hedwigim, matrem inclytam etc.

Msb. Pt. Msn.

CCXCI. *De S. Ursula et Sociabus.*

Festum nunc celebre magnaque gaudia
Festivis celebret votis ecclesia,
Dum Christus virginum undena millia
Coronat per martyrium etc.

Mss. Lps.

CCXCII. *De S. Martino.*

Fratres unanimes foedere nexili etc.
v. 21. Martinum precibus gens modo Gallica,
Dignis sollicitet nostra Germania,
Martinus faciat tempora prospera
Mundi, Christe salus tibi gloria.

De cultu S. Martini late per Germaniam propagato adeas Nickelium Heil. Zeiten III, 2. p. 193 sqq. Inter omnes constat a Germanis, quos nunquam voluptates epularum aspernatos esse nemo non ignorat, diem proximum ante festum S. Martini lusibus et iocis publice celebratum esse; quem quidem morem non a veterum Germanorum religionibus sed ab eo repetendum censeo, quod cum olim initium adventus iam a die festum S. Martini insequente fieret, pridie eius festi diei postremum genio indulgere placuerit. Ex eodem more intelligitur cur festum S. Martini cum permultis sacris, tum profanis carminibus prosecuti sint. Ex his unum exhibet Hoffmannus (D. K. p. 167) „Pontificis eximii in sand Mertens ere Patronique largissimi den schol wir loben sere. In cuius festo propere zu weine werdent moste Et qui hoc nollet credere der lass die wursen chosten. Martinus Christi famulus was gar ein milder herre Ditari qui vult sedule der volg nach seiner lere. Et transmittat hic stantibus die pfennig aus den taschen Et donet scientibus den wein in grossen flaschen, Detque esurientibus die gueten feisten praten gallinas cum cauponibus wir nemens ungesoten vel pro honore dirigat die gens und auch die anten et qui non bene biberit der sei in dem panne.“ Cf. praeterea Aufsess Anzeiger für Kunde des deutschen Mittelalters 1832. p. 14. „uns hat frode bracht Martin der milde mann gesait.“

CCXCIV. *De Communi unius apostoli.*

Annue Christe saeculorum domine
Nobis per huius tibi cari merita,
Ut qui te coram graviter deliquimus
Huius solvamur gloriosis precibus etc.

Sb. Cass.

CCXCV. *In Die Pentecostes.*

Alma chorus domini nunc pangat nomina summi:
Messias, Soter, Emanuel, Sabaoth, Adonai,
Est Unigenitus, Via, Vita, Manus, Homoousion,
Principium, Primogenitus, Sapientia, Virtus,
Alpha, Caput Finisque simul vocitatur, est
Fons et Origo boni, Paraclitus et Mediator,
Agnus, Ovis, Vitulus, Serpens, Aries, Leo, Vermis,
Os, Verbum, Splendor, Sol, Gloria, Lux et Imago,
Panis, Flos, Vitis, Mons, Ianna, Petra Lapisque
Angelus et Sponsus: Pasterque Prepheta, Sacerdos
Athanatos, Kyrios, Theos, Pantocrator, Iesus,
Salvificet nos; sit tui saecla per omnia doxa.

Clichtovaeus in secunda editione: „Ad Vesperas in die Pentecostes.“ Addit haec: *Decantatur hic hymnus ad usum insignis ecclesiae Parisiensis in die sancto Pentecostes ad Vesperas, ob foecundam divinorum nominum multiplicitatem praeclarus admodum. Non nulli inter prosas collocant, sed quoniam praeter prosarum morem carmine contexitur malui ipsum inter hymnos ponere.* Videtur carmen Galliae et Angliae fuisse proprium: nam praeter Clichtovaeum unum dedit Brev. Sarisburiense „in die Pentecostes ad Completorium et tribus diebus sequentibus.“ Si quaerimus cur festum Pentecostes hoc πολυγλώσσῳ divinorum nominum praeconio ornatum sit, in mentem veniat S. Lucas Act. II, 4. 11. *audivimus eos loquentes linguis nostris magnalia Dei.* Hoc insigne miraculum nostrum carmen quasi repraesentat et repetit, quod tres linguas facit Christum redemptorem celebrantes. — 3. Manus Ies. XLVIII, 13. *manus mea quoque fundavit terram.* 7. Serpens Io. III, 14. Aries. Clicht.: *quoniam inter duo brachia crucis extentus est et oblatus pro nobis, haud aliter quam aries ille haerens vornibus inter vepres, quem Abram obtulit.* Vermis. Ps. XXI, 7. *Ego sum vermis et non homo.* 8. Os. Ies. XL. 5. et saepius: *os domini locutum est.* 9. Flos Ies. XI, 1. *flos de radice eius ascendet.* Petra Lapisque cf. ad H. 15, 25—

28. Reliqua nomina facilia sunt ad intelligendum: nomen Iesus (quod hoc loco trisyllabum est) agmen claudit, quoniam est super omne nomen Phil. II, 9.

CCXCVI. *De S. Remigio.*

Remigius praesul, meritis ortuque venustus etc.

Torr. Wimpf.

---

b) Hymni in ὁμοιοτέλευτα constanter desinentes.

CCXCVII. *Ad Completorium.*

Salvator mundi domine
Qui nos salvasti hodie,
In hac nocte nos protege
Et salva omni tempore etc.

Sb.

CCXCVIII. *De Nativitate Domini.*

Christi caterva clamitet etc.
5. Vatum poli oracula
Perfecit olim tradita,
Cum nos redemit unicus
Factoris orbis filius etc.

Cass.

CCXCIX. *De Nativitate Domini.*

Coelum coruscans intonet,
Tellus resultans personet,
Infernus hians ululet
Humanitasque iubilet etc.

Gron. Wimpf. Fabr.

CCC. *De Quadragesima.*

Amorem sensus erige
Ad te largitor veniae,
Ut fias clemens cordibus,
Purgatis inde sordibus etc.

Hv. Beb.

CCCI. *De Quadragesima.*

Coelorum rex altissime,
Mundanae rector fabricae,
Ieiuniorum tempore
Servorum vota suscipe etc.

Lg.

CCCII. *De Corpore Christi.*

Christus vere noster cibus
Christus vere noster potus,
Caro Dei vere cibus,
Sanguis Dei vere potus,
Vera caro quam sumimus,
Quam assumpsit ex virgine:
Vere sanguis quem bibimus,
Quem effudit pro homine.

Vere tali convivio
Verbum caro comeditur,
Per quod viget religio,
Per quod coelum ingreditur.
Panis iste dulcedinis
Totus plenus est gratiae,
Alvo gestatus virginis
Rex est aeternae gloriae.

Hnius panis angelici
Saginemur pinguedine,
Ut tam pii viatici
Delectemur dulcedine.
O coeleste convivium,
O redemptorum gloria,
O requies humilium,
Aeterna confer gaudia.

Praesta pater per filium
Praesta per almum spiritum,
Quibus hoc das edulium
Prosperum serves exitum.

Acta Sanct. April. Tom. I. p. 904 ex antiquo Antiphonario Leodiensi, in ecclesia S. Martini reperto. Brev. Cs. continet v. 5—8. v. 13—16. v. 21—24. et tanquam versum primum adiicit: Christe lux indeficiens, Cibat nos carne dulciter, Et potat nos reficiens, Suo sanguine pariter.

CCCIII. *De Corpore Christi.*

Verbum procedens a patre etc.
9. Servos veni redimere
Tuo sacrato sanguine,
Fac nos tecum resurgere
Cibatos tuo corpore.

Lps. Beb.

CCCIV. *De S. Trinitate.*

Adesto sancta Trinitas,
Par splendor, una Deitas,
Qui exstas rerum omnium
Sine fine principium etc.

Cass.

CCCV. *De S. Trinitate.*

In maiestatis solio
Tres sedent in triclinio,
Nam non est consolatio
Perfecta solitario.

Aeternae mentis oculo
Quando pater inflectitur,
In lucis suae speculo
Imago par exprimitur.

Imaginis consortium
Nativus praebet exitus,
Consorsque spirans gaudium
Ingenitus et genitus.

Hoc gaudium est spiritus
Quo patri natus iungitur,
Et unum bonum funditus
In his tribus concluditur.

In tribus est simplicitas
Quos non distinguit qualitas,
Non obstat tribus unitas
Quos ampliat immensitas.

Per solam vim originis
Communio fit numinis
Nativo ductu germinis,
Votivique spiraminis.

Ingenito et genito etc.

Fr. Clicht. sec. ed. Cass.

CCCVI. *De S. Trinitate.*

O lux beata Trinitas,
Tres unum, trium unio,
Imperialis unitas
In trium contubernio.

O pater innascibilis
Natura semper pullulans,
Pondus rei vertibilis,
Verbo virtutis baiulans.

O verbum in principio,
Paternae splendor gloriae,
Tu conditor et ratio,
Lux cordium, fons veniae.

O amor, sancte spiritus,
Concordiae spiraculum,
Summi dulcoris halitus,
Pax, foedus, fructus, osculum.

Pater gignit imaginem
Aequalem sibi penitus,
Solamque per originem
Ab ipsis differt spiritus.

Tres unum Deum colimus,
Unam trium essentiam,
Tribus unam impendimus
Honoris reverentiam.

Fr. Clicht. sec. ed. Cass.

CCCVII. *De S. Andrea Ap.*

Exorta a Bethsaida
Duo suscepit lumina

In Petro atque Andrea
Primitiva ecclesia etc.

Pt.

CCCVIII. *De Conceptione B. V.*

O sponsa Christi fulgida,
Regina coeli inclyta,
Virgo prudentissima
Et mater Dei intacta etc.

Beb.

CCCIX. *De Conceptione.*

O sancta mundi domina,
Regina coeli inclyta,
O stella maris Maria,
Virgo mater deifica etc.

Beb. Hv.

CCCX. *De Conceptione.*

Beata Dei genitrix,
Verbum quae portasti patris,
Nos tibi noctis tempore
Psallentes clemens respice etc.

Beb.

CCCXI. *De Conceptione.*

Gaude mater ecclesia,
Nova frequentans gaudia,
Lux micat de caligine,
Rosa de spina germine etc.

Wimpf.

CCCXII. *De S. Adelheyde Imp.*

Anni voluto tempore
Festiva lux Adelheydis
Nobis beatae claruit,
Quae saeculum iam respuit etc.

Mgd.

CCCXIII. *De S. Ioanne Ev.*

De patre verbum prodiens,
De matre corpus induens,
Ioannis testimonio
Hoc erat in principio.
Ioannes virgo ceteris
Dilectior apostolis,
Rogatus apud Ephesum
Conscripsit evangelium.

Eructans almo pectore
Fluenta evangelica,
Quae hausit in convivio
Passuro mundi domino etc.

Hv. Beb. Clicht. Cass.

CCCXIV. *De eodem*

Sollemnis dies advenit,
Qua virgo coelum petiit,
Evangelista maximus
Ioannes et apostolus. —

v. 17. Qui carne solo positus,
Mente polo contiguus,
Verbum inedicibile
Cordis conspexit lumine etc.

Bd. Beb. Wimpf.

CCCXV. *De Translatione Trium Regum.*

Hymnis laudum praeconiis
Deum cole Colonia,
Trium regum reliquiis
Ditata Dei gratia.

Stellam secuti praeviam
Lumen requirunt lumine,
Maiestatis potentiam
Parvo colunt in homine.

Magi et reges inclyti
Noctem pellunt perfidiae,
Virtute Deo placiti,
Luce lustrati gloriae.

Salutem terrae praedicant,
Tollunt errores gentium,
Signis virtutum emicant
Regni cives coelestium.

Festum Translationis Trium regum, quae Coloniam facta esse dicitur, in plurimis Germaniae dioecesibus die XXIII. Iulii celebrabatur. Nam cum ipsa Epiphaniae sollemnitas ad Christum redemptorem spectare recte videretur, ne sanctissimi reges a populo Christiano negligerentur, in ipsorum quoque honorem proprium festum institutum est. Ita collecta Brev. Merseb. (ex quo hymnus noster desumptus est): „*Deus, qui ex regum omnium corona et confessorum gloria, annue nobis beatorum magorum tuorum, Caspar Balthasar et Melchior, piâ apud te experiri patrocinia, ut per tuam magnificentiam, quam in eorum glorificamus memoria, coronam vitae diligentibus te percipiamus repromissam.*“ Ceterum hoc adnotandum, magos, qui longo et inclyto itinere dominum quaesiverint, peregrinantibus esse patronos. Unde factum est ut in vetustis Missalibus quibusdam legatur missa propria „de tribus magis pro iter agentibus.“ Coll.: *Deus qui tres magos orientales C. M. et B. ad filii tui, domini nostri Iesu Christi cunabula, ut cum mysticis adorarent muneribus, stella duce et vero lumine praevio sine impedimento duxisti et reduxisti: concede famulis tuis, ut in hoc itinere, quod peracturi sint, per ipsorum trium regum pias intercessiones et merita, pacem et prosperitatem ac sanitatem, quatenus ipso vero sole, vera stella et vera luce ducente ad loca optata sine offensione et impedimento pervenire mereantur.*“ Epistola, Sequentia, Evangelium etc. omnia sunt propria.

CCCXVI. *De S. Vincentio M.*

Conscendat usque sidera etc.

5. Adest namque festivitas
Et diei iucunditas,
In qua coelum egregius
Ingressus est Vincentius etc.

Msn.

CCCXVII. *De S. Dorothea.*

Gratulare Caesarea,
Patronae colens merita etc.
11. — rosarioque martyrum
Flos roseus inseritur.

Clicht.

CCCXVIII. *De S. Guilelmo Eremita.*

Eremitarum cunei
Ad laudes Christi currite
Et oculis iam fidei
Guilelmum laetum cernite etc.

Aug. 2.

CCCXIX. *De S. Guilelmo.*

Iesu, cordis iucunditas,
Qui peccatores visitas,
Sancti Guilelmi precibus
Adesto nostris vocibus etc.

Aug. 2.

CCCXX. *De S. Thoma Aquinate.*

Superna mater inclyta
Novis exulta gaudiis etc.

Cod. D. 2.

CCCXXI. *De eodem.*

Aurora pulchre rutilans
Splendorem defert roseum etc.

Cod. D. 2.

CCCXXII. *De eodem.*

Thomas insignis genere,
Claram ducens originem etc.

Cod. D. 2.

CCCXXIII. *De eodem.*

Exultet mentis iubilo
Laudans turba fidelium,
Errorum pulso nubilo
Per novi solis radium.

Thomas in mundi vespere
Fudit thesauros gratiae
Donis plenus ex aethere,
Morum et sapientiae.

De cuius fonte luminis
Verbi coruscant faculae,
Scripturae sacrae numinis
Et veritatis regula.

Fulgens doctrinae radiis,
Clarus vitae munditia,
Splendens miris prodigiis
Dat toti mundo gaudia.

Laus patri sit ac genito
Simulque sancto flamini,
Qui sancti Thomae merito
Nos coeli iungant agmini.

In vetustis Brev. Praedicatorum.

CCCXXIV. *De eodem.*

Lauda mater ecclesia
Thomae felicem exitum,

Qui pervenit ad gaudia
Per verbi vitae meritum etc.

In vetustis Brev. Praedicatorum.

CCCXXV *De S. Iosepho.*

Iesu nostra redemptio,
Ioseph stirpis Davidicae,

Adesto nostris precibus
Quas tibi pie fundimus etc.

Fr. 2.

CCCXXVI. *De eodem.*

Plaude coelestis curia,
Sollemnizet ecclesia,

Dum recoluntur merita
Almi Ioseph insignia etc.

Fr. 2.

CCCXXVII. *De eodem.*

Carnis servans munditiam
Fragrasti quasi lilium,
Stolam amplexus regiam
Cursu cepisti bravium etc.

Fr. 2.

CCCXXVIII. *De Annunciatione B. V.*

Egredietur Emanuel
Quem nunciavit Gabriel etc.

Beb.

CCCXXIX. *De S. Nicolao de Rupe.*

Clara die domini
Suo dent laudes nomini
Canoro gentes carmine
A solis ortus cardine.

Hac die Nicolaus
Jungitur coelestibus,
Caterva cum angelica
Exultet aula coelica.

Hic coelebs cum existeret
Et vitam sanctam duceret,
Erat in te sua quies
Christe, qui lux es et dies.

Mandatis tuis paruit,
Quam ob rem signis claruit
Ad salutem fidelium,
Rex Christe factor omnium.

Hinc Trinitati gloriam
Honorem et victoriam
Pangamus hymno pistico
Ex more docti mystico.

Hoc carmen, quod Bollandistae anno 1489 opera Henrici de Gundelfingen compositum esse referunt, (*Mart.* Tom. III, p. 439) primum ex illorum numero nobis occurrit, quibus vetustiorum hymnorum exordia quasi flores atque lumina interserta sunt. Neque infra huius consuetudinis desunt exempla (CCCL. e. a.). Sed quid hoc ad illius aevi petulantiam, qua profanis carminibus iisdemque lascivis hymnorum sacrorum initia satis frivole interposita sunt? cuius habes exemplum in ioculari carmine apud Hoffmannum D. K. p. 168:

Wol uf ir gesellen in die tabern
Aurea (lege Aurora) luce rutilat
Ach lieben gesellen, ich trünck so gern
Sicut cervus desiderat.

CCCXXXV. *De S. Antonio Patavino.*

En gratulemur hodie
Christo regi iucundius,
In cuius aula gloriae
Iam iubilat Antonius.

Francisci patris aemulus
Sic illi se contemperat
Ut fonte manans rivulus
Aquas vitae circumferat etc.

Fr. 2.

CCCXXXVI. *De eodem.*

Laus regi plena gaudio
Qui merces militantium,

Se ipsum dat Antonio
Militiae stipendium etc.

Fr. 2.

CCCXXXVII. *In Festo Decem Millium Martyrum.*

Fidelis universitas
Collaudet Dei filium

Adest sacra festivitas
Sanctorum decem millium etc.

Pt.

CCCXXXVIII. *De iisdem.*

O rex, aeterne conditor,
Fideliumque redemptor,
Fac nos devote colere
Martyrum festa hodie,

Qui propter te, domine,
Sunt crucifixi hodie
In diversis doloribus,
Nos exaudi quaesumus.

Flagellis hi afflicti sunt,
Et felle hi potati sunt
Et spinis coronati sunt
Et clavis perforati sunt.

Ipsorum ergo meritis
Nos coeli iunge gaudiis,
Ubi regnas et imperas,
O lux, beata trinitas.

Msn. Msb.

CCCXXXIX. *De Visitatione B. V.*

O Christi mater coelica,
Fons vivus, fluens gratia,

Lux pellens cuncta schismata,
Maria sacratissima etc.

Ef. Hl. Beb.

CCCXL. *De eadem.*

O Christi mater fulgida,
Scatens fons omni gratia,
Lux pellens quaeque nubila;
Maria venustissima etc.

Mgd. Msb. Hv. Clicht.

CCCXLI. *De eadem.*

Adsunt festa iubilaea,
In Mariae nunc gaudia
Tota psallat ecclesia
Devotae laudis dragmata etc.

Sl. Mgd. Msb. Hl. Hv. Clicht.

CCCXLII. *De eadem.*

En miranda prodigia:
Concepit haec virguncula,
Fit Iesu Christi gerula
Maria venustissima.

Anus aetate marcida
Prolis gestat solatia;
Tument ad partum gelida
Grandaevae matris ubera.

Hic perit omnis regula
Naturaeque molimina,
Hic cessat omnis ratio
Cedens Dei miraculo etc.

Sl. Msb. Hv. Hl. Cass. Clicht.

CCCXLIII. *De eadem.*

De sacro tabernaculo
Virtutum flos egreditur,
In montis diverticulo
Odor Mariae spargitur.

Ex caritatis germine
Elisabeth appropiat
Et pietatis culmine
Ipsam devote visitat.

Salutat servam domina,
Haec matrem Christi nominat:
Confertur ingens gratia,
Matrem et prolem satiat.

En, Christi incarnatio
Per nondum natum panditur:
Adorat hunc cum gaudio
Qui ventre matris clauditur.

Clamat senex in iubilo,
Videns Mariae gloriam:
Beata, credens angelo
Fuisse rem veridicam.

Hic stupet rerum regula
Mutans naturae ordinem,
Ubi fiunt miracula
Per solum coeli principem.

Praesta virgo purissima,
Sufficiens auxilium:
Cum sis mater largissima
Visites nos per saecula.

Sl. Beb.

CCCXLIV. *De S. Bonaventura.*

Sol clare fulget radio
Latebras fugans gentium,
Quas catholicarum gladio
Connexit mitti mentium etc.

Fr. 2.

CCCXLV. *De S. Ansuero et Sociis.*

Rex glorióse martyrum,
Remunerator omnium,
Qui sanctos per martyrium
Perducis in empyreum.

Rubescit in Slavonia
Flos, quem divina gratia
Extraxit ex Holsatia,
Quem trivit gens incredula.

Hic in pueritia
Subiecit cuncta vitia,
Sub Benedicti regula
Vixit in castimonia

Quod experiens aemulus
Castitatis diabolus
Hunc contra sanctum stimulis
Tumultuavit plurimis.

In abbatem eligitur,
Quod vir iustus renititur;
Sed victus prece populi
Suscepit iugum domini.

Trinitati sit gloria,
Per cuius beneficia
Ansuerus his cum sociis
Tantis claret miraculis.

Acta Sanct. Iul. Tom. IV. p. 103 ex Brev. Slesvicensi.

CCCXLVI. *De B. Maria Magdalena.*

Sidus solare revehit
Optata festa diei,
Qua Maria Magdalena
Arcem polorum subiit etc.

Hv. Mgd.

CCCXLVII. *De eadem.*

Vetiva cunctis orbita (Hl. gaudia)
Lucis triumphat gratia,
Qua scandit coelos vernula
Maria Christi fulgida etc.

Sl. Hv. Hl. Gron. Beb. Wimpf. Torr. Cass.

CCCXLVIII. *De eadem.*

Aeterni patris unice
Nos pio vultu respice,
Qui Magdalenam hodie
Vocas ad thronum gloriae.

In thesauro recondita
Regis est drachma perdita,
Gemmaque lucet inclyta
Ex luto luci reddita.

Iesu dulce refugium,
Spes una poenitentium,
Per peccatricis meritum
Peccati solve debitum.

Nos vitiorum stimuli
Iugi vexant instantia,
Et blandimentis saeculi
Corrumpunt lenocinia.

Libet, nec licet libere
Tibi pro voto psallere,
Dum mens aegra sub miserae
Carnis gemiscit onere.

Pia mater et humilis,
Naturae memor fragilis,
Nos rege tuis precibus
In huius vitae fluctibus.

Eb.

CCCXLIX. *In Festo S. Iacobi maioris.*

Huius diei gloria
Det christo mundo gaudia,
Quo iunctus est coelestibus
Frater Ioannis Iacobus.

Qui te vocante littore
Prompto secutus pectore,
In navi patrem liquerat
Et cuncta quae possederat.

Vivens adhuc in corpore
Formam conspexit gloriae,
Qua te post finem saeculi
Lucis videbunt filii.

Fundens pro te sanguinem
Idem bibebat calicem,
Quem tu gustabas hostia
Nostrae salutis gratia.

Hinc indicandis omnibus
Te iudex agnoscentibus
Iuncto sibi Christophoro
Sis pius in iudicio.

Ambobus exorantibus
Absolve nos erroribus;
Stantes ne cadant robora,
Lapsos ut surgant adiuva.

Sanctorum qui pro nomine
Haec festa colunt hodie,
Solennitati caelibum
Intersint in perpetuum.

Ut supplices exaudias,
Pacemque veram conferas,
Omnes fideles protegas,
Te deprecamur, Trinitas.

Deo patri sit gloria etc.

Brev. Msn. Fabr. v. 1—16. — Sane memoratu dignum est, in hoc hymno additum esse S. Christophori Martyris praeconium, de quo in plurimis ecclesiis in ipsa S. Iacobi festivitate fieri solebat commemoratio.

CCCL. *De S. Anna.*

De stella sol oriturus
Stellae matrem praefert purus
Ut radium lucis novae
Summae Deus clementiae.

Annam filiam Abrae
Quae fulsit ex Aaron stirpe,
Quasi stella matutina,
O gloriosa domina.

Ex qua coelorum regina
Mundique clemens domina,
Ut haereses interimat
Aurora lucis rutilat.

In Annae prolis utero
Pro nobis factus est caro
Aeterni patris filius:
Exultet coelum laudibus.

Conemur nos excutere
De tenebrarum pulvere
Deique regnum quaerere
Iam lucis orto sidere.

O mater clementissima,
Cum prole beatissima,
Posce semper prece pia
Beata nobis gaudia.

Praesta laudanda Trinitas,
Da adoranda unitas,
Ut transferamur candidi
Ad coenam agni providi.

Hl. Confer quae adnotavimus ad H. CCCXXIX.

CCCLI. *De eadem.*

Adsunt Annae sollemnia,
Huius nobis dent solatia,
Nam nobis eius filia
Inclyta tulit gaudia.

Alvus Annae concluditur,
Divinitus sed solvitur,
Maria hinc egreditur,
Salus mundo porrigitur.

Annae nata eligitur,
Hanc angelus alloquitur,
Divina vis infunditur,
Iesus Christus hinc nascitur.

Annae laudes persolvere,
Dulce melos depromere
Pro tanto decet pignore,
Quod meruit haec gignere.

Annae omnes applaudite
Et vos fratres concinite,
Voces in altum tollite,
Grates Deo rependite.

Anna sancta, fac filiam
Tuam nobis propitiam,
Ut ipsius per gratiam
Reducamur ad patriam.

Almo patri sit gloria,
Eius nato memoria,
Spiritui sit gratia
Per saeculorum saecula.

Sl.

CCCLII. *De eadem.*

Clara diei gaudia
Modulizat ecclesia,
In Anna Dei famula
Pangens coeli mysteria etc.

H. Hl. [Huius diei gaudia] Hv. Lps.

CCCLIII. *De S. Martha.*

Hymnizet nunc plebs credula
Cum Martha Christi sedula
Receptrix, hinc eripitur.
Et coelitus excipitur.
In ista fluxum sanguinis
Stringens Christus, flos virginis,
Huius castellum introiit
Quem frequens ista colligit etc.

Pt. Sl.

CCCLIV. *In Festo S. Petri ad Vincula.*

Petre, pontifex inclyte,
Christi athleta splendide,
Adesto nostris precibus
Quas pie tibi fundimus etc.

Sl.

CCCLV. *De Inventione S. Stephani.*

Deus deorum domine,
Rex sempiternae gloriae,
Rex invictorum militum,
Carmen exaudi supplicum.

Terra tegens absconditum
Dulcis thesauri pretium,
Invento protomartyre
Mundo reddit spem gratiae.

Omnes devoti martyres
Laudate protomartyrem,
Vestris dignus est laudibus,
Vestri dux belli praevius.

Donatur primus laurea
In acie dominica,
Quem prostratum lapidibus
Dei assumpsit filius.

Iam protomartyr Stephane
Preces devotas accipe,
Quibus per te nos quaesumus
Deo placari coelitus.

Quem pro persecutoribus
Exaudiebat dominus,
Et pro tuis supplicibus
Exaudiet propitius.

Vosque iuncto Nicodemo
Gamaliel et Abibon
Pro populi excessibus
Finem non date precibus.

Summo parenti gloria,
Natoque laus quam maxima
Cum sancto sit spiramine
Nunc et per omne saeculum.

Msn. Beb.

CCCLVI. *De S. Dominico.*

Gaude mater ecclesia,
Laete agens memoriam,
Quae novae prolis gaudia
Mittis ad coeli curiam etc.

Brev. Praedicatorum.

CCCLVII. *De eodem.*

Hymnum novae laetitiae,
Dulci productum cantico,
Noster depromat hodie
Chorus sancto Dominico.
9. Doctrinam evangelicam
Spargens per orbis cardinem,
Pestem fugat haereticam,
Novum producens ordinem etc.

Brev. Praedicatorum.

CCCLVIII. *De Transfiguratione Domini.*

Anni reduxit circulus
Diem festum, qui tristibus
Tollens laboris taedium
Vitae ministrat gaudium etc.

Pt. Msn.

CCCLIX. *De eadem festivitate.*

Novum sidus exoritur
Christi pia clementia,
Quo tenebrosa premitur
Inimici saevitia etc.

Fr. Clicht.

CCCLX. *De eadem festivitate.*

Coelestis formam gloriae,
Quam spes quaerit ecclesiae
In monte Christus indicat
Quo supra solem emicat etc.

Sb.

CCCLXI. *De S. Sixto.*

Virtus perennis omnium
Te Christe confitentium,
Per quem triumphant martyres
Mundique vincunt principes etc.

Hl.

CCCLXII. *De S. Donato.*

Iste martyr egregius
Coelum scandit sublimius,
Christi volat in amplexus
Quos amoris iungit nexus etc.

Msn.

CCCLXIII. *De S. Laurentio.*

Conscendat usque sidera
Coelique pulset intima
Vox atque cantus omnium
Te Deum collaudantium.

Adest namque festivitas
Et dies venerabilis,
In qua coelum pro meritis
Laurentius ingressus est.

Qui superatis ignibus
Et impiis tortoribus,
Saevis devictis hostibus
Nunc gaudet in coelestibus.

Deo patri sit gloria etc.

Sl. Hv. Mgd. Torr. Beb. Clicht. Cass.

CCCLXIV. *De S. Clara.*

Concinat plebs fidelium
Virginale praeconium,
Matris Christi vestigium
Et novitatis gaudium.

17. Sub paupertatis regula,
Patris Francisci ferula,
Clara Christi discipula
Luce respersit saecula etc.

Fr. 2.

CCCLXV. *De eadem.*

O Clara luce clarior,
Lucis aeterna filia:
Dies ista sollemnior
Tua colit sollemnia.

13. Francisco duce militans
Evincis trina proelia,
Carnem namque suppeditans,
Mundum atque daemonia etc.

Fr. 2.

CCCLXVI. *De S. Hippolyto.*

Chorus novae Hirusalem
Promat Christum laudabilem etc.

Pt.

CCCLXVII. *De S. Ludovico Episcopo.*

Vergente mundi vespere
Sol mundo misit hesperum,
Qui micans ut in aethere
Lucem monstravit operum etc.

Fr. 2. Acta Sanct. Aug. Tom. III. p. 804.

CCCLXVIII. *De eodem.*

Dum medium silentium
Noctis nunc tenent omnia
Coetus cantet fidelium
Ludovici praeconia etc.

Fr. 2.

CCCLXIX. *De eodem.*

Ut lux aurora rutilat
Lucisque solis plenius,
Se Ludovicus simulat
Ut verae lucis filius etc.

Fr. 2.

CCCLXX. *De S. Bernardo.*

Bernardus, doctor inclytus,
Coelos conscendit hodie,
Quem attraxit divinitus
Splendor paternae gloriae.

Exultet coelum laudibus
De Bernardi consortio,
Quem coniungis coelestibus
Iesu, nostra redemptio.

Rufum dorso per catulum
Praefigurasti puerum,
Fore doctorem sedulum,
Conditor alme siderum.

Nascentis ei clarnit
Clara Christi nativitas,
Hoc a te donum habuit.
O lux beata Trinitas.

Arcana sacrae paginae
Declarat et mysterium,
Quod effecit in virgine,
Deus creator omnium.

Rore perfusum gratiae
Monstrat dulcor eloquii,
Per te fons sapientiae
Summi largitor praemii.

Detentos a daemonibus
Sanat morbos languentium,
Curam confert dolentibus,
Magnum salutis gaudium.

Vita vivit feliciter
Cum Maria Christifera
Cum qua degustat dulciter
Aeterna Christi munera.

Summae Deus potentiae
Tibi sit laus et gloria,
Da post cursum miseriae
Beata nobis gaudia.

Msb. Cs.

CCCLXXI. *De eodem.*

Iam regina discubuit
Sedens post unigenitum,
Nardus odorem tribuit,
Bernardus, tradens spiritum etc.

Msb. Cs.

CCCLXXII. *De S. Bartholomaeo.*

Apostoli sollemnia
Suscipiat ecclesia,
Concinnat vox angelica,
Plebs laudet cum laetitia etc.

Msn.

CCCLXXIII. *De S. Ludovico Rege.*

Hymnum novae laetitiae
Regi canamus omnium,
Qui sancto regi Franciae
Novi dat regni solium.

Ludovicus ex nomine
Lucis dator exprimitur,
Et custos in certamine
Praesentis vitae ponitur.

Crucis hostes concutiens
Concussus aegritudine
Vitam invenit moriens,
Tali felix certamine.

Nam sic in vita viguit,
Ut patiendo vinceret;
Et hoc in morte meruit,
Ut moriendo viveret.

Vivit ergo feliciter,
Rex Francorum in gloria,
Quem Christus singulariter
Sua replevit gratia.

Acta Sanct. Aug. Tom. V. p. 533 hunc hymnum cum duobus aliis de beatissimo rege compositis, continent.

CCCLXXIV. *De S. Augustino.*

Coeli cives applaudite
Et vos fratres concinite,
Patris nostri sollemnia
Solis reduxit orbita etc.

Sl. Aug. 2. Pd.

CCCLXXV. *De eodem.*

Alma parente genitus,
Doctorum doctor maximus,
Est deditus puer primis
Augustinus in studiis etc.

Aug. 2.

CCCLXXVI. *De S. Pelagio M.*

Felix mater Constantia etc.

Beb.

CCCLXXVII. *De Nativitate Mariae.*

Maria mater domini,
Aeterni patris filii,
Fer opem nobis omnibus
Ad te confugientibus etc.

Torr. Gron. Wimpf.

CCCLXXVIII. *De eadem festivitate.*

Nunc tibi virgo virginum
Laudes ferimus carminum etc.

Beb.

CCCLXXIX. *De S. Nicolao de Tolentino.*

Mundi creator maxime,
Miro gubernans ordine,
Qui condidisti saecula,
Tuos precantes suscipe etc.

Aug. 2.

CCCLXXX. *De S. Lamberto.*

Hymnum canamus gratiae
Christo, qui est rex gloriae
Et martyris victoriam
Ducamus ad memoriam etc.

Torr. Gron.

CCCLXXXI. *De S. Eustachio.*

O mira dispensatio,
Dei praedestinatio,
Quem vis trahis subtiliter
Et salvas mirabiliter etc.

Pt.

CCCLXXXII. *De S. Wenceslao.*

Dies venit victoriae,
Quo exemplar militiae.
Wenceslaus occiditur,
Occisus coelo redditur etc.

Msn.

CCCLXXXIII. *De B. Hieronymo.*

Coelesti doctus lumine
Hieronymus eximius
Divini verbi semine
Mundum replet uberius etc.

Msb.

CCCLXXXIV. *De S. Francisco.*

Proles de coelo prodiit,
Novis utens prodigiis,
Coelum caecis aperuit
Siccis mare vestigiis etc.

Fr. 2. Msb. Msn.

CCCLXXXV. *De eodem.*

In coelesti collegio
Novus collega colitur,
In sanctorum rosario
Novellus flos producitur etc.
21. In paupertatis praedio
Minorum plantans vineam,
Ostendit magisteria,
Vitae vivendi lineam etc.

Fr. 2.

CCCLXXXVI. *De eodem.*

Plaude turba paupercula
Patre ditata paupere,
Laudis propina pocula
Sacro depressa ubere etc.

Fr. 2.

CCCLXXXVII. *In Festo Stigmatum S. Francisci.*

Crucis arma fulgentia
Vidit Franciscus dormiens,
Christum dicentem audiens
Tua erunt haec omnia etc.

Fr. 2.

CCCLXXXVIII. *De B. Hedwige.*

Gemma fulget ecclesiae,
Hedwigis ductrix Slesiae,
In lucem data gratiae
Gaudiumque Poloniae.

Fulget vita miraculis
Plena, bonis operibus,
Multiformis in populis
Meritorum virtutibus.

Sub annis pueritiae
Dei timori subdita,
Cor gerit innocentiae
Devotioni dedita.

Sacris imbuta litteris,
Aetate licet tenera,
Thesauro sui pectoris
Nova condit et vetera.

Instat orationibus,
Psalmos non cessat promere,
Pro malis imminentibus
Die noctuque gemere.

Huius praeclara merita
Nobis implorent veniam,
Ut dimittantur debita
Per Iesu Christi gratiam.

Deo patri sit gloria etc.

Man.

CCCLXXXIX. *De S. Florentio M.*

Christe, Dei victoria etc.

5. Praesul sacer Florentius,
Vita fuisti floridus,
Vivam revicturis fidem
Et spem preceris post necem etc.

Mgd.

CCCXC. *De S. Feliciano.*

Hymnizemus canoribus
Ad patris dulcioribus
Feliciani gloriam
Promentes et victoriam etc.

Md.

CCCXCI. *De S. Ursula et Sociabus.*

Illustret clare saeculum etc.

Pt.

CCCXCII. *De iisdem.*

Coelum digne tripudiat etc.

Cod. D. 2.

CCCXCIII. *De iisdem.*

Fit porta Christi pervia,
Referta plena gratia,
Qua haec undena millia
Introducit ad gaudia etc.

Hl.

CCCXCIV. *De iisdem.*

Gaude coelestis curia
Quae virginum tot millia etc.

Gron.

CCCXCV. *De S. Theodorico* *).

Beatus auctor saeculi
Hunc rubra veste induit
Et claritatem saeculi
Coelestis ei tribuit etc.

Ef. Mgn.

CCCXCVI. *De Omnibus Sanctis.*

Libr. vet.		Brev. Rom.
Iesu, salvator saeculi,		Salutis aeternae dator
Redemptis ope subveni,		Iesu, redemptis subveni,
Et pia Dei genitrix		Virgo parens clementiae
Salutem posce miseris.		Dona salutem servulis.
Coetus omnes angelici,	5	Vos angelorum millia
Patriarcharum cunei		Patrumque coetus, agmina
Et prophetarum merita		Canora vatum, vos reis
Nobis precentur veniam.		Precamini indulgentiam.
Baptista Christi praevius		Baptista Christi praevius
Et claviger aethereus	10	Summique coeli claviger
Cum ceteris apostolis		Cum ceteris apostolis
Nos solvant nexu criminis.		Nexus resolvant criminum.
Chorus sacratus martyrum,		Cohors triumphans martyrum,
Confessio sacerdotum		Almus sacerdotum chorus,
Et virginalis castitas	15	Et virginalis castitas
Nos a peccatis abluant.		Nos a peccatis abluant.

*) Kleinius (Handbuch der historischen Wissenschaften u. s. w. I. p. 219) hunc martyrem, qui sub Iuliano apostata passus est, minus recte „Theodoretum" appellat.

Monachorum suffragia,
Omnesque cives coelici,
Annuant votis supplicum
Et vitae poscant praemium.

Quicunque in alta siderum
Regnatis aula principes,
Favete votis supplicum
Qui dona coeli flagitant.

Laus, honor, virtus, gloria etc.

Virtus, honor, laus, gloria etc.

Omnes hymni, quos in Omnium Sanctorum laudem conditos novi, inter se sunt admodum similes. Quid enim? incipientes a Christo redemptore (nam ipse est corona sanctorum omnium) transeunt ad Mariam, sese convertunt ad angelos, per omnes omnium sanctorum ordines supplicantes descendunt. Conferas igitur cum carmine nostro H. 243. — 6. Sb. et patr. 14. Lps. confessorum. Hil. Wimpf. Torr. confessio sacerdotum. 16. Hv. Gron. Lps. abluat. 17. Hil. Wimpf. electorum cf. H. 243, 18. Sb. clericorum.

CCCXCVII. *De Omnibus Sanctis.*

Omnes superni ordines
Quibus dicatur hic dies,

Mille milleni millies
Vestros audite supplices etc.

Msn. Sl. Pt. Beb. Wimpf.

CCCXCVIII. *De S. Leopoldo.*

Lux visa per caliginem
In terram mittit radium,

Quando sanctorum aliquem
Nobis donat egregium etc.

Pt.

CCCXCIX. *De S. Elisabeth.*

Gaude felix Hungaria,
Gaude de Christi munere etc.

Clicht.

CCCC. *De eadem.*

Novum sidus emicuit,
Error vetus conticuit,

Novo splendore rutilans
Plebs novas laudes iubilat etc.

Cod. E. Sl. Ef. Hl. Pt. Lps. Beb. Clicht.

CCCCI. *De eadem.*

Insigne sidus claruit — Mundi pompas pro domino,
Elisabeth, quae respuit — Sacro fulta evangelio etc.

Hv.

CCCCII. *De Praesentatione *) Mariae.*

Iam dies redit annua, — Virgunculam praenobilem
In qua beata femina — Praesentat in Hirusalem etc.

Hv.

CCCCIII. *De eadem festivitate.*

Aeterni patris ordine — Ubi mira dulcedine
In templo virgo conditur — Contemplanda perfruitur etc.

Ef.

CCCCIV. *De eadem festivitate.*

O Dei sapientia — Humani lapsus vitia
Attingens cuncta fortiter, — Sublevasti feliciter etc.

Ef. Hl. Pt. Lps. Beb.

CCCCV. *De eadem festivitate.*

Sacrae parentes virginis, — Hanc dono summi numinis
Steriles naturaliter, — Susceperunt feliciter etc.

Beb. Msn.

*) Ven. Augusti, (Denkwürdigkeiten Th. 3. p. 108) cum festum Praesentationis B. V. in ecclesia minori cum sollemnitate pangi narret, quasi causam affert hanc „Es stand mit dem Festum Desponsationis in einem Widerspruch, der nur auf künstliche Weise zu heben war.“ Sed primum sciendum est, festum Desponsationis demum saeculo decimo octavo in ecclesia celebrari de praecepto; porro non intelligo quod de festivitatum illarum prolatum est dissidio. Nam refert eadem legenda, quae Mariam parvulam in templo praesentatam adultamque sempiternam castitatem vovisse refert, eam, iubente pontifice, Iosepho esse desponsatam. Hoc factum est, teste Hieronymo, ut per generationem Ioseph origo Mariae monstraretur, secundo ne lapidaretur ut adultera, tertio ut in Aegyptum fugiens, haberet solatium. Ceterum Festum Praesentationis in quibusdam provinciis celebratur cum Octava, ut nunc fit in dominio Veneto.

CCCCVI. *De B. Catharina.*

Christe, salvator omnium,
Victorum spes et praemium,
Exaudi preces supplicum
Hoc festo te colentium etc.

Hv. Mgd.

CCCCVII. *De Inventione pueri.*

Festiva nobis gaudia
Iesu inventi pueri
Devota dat materia
Fructus ventris virginei.

Mater virgo moestissima
Iesum quaerit per triduum,
Amissum sed laetissima
In templo cernit filium.

Quando matris laetitia
Dum cernit replet intima,
Natum suum dulcissimum
Inter doctos doctissimum.

Felix nobis Christifera
Confer ut culpis perditum
Quaeramus cum frequentia
Et non perdamus habitum.

Virgo vera puerpera
Colentibus da gaudia,
Haec tua festa petimus
Aufer poenas quas traximus.

Laus patri sit et genito
Simulque sancto flamini
Qui genitricis merito
Nos coeli inngat agmini.

In quibusdam Germaniae septentrionalis dioeceesibus (e. g. in Misnensi et Brandenburgensi) feria quinta post Dominicam Sexagesimae peragebatur Festum Inventionis Pueri. Est haec sollemnitas ex illarum numero, quae adhuc latent in vetustis breviariis et calendariis et quasi iacent sepultae: quis enim novit ut exemplo utar festa Inductionis Domini in Aegyptum (XI. Febr.) et Eductionis Domini ex Aegypto (XIX. Febr.) in calendario Brandenburgensi adnotata: quamquam Abessynios similia celebrare accepimus. Illa quae nominavimus sollemnia, utrum magis ad Mariam spectent, an Iesum puerum celebrent, si officia et missas inspicias, difficillimum est ad diiudicandum. Denique a re non alienum est adiicere, Festum Gaudiorum Mariae in Brev. Misnensi die XXIV. Septembris proponi: errant igitur, qui hanc festivitatem saeculo decimo octavo a Benedicto XIV. primum institutam esse autumant.

CCCCVIII. *In Festo Faciei Salvatoris* (*cf.* p. 161.)

Magnum gaudium gignitur,
Moeror ingens propellitur,
Quando coluntur inclyta
Vultus Christi sollemnia etc.

Msn.

CCCCIX. *De eadem festivitate.*

Omnis fidelis gaudeat
Et grates deo referat,
Quantum quit tantum audeat
Laudesque dignas offerat.

Iesus in mundum veniens
Se manifestum praebuit,
Fines orbis pertransiens
Consolari nos voluit.

Vultum suum praelucidum
Universis exhibuit,
Bonis ac malis placidum
Nulli unquam prohibuit.

O mira Christi bonitas
Et stupenda clementia
Nec aestimanda caritas
Ob multa beneficia.

O beata effigies,
Te veneramur in vit
Ut hinc recedentes satis
Cum gaudio in patria.

Summo parenti gloria
Honor quam ingens filio
Laus paraclito varia
Dicatur sine termino.

Msn.

CCCCX. *De Spinea Corona* (*cf. p.* 161.)

Hymnum dicamus hodie etc.

5. Coronat regem omnium
Corona contumeliae,

Cuius nobis opprobrium
Coronam confert gloriae etc.

Msn. — In Brev. Hl. et Pd. atque Bebelii libro idem exhibetur hymnus, sed discrepat stropha prima: Aeterno regi gloriae Devota laudum cantica Fideles solvant hodie Pro Corona dominica.

CCCCXI. *De eadem.*

Sacrae Christi celebremus
Coronae sollemnia etc.

Beb.

CCCCXII. *De eadem.*

In passione domini
Qua salus datur homini etc.

Beb.

CCCCXIII. *De eadem.*

Lauda fidelis concio
Spinae tropaeum inclytum etc.

Beb.

CCCCXIV. *In Festo Lanceae et Clavorum.*

Aeterna Christi munera
Nos satient perenniter,
Eius clavorum vulnera
Inebrient nos iugiter.

Iesu nostra redemptio
Pro tuis armis bellicis
Te nostra laudat concio
Psalmis, hymnis et canticis.

Tu Christe nostrum gaudium
De lanceato latere
Da roris mellicidium
Ardenti corde sugere.

Sit Christo iubilatio
Laus, gratiarum actio
Armorum veneratio.
Sit nostra defensio.

Msn.

CCCCXV. *De Compassione Mariae* *).

O gloriosa domina,
Quae tua cruciamina,
Cum Barrabas dimittitur
Et Christus poenas patitur.

Tuus tractatur filius
Longe quam latro vilius,
Irrisus fert ludibria,
Gente vallatur impia.

Pastorem, heu, percutiunt,
Oves dispersae fugiunt,
Te sola cum discipulo
Manente sub patibulo.

Beata matris viscera,
Transfixa crucis gladio,
Procurent nobis gaudia
Post haec in coeli solio.

*) Festum Compassionis Mariae (nunc Septem Dolorum B. V.) apud veteres diversis diebus agebatur. In episcopatu Lubecensi fer. VI. ante Pentecosten, aliis locis Sabbato secundo post Pascha, fer. VI. post Iubilate, in arch. Magdeb. Dominica Exaudi, apud Halberstadenses, Misnenses, Merseburgenses, Numburgenses aliosque die XIX. m. Iulii. In quibusdam ecclesiis (veluti in Hamburgensi) fer. VI. post Iudica. In Brev. S. Severi Erfordiensi fer. VI. post Quasimodogeniti praescribitur Festum Commendationis gloriosae virginis, idem atque F. Compassionis; verum ita appellatum est, quia Maria implorabatur ut animas morientium Deo commendare vellet. Coll.: „Beatae et gloriosae semper virginis Mariae nos tibi domine commendet oratio: quam in cruce moriens matrem virginem virgini commendasti.“

Nec mirum si sis anxia
Visa crudeli furia,
Te sciens puram virginem,
Christum Deum et hominem.
Iesu nate de virgine,
De mystico spiramine,
Qui mortem crucis pateris
Confessus plagis asperis.
Amore matris anxiae
Nostrae parcas miseriae,
Suique fletus copia
Nos ducat ad coelestia.
Imperatrix clementiae,
Rorem infunde gratiae,
In corda nostra arida
Ut tibi fiant placita.

Brev. Msb. — Hl. habet v. 1—4. 9—12. 17—20. Ef.: 29—32. 1—8. 17—20. Addit versiculum hunc: Te stantem sub patibulo Commendavit discipulo: Commenda nos altissimo O pia mater et virgo. — 17. Hl. si sit. Ef. fuisti nimis anxia. 29. In hymnis sacris, qui in Germania compositi sunt, saepius Maria „imperatrix" nuncupatur. Namque cum summos apud Germanos teneret honores imperator, non sufficiebat nostris hominibus Mariam reginam appellare eamque ad summum coelestium honorum evexerant fastigium, imperatoris dignitate quasi praefiguratum. In teutonicis carminibus exempla sunt frequentissima, cf. Wack. p. 102. 103. 104. 122. 123. 126. 632 et s. Simili ratione Christus imperator dicitur ib. p. 67: *alsus lob ich dich, minneclich keiser* — vel omnium imperatorum rex, ib. p. 58: *künic aller keiser, vater aller weisen.* 31. 32. Ef. in cor nostrum peraridum ut fiat tibi placidum.

CCCCXVI. *De B. Virgine.*

Lux lucis beatissima,
Maria splendidissima etc.

Clicht.

CCCCXVII. *De uno Confessore.*

Hic est verus christicola
Apostolorum assecla,
Cuius mater ecclesia
Sacra promit sollemnia etc.

Sl. Hv. (de S. Augustino) Beb.

CCCCXVIII. *De pluribus confessoribus.*

Deus plasmator cunctorum,
Thronos gubernans polorum etc.

Clicht.

CCCCXIX. *De Virginibus.*

O rex aeterne domine,
Virginum palma fulgida etc.

Beb.

CCCCXX. *De Viduis.*

Gratuletur ecclesia,
Nam summi regis famula,
Post huius vitae tristia
Scandit ad coeli gaudia etc.

Clicht.

CCCCXXI. *De B. Catharina.*

Ave Catharina,
Martyr et regina,
Virgo Deo digna,
Mitis et benigna.

Costi regis nata,
Christo regi grata,
Vera sponsa Christi
Christum induisti.

Quae te spopondisti
Sponsam fore Christi,
Sponso sponsa gratos
Fac nos et acceptos.

Victrix sapientum,
Dum tu subis tormentum,
Caesa lacte fluis
Sina sepeiris.

Monstra vitae viam,
Ut philosophiam
Mundi transeamus,
Veram inquiramus.

Ora et inclina
Verum nobis Sina,
Ut intremus chorum
Tecum angelorum.

Cod. W. 2. Sl. Wimpf. Lps. Clicht. — 6. W. 2. virgo Deo data. 14. W. 2. tu solvis. 17. Wimpf. monstra te. 22. Gal. IV., 26.

CCCCXXII. *De S. Anna.*

Ave vitae vitis,
Ava Christi mitis
Anna, tu dignare
Nos te collaudare etc.

Sl.

CCCCXXIII.

CCCCXXIII. *De S. Anna.*

Lucis huius festa
Colat plebs honesta,
Deum coeli dignis
Confrequentans hymnis etc.

Fr, 2. Ef. Hv. Beb., Clicht.

CCCCXXIV. *De Compassione Mariae.*

Ave stans sub cruce,
Privata mundi luce,
Fide semper clara,
Iesu mater cara etc.

Msb. Hl.

CCCCXXV. *De S. Carolo Magno.*

O rex orbis triumphator,
Terrae regum imperator,
Tui gregis nostri coetus
Pios audi pie fletus.

Cuius prece mors fugatur,
Languor cedit, vita datur,
Qui de petra ducis undas
Et baptismo gentes mundas.

Arte duros et natura
Frangis muros prece dura,
Devotosque Christo dicas.
Et rebelles ense necas.

O quam dignus verna coelis,
Servus prudens et fidelis,
Urbe turri se munivit
Et ad pacis locum ivit.

Ergo rupem ferro fode,
Fontem vivum nobis prode,
Ora prece pia Deum
Et fac piam nobis eam.

De Carolo Magno inter Sanctos relato adeas Baronium ad an. 814: *Egregiarum ipsius virtutum merito ecclesia Gallicana eiusdem natalem celebrat, habentque inter Sanctos recensitum Aquisgranensis ecclesiae tabulae. Sub Friderico imp. post annum centum sexaginta sex, Paschalis, papa dictus, in numerum Sanctorum adscripsit. Cuius regestae asservari diploma in Aquisgranensi ecclesia tradunt. Verum quod ille P. haud legitimus pontifex fuit sed schismaticus, eiusmodi canonizatio haud recepta est ab ecclesia Romana, ob quam causam nec nomen eius illatum est in ecclesiae Romanae martyrologium. Verum quod non reperiantur legitimi pontifices illud diploma abolevisse aut impugnasse aut prohibuisse, res sic tacita permissione sive tolerantia perseverat: ut scilicet in propria ecclesia, ubi sepultus fuit, in Galliis (!) coleretur. Ita quidem canonum praecipui interpretes declararunt. Ceterum propagatus postea noscitur eius cultus in alias ecclesias Belgii atque Germaniae, in quibus idem Carolus sanctitatis titulo celebratur: quibus fuvent scripta plurima Francorum historicorum.* Sane S. Caroli nomen in permultis Galliae

ac Germaniae calendariis, imprimis earum ecclesiarum quas ille vel fundavit vel muneribus honoribusque auxit et ornavit. Aquisgrani, Hildesiae, Osnabrugae, Mindae, Halberstadii, Thuregi (Canis. Lect. Antiq. Tom. VI. p. 437 sqq.) e. a. festum eius (XXVIII. Ian. cf. Act. Sanct. ad. h. d.) in festis maioribus habebatur, nec defuit Festum Translationis S. Caroli (XXVII. Iulii) I. B. Rousseau in libro qui inscriptus est: „Purpurviolen der Heiligen“ Th. 5. p. 239 narrat, academiam Lutetiensem anno 1661 S. Carolum creasse patronum ut quem Germanos iam ab anno 1480 eum coluisse affirmat. A qua sententia fortasse non abhorret Aeneas Sylvius Germ. c. 10, cum caput Caroli M. inter reliquias Aquisgrani asservari refert. Hymnus supra scriptus desumptus est ex Brev. Halberstadensi: in quo significari plurima miracula ab sancto imperatore patrata, mirum non est; nam his ecclesiae libris Carolus Magnus prorsus in fabularum regionem abiisse videtur. Neque alienum est addere quod Breviarium supra laudatum narrat de vita S. Caroli (de singulis cf. Pertz Monum. Germ. Tom. V. p. 708): Lect. I. *B. Carolus rex a proavis regibus oriundus, erat capillis prunis, facie rubens, corpore decens, sed visu efferus. Statura eius octo pedibus, humeris amplissimus, renibus aptus, ventre congruus, brachiis et cruribus grossus: omnibus artubus fortissimus. Certamine velox, miles acerrimus, oculis scintillantibus ut carbunculus. Omnis homo statim perterritus erat, quem b. Carolus, ira commotus, apertis oculis respiciebat. Donis largissimus, iudiciis rectus, locutionibus luculentus, multas terras ac diversas acquisivit et Christi nomine subiugavit. Quam plurimas ecclesias cathedrales et abbatias per mundum instituit et sollemniter ditavit.* Lect. II.: *Beato etiam Carolo una noctium in extasi posito apparuit S. Iacobus apostolus Christi, frater Ioannis evangelistae, dicens: Ultra modum miror, cur terram meam a Sarracenis minime liberasti, qui tot terras tantasque urbes acquisivisti. Unde tibi notifico: sicut dominus potentiorem omnium regum terrenorum te fecit, sic ad praeparandum iter meum et liberandam tellurem meam a manibus Moabitarum inter omnes te elegit.* Lect. III.: *Sic b. Carolus, apostolica promissione fretus, coadunatis sibi exercitibus multis, ad expugnandas gentes perfidas Hispaniam ingressus est et obsedit Pamphiloniam. Quam capere non poterat, quia muris inexpugnabilibus munita erat. Tunc b. Carolus votum vovit domino, dicens: Domine Iesu Christe, pro cuius fide in his horis (oris?) ad expugnandam gentem perfidam veni. Da mihi hanc urbem capere ad decus nominis tui. O Iacobe, si verum est, quod mihi apparuisti, da mihi capere urbem.* Lect. IV. *Tunc Deo dante et b. Corolo orante muri confracti funditus ceciderunt. Urbes per eum acquisitae, quibus maledixit, absque habitatore permanent usque in hodiernum diem. Sarracenos vero in urbe existentes, qui baptizari noluerant, gladio trucidavit, ceteros ad vitam reservavit. His auditis mirabilibus Sarraceni omnes b. Carolo ubique pergenti inclinabant, et mittebant obviam ei tributum et reddebant ei se et urbes suas. Et facta est ei tota terra illa sub tributo.* Lect. V. *Tunc etiam cum b. Carolus bellum contra Aygolandum, regem Africanum,*

pro fide Christi acceptasset, ibi quidam ex Christianis ante diem belli arma sua bellica studiose praeparantes, hastas suas erectas infixerunt in terram: quas summo mane corticibus et frondibus decoratas invenerunt, hastasque abciderunt, miraculum divinae gratiae adscribentes. Et radices quae remanserant in tellure, magnum ex se postea germinaverunt nemus quod adhuc in illo loco apparet. Eadem vero die pugna agebatur, in qua palmam martyrii acceperunt quadraginta Christianorum millia. **Lect. VI.** *Deinde b. Carolus cum fere centum triginta quatuor millibus virorum bellatorum contra Aygolandum regem tali pacto assumpsit, ut eius lex Deo esset magis placida, qui victoriam obtineret, et sic esset victis opprobrium, invictis autem lex et exultatio usque in sempiternum. Victo igitur Aygolando et treugis acceptis cum b. Carolo, legem Christianorum affirmavit meliorem esse quam Sarracenorum. Et pollicitus est b. Carolo, quod die crastina ipse et gens sua baptismum acciperet, quod tamen occasione frivola minime adimplevit. Unde b. Carolus cum exercitu triginta quatuor millium certamen cum Aygolando ivit pro fide Christi et tot Sarracenos cum Aygolando interfecit, quod victores usque ad hases in sanguine natabant.* **Haec hactenus Brev. Halberstadense.**

CCCCXXVI. *De S. Iutta.*

Salve Iutta Deo grata
Ex ducali stirpe nata,
Quae amore sponsi Christi
Bona tua dispersisti etc.

Act. Sanct. Mai. Tom. II. p. 864.

CCCCXXVII. *De S. Afra.*

Gaude civitas Augusta,
Redde Deo vota iusta
A quo vivus ad te missus
Est apostolus Narcissus.
Narcissus primo plantavit,
Dionysius rigavit,
Deus dedit incrementum
Christus manet fundamentum etc.

Ef. Lps. Bel. Wimpf.

CCCCXXVIII. *De B. Adalberone.*

O felix confessor Christi,
Adalbero, qui fuisti
Hic in terris Deo gratus,
Nunc in coelum sublimatus etc.

Act. Sanct. Oct. Tom. III. p. 451. ex antiquo codice Ms. Bibl. Lambacensis.

CCCCXXIX. *De S. Colomanno.*

Salve felix miles Christi,
Colomanne, qui vicisti etc.

Pt.

CCCCXXX. *De S. Trinitate.*

Festi laudes hodierni, ritu ductas annuo
Cives gaudio superni celebrant perpetuo
Regem trinum dum ter trini chori laudent mutuo etc.

Fr.

CCCCXXXI. *De S. Nicolao.*

Pange lingua gloriosi praesulis praeconium,
Ut nos summus Adonai, rex et pater omnium,
Ad salutis portum trahi faciat per filium.

Dum penderet ad mamillam matris ab infantia,
Quarta semel bibit illam atque sexta feria,
Ne per lactis puer stillam solveret ieiunia.

Sublimatus ad honorem Nicolaus praesulis
Pietatis tantae rorem cunctis pluit populis
Ut vix parem aut maiorem haberes in saeculis.

Auro dato violari virgines prohibuit
Fur in fame, vas in mari servat et distribuit,
Timentibus naufragari nantis opem tribuit.

A defunctis suscitatur qui furtum commiserat,
Et Iudaeus baptizatur aurumque recuperat,
Illi vita restauratur, hic ad fidem properat.

Nicolae sacerdotum honor, virtus, gloria,
Plebem omnem, clerum totum, mentes, manus, labia
Ad reddendum Deo votum tua iuvet gratia.

Sit laus summae Trinitati, decus ac victoria
Quae det nobis ut beati Nicolai gaudia
Assequamur laureati post vitam in patria.

Lg.

CCCCXXXII. *De Conceptione B. V.*

Gaude Sion, quod cypressus super te extollitur etc.

16. Ave tu Iericho rosa, lilium convallium,
Tu oliva speciosa, cedrus alta omnium
Fructum perfers generosa mundo Dei filium etc.

Hv.

CCCCXXXIII. *De S. Antonio.*

Urbs beata Viennensis et beatus populus etc.

10. O quot ad eius infirmi confluunt ecclesiam,
Implorantes per eundem divinam clementiam
Et recipiunt ibidem sanitatis gratiam etc.

Mau.

CCCCXXXIV. *De S. Agnete.*

Pange lingua gloriosae virginis martyrium:
Agnes virgo martyr rosae maritavit lilium,
Dum decertans animose non expavit gladium.

Vidit scholis revertentem hanc praefecti filius,
Vulneravit amor mentem, dono fuit largius,
Dum contemnit largientem ille furit acrius.

Puer languet: de languore consuluntur medici,
Pulsum tangunt et amore ipsum dicunt affici;
Haec tentatur a praetore sed non potest allici.

Mandat eam denudari, trahunt ad prostibulum,
Lux divina lupanari influit carbunculum,
Locum vetat subintrari lux praestringens oculum.

Crines eius ampliati fiunt eius tunica,
Subvenitur nuditati missa veste coelica,
Novi cultus praesentati de manu angelica.

Puer intrans suffocatur prae fulgore luminis,
Turba fremit, accusatur tanquam rea criminis,
Plangit pater, suscitatur puer prece virginis.

Pater nato suscitato reliquit Aspasium:
Alimento ministrato paratur incendium
Quod de coelo rore dato fit poena nocentium.

O res mira: de tam mira non credit Aspasius,
Temperatur ignis pyra nec sedatur impius,
Quod concepit mens delira hoc consummat gladius.

Gloria et honor Deo, agno sine macula:
Hic Agnetis in tropaeo culpae solvat vincula,
Triumphemus ut cum ea per aeterna saecula.

Gron.

CCCCXXXV. *De S. Iosepho.*

Collaudemus toto corde Dei sapientiam,
Virgini qui iunxit sorte Ioseph diligentiam
Qui nascentis sine sorde aleret infantiam.

Quem inviolatae matris peperit integritas,
Ipsum putativi patris aluit virginitas:
Hostibus celatur atris hac arte divinitas.

Ioseph portat, Ioseph tractat, Ioseph mulcet osculis:
Dum Herodes parvos mactat artubus minusculis,
Ioseph hunc, qum virgo lactat, subtrahit periculis.

Puer in Aegyptum ductus Ioseph ministerio,
Ab eodem post reductus patris est imperio:
Maturescit: coeli fructus fit crucis mysterio.

Gloria summo parenti, laus aequalis genito.
Ab utroque procedenti par decus paraclito
Qui nos salvet praepotenti sancti Ioseph merito.

Acta Sanct. Mart. Tom. III. p. 6.

CCCCXXXVI. *De Visitatione Mariae.*

Festum matris gloriosae plebs sancta concelebret,
Pietatis viscerosae gratiam expostulet,
Qua cognata copiose sensit hic Elisabeth.

Foecundata senectutis sterilem aggreditur
Quae divinae iam virtutis mater clam efficitur,
Gratulatur cum salutis consortem alloquitur.

Mox non loquens exultavit ad verbi praesentiam,
Sed Elisabeth expavit matris excellentiam
Benedictaque clamavit fructus affluentiam.

Unde mihi quisquam putet hoc, ait, praesagium,
Ut devote me salutet mater regis omnium:
Ventris mei fructum mutet in novum tripudium:

Virgo dum sic commendatur, canticum laetitiae
Psallens pure gloriatur in amore gratiae,
Quo beata praedicatur in omni progenie.

Trine Deus, summe, pie regnans aeternaliter,
Prece virginis Mariae nos conserva iugiter
Ut post finem huius vitae vivamus perenniter.

Sb.

CCCCXXXVII. *De eadem festivitate.*

Mundi salus affutura virgo mater inclyta ete.

Sb.

CCCCXXXVIII. *De S. Udalrico.*

Ave pater Udalrice, nostri status gloria,
Nos de massa peccatrice tua patrocinia
Suspirantes imploramus, duc nos ab angustia.

Et quacumque laboramus temporis molestia,
Prece reddas consolatos, iugique clementia,
Per te pie relevatos Christi salvet gratia.

Pastor bone nos intende de coelorum culmine,
Gregi tuo condescende cum Maria virgine,
Et auctori nos ostende, iam exutos crimine.

Trinae sit laus unitati virtus ac victoria
Sit et simplex Trinitati regnum, compar gloria,
Sempiternae maiestati stabilis concordia.

Act. Sanct. Iul. Tom. II. p. 94 ex Ms. Augustano.

CCCCXXXIX. *De B. Maria Magdalena.*

Collaudemus Magdalenae lacrimas et gaudium,
Sonent voces laude plenae de concentu cordium
Ut concordet philomenae turturis suspirium.

Iesum quaerens convivarum turbas non erubuit,

Pedes unxit, lacrimarum fluvio quos abluit,
Crine tersit et culparum veniam promeruit.

Suum lavit mundatorem, rivo fons immaduit,
Pium fudit flos liquorem, in ipsum refloruit;
Coelum terrae dedit rorem, terra coelum compluit.

In praedulci mixtione nardum ferens pistioum,
In unguenti fusione typum gessit mysticum
Ut sanetur unctione unxit aegra medicum.

Pie Christus hanc respexit speciali gratia,
Quia multum hunc dilexit dimittuntur vitia,
Christi quando resurrexit facta est praenuntia.

Aestimavit hortulanum et hoc sane credidit,
Seminavit enim granum quod in mentem decidit,
Linguam novit et non manum, linguam Christus indidit.

Non agnovit figurali latentem imagine,
Mentis agrum spiritali excolentem semine,
Sed cum eam speciali designavit nomine.

Haec a Iesu Iesum quaerit, sublatum conqueritur,
Iesus intus mentem gerit, Iesus praesens quaeritur,
Mentem colit, mentem serit Iesus, nec percipitur.

Iesu bone, Iesu pie, quid te monstrans latitas;
Quid occultas te Mariae, mentem cuius habitas;
Intus plena vero die nescit nisi veritas.

O quam mire Iesu ludis his quibus diligeris,
Sed cum ludis non illudis, nec fallis nec falleris,
Sed excludis quos includis, notus non agnosceris.

O Maria, noli flere, iam non quaeras alium;
Hortulanus hic est vere et colonus mentium,
Intra mentis ortum quaere mentis operarium.

Unde planctus et lamentum, quid mentem non erigis;
Quid revolvis monumentum, tecum est quem diligis,
Iesum quaeris, et inventum habes nec intelligis.

Unde gemis, unde ploras, verum habes gaudium;
In te latet quod ignoras doloris solatium,
Intus habes, quaeris foras languoris remedium.

Iam non miror si nesciti magistrum dum seminat,
Semen quod est verbum Christi te magis illuminat,
Et Rabboni respondisti cum Mariam nominat.

Pedes Christi quos lavisti fonte lota gratiae,
Quem ab ipso recepisti funde rorem veniae,
Resurgentis quem vidisti fac consortes gloriae.

Gloria et honor Deo cuius profert gratia
Invitanti Pharisaeo Mariae suspiria,
Coenam vitae qui dat reo gratiae post prandia.

Exstat suavissimus hymnus in Brev. Sarisburiensi, in tres partes dispertitus, quae Vesperis, Matutinis ac Laudibus inserviunt. Pars prima v. 1—15 legitur apud Bebelium, sed incipit Pange lingua Magdalenae.

CCCCXL. *De Transfiguratione Domini.*

Gaude mater pietatis in valle gementium,
Pro ducatu dignitatis Christi regis omnium
Quo dilecta praedotaris in culmine montium etc.

Fr. Cass.

CCCCXLI. *De S. Afra.*

Iesu Christe, auctor vitae, qui in tuo sanguine
Peccatum lavisti Adae, Afrae martyri tuae
Tribuisti salutarem fructum poenitentiae etc.

Sl.

CCCCXLII. *De S. Augustino.*

Magne pater Augustine, preces nostras suscipe
Et per eas conditorem nobis fac placabilem,
Atque rege tuum gregem, summum decus praesulum.

Amatorem paupertatis, te collaudant pauperes:
Assertorem veritatis amant veri iudices,
Frangis nobis favum mellis de scripturis disserens.

Quae obscura prius erant nobis plana faciens,
Tu de verbo conditoris dulcem panem conficis
Et propinas potum vitae de psalmorum nectare.

Tu de vita clericorum sanctam scribis regulam,
Quam qui amant et sequuntur viam tenent regiam
Atque tuo sancto ductu redeunt ad patriam.

Sl. Ef. Msb. Aug. 2. Pd. Clicht. — 2. Aug. nos placare satage. 5. Aug. favos mellis. 8. Aug. salvatoris.

CCCCXLIII. *De eodem.*

Gratulentur eremitae uniti coenobio,
Laetentur anachoritae cum cleri collegio,
Augustinus lumen vitae cepit ab Antonio etc.

Aug. 2.

CCCCXLIV. *De B. Elisabeth.*

Elisabeth collaudemus virtutum insignia etc.

Beb.

CCCCXLV. *De eadem.*

Hymnum Deo vox iucunda decantent ecclesiae
Nam congaudet laetabunda Sion mater filiae
Ascendenti de profunda convalli miseriae.

Quam regale stirpe natam in annis infantiae
Vir accepit desponsatam indolis eximiae,
Semper tamen inspiratam voto continentiae.

Fide, prole, sacramento ratum hoc coniugium,
Vero docet argumento quod patrum coelestium
Vitae sanctae sacramento attingit consortium.

Lege carnis sic ligata non exstinxit spiritum
Sed implevit fide rata nec reliquit irritum
Adeo mens praeparata gerebat praepositum.

Haec insignis, haec beata, pauperum nutricia
Fastu mundi non elata, nec parentum gloria
In se carne trucidata crucifixit vitia.

Tandem viro destituta munda mundum exuit,
Mente Christum iam induta saccum carnis consuit
Et in tempus hoc statuta sic lampas emicuit.

Veras censu paupertatis redimens divitiae
De thesauro pietatis fudit auri copias
Et multorum egestates supplevit inopias.

Fecit opus sibi fuso quaerens alimoniam
Et vilescens ipsa sibi sprevit ignominiam
Sciens soli Christe tibi recte dari gloriam.

Cod. W. 2. Sl. Mgd. Beb.

CCCCXLVI. *De S. Catharina.*

Praesens dies expendatur in eius obsequium etc.

Clicht. Pd.

CCCCXLVII. *De eadem.*

Pange lingua gloriosae virginis praeconium etc.

Cod. D. 2. Clicht.

CCCCXLVIII. *De eadem.*

Catharinae collaudemus virtutum insignia,
Cordis ei praesentemus et oris obsequia
Ut spe certa respiremus per eius subsidia etc.

Lg. Hv. Pd. Wimpf. Torr. Clicht. Cass.

CCCCXLIX. *In festo S. Nominis Iesu.*

Gloriosi salvatoris nominis praeconia
Quae in corde genitoris latent ante saecula,
Mater coeli plena roris pandit nunc ecclesia.

Nomen dulce, nomen gratum, nomen ineffabile,
Dulcis Iesus appellatum, nomen delectabile
Laxat poenas et reatum, nomen est amabile.

Hoc est nomen adorandum, nomen summae gloriae,
Nomen semper meditandum in valle miseriae:
Nomen dignae venerandum supernorum curiae.

Nomen istud praedicatum melos est auditui
Nomen istud invocatum dulce mel est gustui
Iubilus est cogitatum spiritali visui.

Hoc est nomen exaltatum iure super omnia,
Nomen mire formidatum, effugans daemonia:
Ad salutem nobis datum divina clementia.

Nomen ergo tam beatum veneremur cernui,
Sit in corde sic firmatum quod non possit erui,
Ut in coelis potestatum copulemur coetui.

Msn.

CCCCL. *De Spinea Corona.*

Pange lingua gloriosi coronam certaminis,
Pange poenas speciosi summi nati inclyti,
Qui nos purgat pretiosi unda sui sanguinis etc.

Msn.

CCCCLI. *In Festo S. Lanceae.*

Pange lingua gloriosae lanceae praeconium,
Per quam nobis copiose sacrum fluxit lavacrum,
Passo Christo dolorose pro salute gentium.

Hasta nitet margaritis nimis coruscantibus,
Mucro gemmis insignitis sanguine vernantibus:
Muniamur armis istis coelis exclamantibus.

Dulcis hasta, latus Dei te replevit sanguine,
Dulcis mucro per cor Dei volvitur in flumine,
Sic salvantur omnes rei tanto Dei munere.

Armat hasta viatores, ne frangantur taedio,
Mucro lavat peccatores in ferventi fluvio;
Roborantur bellatores ne ruant in proelio.

Imperator, splendor patris, cum clavis et lancea,
Mundum purgat a peccatis pro sua clementia:
Salve, tantae pietatis infinita gratia.

Lps.

CCCCLII. *In Festo Stigmatum S. Francisci.*

Crucis Christi mons Alverne recenset mysteria etc.

10. Ad quem venit rex de coelo amictu seraphico,
Sex alarum tectus velo, adspectu pacifico,
Affixusque crucis telo portento mirifico.

16. Vertex montis inflammatur vicinis cernentibus,
Cor Francisci transformatur amoris ardoribus,
Corpus vero mox ornatur mirandis stigmatibus etc.

Fr. 2.

CCCCLIII. *De S. Ladislao.*

Regis regum civis ave,
Regum gemma Ladislae,
Regni consors gloriae,
Regem regum ex aggressus,
Sis defensor indefessus
Et athleta patriae.

Salve salus Hungarorum,
Rex cohaeres angelorum,
Vos coelestis gratiae,
Ab aeterno vas electum,
Vas insigne, vas effectum,
Vendicans iustitiae.

Hungarorum gens congaude,
Nova novi regis laude,
Pulsans tintinnabula,
Felix ave Varadinum
Cuius augens famam virum
Resonet per saecula.

Tibi Christe consors hymnum
Canit orbis, qui per lignum
Ad te trahis omnia,
Scala factus ascensorum
Et corona confessorum
Tibi laus et gloria.

Clicht.

CCCCLIV. *De Nomine Iesu.*

Nomen iure sublimatum,
In excelsis adoratum,
Nomen summae gloriae.
Gabrieli revelatum
Et in terris nunciatum
Genitrici gratiae.

Haec octavo die natum
Circumcisum more patrum
Salvatorem nominat.
Universo publicatum
Mundo nomen hoc beatum
Credentes salvificat.

In hoc lucet Trinitatis
Splendor atque unitatis
Hoc coelum laetificat.
In hoc fulget honor patris,
In hoc patet decor matris,
Hoc fratres glorificat.

Hoc est nomen salutare
Et solamen singulare
Quod succurrit tristibus.
Hoc nos decet honorare,
Benedicere, laudare
Semper laetis mentibus.

Hoc est melos praedicatum
Dulce mel est invocatum,
Servat ab insultibus.
Inbilus est cogitatum,
Nomen mire formidatum
Malignis spiritibus.

Ecce nomen gratiosum,
Fructuosum, virtuosum
Prae cunctis nominibus.
Vultum dei gratiosum,
Speciosum, amorosum
Ostendit hominibus.

Nomen pulchrum in decore,
Summe bonum in valore,
Intus sapit dulciter;
Summe potens in vigore,
Summe celsum in honore,
Delectat feliciter.

Ergo pastor animarum,
Bone Iesu et earum
Lumen indeficiens,
Propter nomen tuum carum
Tetrum chaos tenebrarum
Obstrue nos muniens.

O reformator cunctarum
Nationum humanarum
Vita mortem auferens,
Restaurator ruinarum,
Virtutum angelicarum,
Te ipsum sis largiens.

Msn.

CCCCLV. *De S. Nicolao.*

Salve pater et patrone,
Nicolae pastor bone,
Quem in benedictione
Mira Deus extulit

Es exemplum castitatis,
Speculum humilitatis,
Multis opem attulit etc.

Wimpf.

CCCCLVI. *De S. Sebaldo.*

Hymnum cantat plebs iucunda,
Psallat clerus mente munda,
Plaudant simul laetabunda
Angelorum agmina.

Summo regi qui direxit
Atque Nurenberg invexit
Confessorem, quem dilexit
Clara per miracula.

Coruscantem infinite
Mortem post et moram vitae
Quem scriptura dictat rite
Legenda cum historia.

Stirpe de regali natus,
Sanctitate comprobatus
Est a Christo collocatus
Ad coeli sedilia.

Serto paradisi florum
Coronatus, beatorum
Inter turmas confessorum
Rutilat in gloria.

O Sebalde, Christi care,
Velis nobis impetrare
Deus ut dignetur dare
Tecum coeli gaudia.

Prestet pater hoc et natus,
Praestetque amborum flatus
Trinus unus conformatus
Saeculorum per saecula.

Msn.

CCCCLVII. *De S. Liborio.*

Felix praesul, o Libori,
Stirpe natus melieri,
Luxus mundi refutasti,
Genus tuum adornasti
Ubertate, ad virtutum
Claruisti Christi nutum.

Visus inopum amator,
Et sanctorum imitator,
Castus, largus, et benignus,
Omni laude mundi dignus,
Ob hoc Deus dedit tibi

Dona sacra hic et ibi.

Multa mira per te fecit,
Ab obsessis sordes iecit,
Mutos, surdos tu curasti,
Caecis visum reformasti,
Colicae tu sanas curas,
Aufers calculi torturas.

Qui et prece fortunatus
Promoves piorum status,
Hos ad sancta convocando
Vales consequi precando
Hinc in bonum meum statum
Aptes ipsum Deum gratum.

Me virtutum claritate
Frui fac, et sospitate;
Ut procedat hinc laus Deo,
Ac profectus mihi reo.
Quod sum, tuum in exemplum,
Da me fore Dei templum.

Sua servem ut mandata,
Vitem mortis et peccata.
Precor supplex te, Libori,
Me dispone sancte mori:
Ut post istum finem ita
Queam in coelesti vita.

Deum verum collaudare,
Gaudiis et abundare.

Acta Sanct. Iul. Tom. V. p. 437.

CCCCLVIII. *De S. Francisco.*

Decus morum,
Dux minorum
Franciscus tenens bravium:
In te vitae
Datur vitae,
Christe redemptor omnium.

Plaudat frater
Regnat pater
Concivis coeli civibus;
Cedat fletus,
Psallat coetus,
Exultet coelum laudibus.

Demptum solo,
Datum polo
Signorum probant opera,
Ergo vivit
Nam adivit
Aeterna Christi munera.

Pro terrenis
Votis plenis
Reportat dona gloriae:
Quem decoras,
Quem honoras
Summe Deus clementiae.

Hunc sequantur,
Huic iugantur
Qui ex Aegypto exeunt,
In quo duce
Clara luce
Vexilla regis prodeunt.

Regis signum
Duce dignum
Insignit manu, latere;
Lux accedit
Nos recedit
Iam lucis orto sidere.

Es dux fidus,
Clarum sidus
Ducit, reducit devia,
Devitando
Demonstrando
Beata nobis gaudia.

Mina gregem
Dux ad regem,
Collisor hostis callidi,
Nos conducas
Et inducas
Ad coenam agni provisi.

Fr. 2. Pt.

CCCCLIX. *De Visitatione Mariae.*

In Mariam
Vitae viam,
Matrem veram viventium

Pie venit
Qui redemit
Peccata delinquentium etc.

Ef. Lps. Gron. Torr.

CCCCLX. *De B. Ludovico Tolosano.*

Ludovicus
Ut amicus
Mox iugum Christi subiit,

Dum praeclara
Nobis cara
Proles de coelo prodiit etc.

Fr. 2.

CCCCLXI. *De B. Liborio.*

Devota praesens concio
Pio plaudat Liborio,
Sacro cum tripudio.

Sacer clerus cum populo,
Una sexu femineo
Exultet devotio.

Flos surgit nobilissimus,
Sacris plenus virtutibus
Primas Cenomanicus.

Unctus oleo Spiritus
Suis praeparticipibus,
Pontifex Liborius.

In caput eius cidaris,
Corpusque ornat poderis,
Dum coelica dat iura.

Pedes sacri sandaliis
Astricti, femora lineis,
Sub mystica figura.

In-

Ingressus tabernaculum,
Conciliavit populum
Summo coelorum regi.

In sermone verbi sacri
Factus pastor populi,
Lumen quod dedit legi.

Hinc conviva factus Christi,
Azyma vetus proiecisti
Paschalibus epulis.

Iucundare Sancte Dei:
Miserere tuo gregi
Tuis in deliciis.

Nutantes mente erige,
Adversantes tuos preme,
Et da tempus placidum.

Reatus nostros dilue,
Iram divinam remove,
Da felicem transitum.

Iuva vota humilium,
Terge fletus fidelium,
Da cunctis solatium.

Iesus rex regum omnium,
Fac nos post hoc exilium
Habere Liborium.

Act. Sanct. Iul. Tom. V. p. 437. „In membrana descriptus, affixa tabellae, appensae in choro cathedralis ecclesiae Paderbornensis, iuxta summum altare, in sedibus ad cornu epistolae.“

CCCCLXII. *De S. Amato.*

Festum insigne praesulis Amati
Colimus digne, sanctae Trinitati
Solvere vota surgimus in tota
Devotione.

Hic Deo gratus clarnit honeste,
Corde beatus, actione teste:
Pauperum vera mansit mente pura
Dilectione.

Festo praesenti sancti confessoris
Sumus intenti, gaudia canoro
Carmine damus, tibi iubilamus
Petitione.

Sanctum Amatum cuncti veneremur,
Coelo ditatum laude praeconemur
Miraculorum, probitate morum:
Fama feratur.

Quidam omnino pergere nequibat
Claudus, et miser ibat et redibat:
Reddidit gressum vinculis annexum
Praesul amatus etc.

Act. Sanct. Aug. Tom. VI. p. 702.

CCCCLXIII. *De S. Severo.*

Iste confessor nobis intercessor,
Coelitus datus, columba monstratus
Sic est sacratus praesul hic beatus
Sanctus Severus.

Hic quondam vere more muliebri
Novit carpere lanam et texere,
Hic monocordum plus quam decacordum
Tangere suevit.

De remo Petrum, de lana Severum,
Ambos de toro quos praefecit choro
Deus vocavit et eis donavit
Esse pastores.

Cum quivis suis, o Severe, tuis
Esto placatus, nostrorum reatus
Precibus dele, fer opem medelae
Nobis sanandis.

Virtute sana, dece nos et vana
Mundi spernere, Deo adhaerere,
Nunc et in aevum ut vitemus naevum
Ipso praestante.

Ef.

CCCCLXIV. *De B. Martha.*

Magnae laetitiae fulget lux hodie,
Vox laudis debitae mens, manus opere
Domini hospitae concordi foedere
Agunt festum nunc celebre etc.

Sl.

CCCCLXV. *De Transfiguratione Domini.*

Exultet laudibus sacrata concio,
Coeli agminibus iuncta tripudio,
Pro verbi gloria quod splendent omnia,
Terra, pontus et aethera etc.

Fr.

CCCCLXVI. *De S. Magno.*

Hymnis perdulcibus Magni praeconia
Cordisque vocibus pangamus inclyta:
Eius mirifica promentes opera,
Iugi digna memoria.

Hic ex prosapia magna progenitus,
In pueritia vixit divinitus:
Post hoc est factus homo sceleribus,
In gente nequam alitus.

Ut Paulus domino Magnus convertitur,
Christum ex animo toto consequitur;
Ardere creditur, sed non exuritur,
Rubus dum florens cernitur.

Sic in cubiculo sponsus cum virgine,
Insigni titulo pro continentiae,
Vixit a venere divino munere
Annis decem continue.

De templo trahitur Magnus dominico,
Repletus patitur ex sacrificio,
Migrat de proelio rubens martyrio,
Castoque candens lilio.

Huius ut passio nostrorum criminum
Fiat ablutio, poscamus dominum:
Ut nobis gaudium post hoc exilium
Largiatur perpetuum.

Honor, laudatio per mundi climata
Uni sit domino, trinoque gloria
In trina machina, qui regit omnia
Per cuncta semper saecula.

Act. Sanct. April. Tom. II. p. 440 ex Brev. Aberdonensi.

CCCCLXVII. *De eodem.*

Per nova mundus resultet gaudia,
Sancti Magni plaudens victoria,
Qua coelestis exultat curia.

Gaude tellus felix, Orcadia
Novae lucis resplendens gratia.

Mali bonos solent pervertere,
Quibus victus primaevo tempore,
Praedis Magnus coepit insistere:
Sed electum Deus eripere
Non moratur de mortis foedere.

Magnus praedo mutatur penitus,
De raptore fit pater inclytus,
Agnus redit ad caulam perditus,
Sacri plenus afflatu spiritus,
Gregem regit hic vervex redditus.

Praeter carnem in carne vivere
Studet Magnus divino munere:
Miro plane se domans genere,
Annis decem in toro virginis
Labe carens mansit libidinis.

Hako, Magni terras et praedia
Sibi subdens, invasit omnia:
Contra mitem furit insania.
Nulla Magnus fractus iniuria,
Cuncta suffert mira constantia.

Cessit Magnus furentis odio,
Rex Angelorum quem sumpta regio,
Suo digne fovet palatio:
Anni redit transacti spatio,
Nutu Dei tutus martyrio.

Nova inde regnat perfidia,
Alter Abel fratris invidia
Ruit, victor regnat in gloria:
Plangens ista plaudit Orcadia,
Hako Magno sub pacis basio
Mortem parat fraudis consilio.

Hostes monet Magni collegium
Propulsare et scelus nefarium
Sanctus retorquens ferre taedium
Mavult gratis pati martyrium,
Suis pacem laetus obtinuit:
Dum grex abit, pastor occubuit.

Iesu pie, nos Magni precibus
Noxae reos absolve nexibus,
Condemnatis carnis operibus;
Ne privemur aeternis sedibus.
Mentes nostras illustra moribus
Pacem dona nostris temporibus.

Ut supra.

CCCCLXVIII. *De eodem.*

Magnus ex prosapia magna procreatus
Actu, vita, moribus maior est probatus:
Praedis vacans iuvenis pravorum instinctu,
Ut Paulus convertitur in viae procinctu.

Saulus ecce Paulus fit, praedo fit patronus,
Persecutor factus est plebis pastor bonus.
Vir sanctus in comitem digne sublimatus,
Carnem per continuos domat cruciatus.

Iustus, pius, humilis, mitis et modestus,
Iste suis praefuit exemplis honestus:
Magnus, inter ceteros gratia divina
Plenus, fulget veluti stella matutina.

Vir sanctus ad propria reversus, componit
Cum Hakone perfido, qui fraudem disponit:
Expetit ecclesiam, qua fraude comperta,
Ut pararet hostiam se Christo spe certa.

Hostes turbat comitis mora salutaris:
Hostia dum refici expectat altaris,
Sanctum trahunt, templum irrumpentes,
Sacro plenum pabulo extrahunt amentes.

Hakonis praesentiae Magnus praesentatur:
Sitit agni sanguinem lupus fere satur,
Protulit sententiam, ut morti tradatur;
Et lictori traditur, ut hunc exequatur.

Favus stillans frangitur mellis dans dulcorem,
Mala quaeque fugiunt cuius per odorem.
Surdi, muti, precibus Magni reparantur;
Claudis datur sanitas, leprosi mundantur.

Ferro vincti martyris ope relaxantur.
Naufragantes nexibus mortis liberantur,
Fit moestis laetitia, aegris medicina,
Spes firma periculis, salus in ruina.

Ut supra.

CCCCLXIX. *De B. Conrado.*

O praeclara Constantia,
Cole sollemnia.
Qui es coeli coetibus
Iunctus florens virtutibus,
Conradus praesul inclytus etc.

Beb.

CCCCLXX. *De S. Dorothea.*

Festum nunc celebre
Pangat gens credula,
Melodum gloriae
Servet mens sedula;
Lyrica, sonora,
Neumata decora
Vox promat aetherea.

Conscendat modulans
Hymnus ad aethera
Tuorum suffocans
Crimina vetera.
Veniam implores
Corrigendo mores
O dulcis Dorothea.

Idola destruis
Cellula virtutis,
Paganis construis
Orbitam salutis
Per te virgo bona,
Sororibus corona
Stipatur gemmis aurea.

Mamillae faculis
Flammeis cremantur
Uncis et baculis
Membra lacerantur.
Pars faciei prora
Quatitur decora
Agente Iebusea.

Dona angelica
Scribae destinasti
Regnaque coelica
Militis impetrasti;
Sic oleo suffrixa,
Eculeo confixa,
Tu Christi Nazarea.

Suffoca crimina
Noxia mundana,
Morbos elimina
Cicatrices sana
Delicta da flere
Et tibi congaudere
Angelica chorea.

Praesta hoc Trinitas
Veraque unitas
Pater et filius
Almusque spiritus,
Simplex essentia,
Movens viventia,
Cui patent regna aetherea.

Msn.

EE.

CARMINA SACRA, QUAE IN BREVIARIORUM ORDINEM NON REDACTA, PRIVATO CONSILIO AD SACRA OBEUNDA ADHIBITA SUNT *).

CCCCLXXI. *De Nativitate Domini.*

Resonet in laudibus
Cum iucundis plausibus
Sion cum fidelibus:
Apparuit quem genuit Maria.
Sunt impleta
Quae praedixit Gabriel;
Eia, Eia
Virgo Deum gennit
Quem divina voluit
Clementia.
Hodie apparuit,
Apparuit in Israel,
Ex Maria virgine
Est natus rex,
Magnum nomen domini
Emanuel
Quod annunciatum est
Per Gabriel.

Christus natus hodie
Ex Maria virgine
Sine virili semine;
Apparuit quem genuit Maria
Sunt impleta etc.

Natus est Emanuel
Quem praedixit Gabriel,
Testis est Ezechiel;
Apparuit quem genuit Maria
Sunt impleta etc.

---

*) Ex eorum numero ea tantum recepimus quae iam ante saeculum decimum sextum cantata esse constaret. Omittenda erant hymni plurimi et pulcherrimi, quos collegerunt Wallraffius, Follenius e. a. nam, quod vehementer dolendum est, uterque adnotare obliti sunt, unde carmina desumpserint, quid de aetate eorum ipsi statuerint.

47") saeculo quarto decimo tribuit. Conferas Wack. p. 313 imitationem I. Hornii „Da Christus geboren war."

CCCCLXXV. *De Nativitate Domini.*

Quem pastores laudavere,
Quibus angeli dixere
Absit vobis iam timere,
Natus est rex gloriae:
Ad quem reges ambulabant,
Aurum, thus, myrrham portabant,
Immolabant haec sincere
Leoni victoriae.

Exultemus cum Maria
In coelesti hierarchia,
Natum promat voce pia
Laus honor et gloria
Christo regi, Deo nato
Per Mariam nobis dato

Merito resonat vere
Dulci cum melodia.

Wack. p. 29 Ramb. Anth. I. p. 353: *Aller Wahrscheinlichkeit nach gehören in diesen Zeitraum (14tes Jahrh.) auch folgende anonyme Gesänge, die schon zu den Zeiten der Reformation als alt und längst eingeführt bekannt waren. Der erste (Quem pastores) wird von Georg Witzel in dessen Psaltes eccl. oder Chorbuch Köln 1550, auch in seinen deutschen Schriften Ebend. 1559—62 fol. Thl. II. 81. 19 nebst mehreren andern z. B. Dies est laetitiae, Omnis mundus iucundetur, Puer nobis nascitur, In natali domini gaudent omnes angeli (nach einer neuen Bearbeitung casti. g. a.) Nunc angelorum, Resonet in laudibus unter der Aufschrift angeführt „Jubelgesänge der heil. Weihnachten, wie sie von unsern christlichen Vorfahren fröhlich gesungen." An diesem Feste nemlich fand in den Frühmetten und in den Vespern der noch lange nachher und zum Theil selbst in protestantischen Kirchen beibehaltne (cf. p. 145) Gebrauch statt, dass die Geburt Christi in Bethlehem, die Krippe, die Ankunft der Weissen aus dem Morgenlande u. s. w. in Bildern dargestellt und in besonders darauf eingerichteten Liedern von den Kindern gesungen wurden, die, wie Witzel a. a. O. erwähnt, im Gesange „Resonet" auf und nieder sprangen und mit den Händen zusammenschlugen. — — Von dem Gesange „Quem pastores" findet man in alten Gesangbüchern die bekannte Uebersetzung „Den die Hirten lobten sehre," die, doch nur dem kleinerem Theile nach mit dem gewöhnlichem Texte übereinstimmend, bei Witzel a. a. O. vorkommt.* Cf. Wackern. p. 93 et quae adnotavit Hoffmannus D. K. p. 148.

CCCCLXXVI. *De Nativitate Domini.*

Dies est laetitiae
In ortu regali,
Nam processit hodie
De ventre virginali
Puer admirabilis,

Totus delectabilis
In humanitate,
Qui inaestimabilis
Est et ineffabilis
In divinitate.

Orto Dei filio
Virgine de pura
Ut rosa de lilio
Stupescit natura,
Quem parit iuvencula
Natum ante saecula
Creatorem rerum
Quod uber munditiae
Dat lac pudicitiae
Antiquo dierum.

Ut vitrum non laeditur
Sole penetrante,
Sic illaesa creditur
Post partum et ante
Felix haec puerpera
Cuius casta viscera
Deum genuerunt,
Et beata ubera
In aetate tenera
Christum lactaverunt.

Angelus pastoribus
luxta suum gregem
Nocte vigilantibus
Natum coeli regem
Nunciat cum gaudio
lacentem in praesepio
Infantem pannosum,
Angelorum dominum
Et prae natis hominum
Forma speciosum.

Ramb. Anth. I. p. 333. Wackern. p. 30 ex L. Lossii Psalmodia p. 26. Notissima est vetusta translatio „Der Tag der ist so freudenreich allen Creaturen (Wack. p. 93) quae tamen in secunda stropha „Ein Kindelein so löbelich“ valde a latino carmine discrepat. Haec sancti infantuli laudatio Luthero tam accepta erat ut quin ab ipso spiritu sancto processisset, minime dubitaret. Hoffmannus D. K. p. 149 versionem carminis batavam indicat: Tis een dach van vrolicheit u. s. w.

CCCCLXXVII. *De Nativitate Domini.*

In hoc anni circulo
Vita datur saeculo,
Nato nobis parvulo
Per virginem Mariam.
Verbum caro factum est
Per virginem Mariam.

Quod vetustas suffocat
Hoc ad vitam revocat,
Nam se Deus collocat
Per virginem Mariam.
Verbum etc.

Adam pomo vescitur,
Et sudor repellitur
Sui vultus hodie
Per virginem Mariam.
Verbum etc.

Noe pro diluvio
Clauso foris ostio
Arcam intrat hodie
Per virginem Mariam.
Verbum etc.

Serpens ille callidus
Cunctis animalibus
Suffocatur hodie
Per virginem Mariam.
Verbum etc.

Stella solem protulit,
Sol salutem contulit,
Nihil tamen abstulit
Per virginem Mariam.
Verbum etc.

Sine viri copula
Florem dedit virgula,
Qui manet in saecula
Per virginem Mariam.
Verbum etc.

Puer circumciditur,
Sanguis eius funditur,
Vita restituitur
Per virginem Mariam.
Verbum etc.

O beata femina,
Cuius casta viscera
Abluerunt crimina
Per virginem Mariam.
Verbum etc.

Ex virgine regia,
Mundi regis filia,
Plena datur gratia
Per virginem Msriam.
Verbum etc.

In praesepe ponitur
Et a brutis colitur,
Matris velo tegitur
Per virginem Mariam.
Verbum etc.

Ab angelis concinitur,
Gloria et pax dicitur,
A pastoribus quaeritur
Cum virgine Maria.
Verbum etc.

Ioseph nato fruitur,
Natus lacte pascitur,
Vagit, plorat, tegitur
Per virginem Mariam
Verbum etc.

Ergo nostra contio
Omni plena gaudio
Psallat cum tripudio
Cum virgine Maria.
Verbum etc.

Hoffmann D. K. p. 146: *Das latein. Original steht in Leisentritt Geistl. Lieder I. Theil Bl. 49. 50 (Wackern. p. 31) — — Deutsch steht der Gesang in Docens Miscellaneen I. Bd. S. 286—88 (Wackern. p. 87.)* 15. *strophen. Der Anfang lautet: In des iares zirclikeit us s. w. — — Die ängstliche Nachbildung und unverkennbare Quälerei in Form und Wendung lässt gleich ein lateinisches Original verrathen.* Sed vir doctus in his non proxime ad verum accessit. Nam teutonicum carmen quatuor strophas prorsus omittit. (Adam pomo vescitur — Noe pro diluvio — Serpens ille callidus — Ex virgine regia) Neque in aliis est accuratius. Praeterea vero quinque strophas addidit poeta germanicus, secundam, decimam, duodecimam, tertiam decimam. Secunda translatio reperitur in hymnario Coloniensi a. 1608 p. 126. — Str. 3. Quaeri potest, cur in ecclesia latina iam ab antiquissimis temporibus (e. g. in hymnis Fortunati 140, 5.) fructus quem Deus edi vetuit, pomum nominetur. Equidem ex Vulgata fluxisse duxe-

rim Gen. I. 11: *germinet terra herbam virentem et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum:* nam cum capite tertio illa arbor saepius vocaretur „lignum“ facile illud „pomiferum“ memoriae obrepsit.

CCCCLXXVIII. *De Nativitate Domini.*

En Trinitatis speculum
Illustravit saeculum,
Eia cordialiter
Iubilando pariter
Taliter hilariter
Infantulo concinite
Christo incarnato,
Deo humanato.

En virgo Dei filium
Parit primogenitum
Nasciturum aetheris,
Canticis et modulis
Canite et psallite,
Voces puras attollite
Christo incarnato,
Deo humanato.

Hic iacet in cunabulis
Puer admirabilis,
De coelo laudabilis
Et nobis amabilis
Voce pii nunc hilari
Modulantes atque pari
Canite prudenter
Psallite constanter.

Leisentritt geistl. Lieder I. fol. 50. Wackern. p. 35. Intelligitur ex versione germanica (Wack. p. 710) pro versu intercalari: Christo incarnato etc. apud alios lectas esse voces, quibus sopiri solent infantuli in cunis iacentes; apud germanum interpretem: Sussa liebe Nenna, Sussa liebe Nenna vel Verba zuze ninno, Verba zuze ninno. Hinc ortum est Gerhardianum illud „Susaninne“ quod vetustatis osores mirifice vexavit.

CCCCLXXIX. *De Nativitate Domini.*

Parvulus (puer) nobis nascitur,
De virgine progreditur
Ob quem laetantur angeli,
Gratulemur nos servuli:
Trinitati gloria in sempiterna saecula.

Regem habemus gloriae
Leonemque victoriae,

Cui testimonia
Dantur et praeconia
Coelicis a psaltis.

Rambach. Anth. I. p. 371: *In dem von Joh. Mauburnus († nach 1491) herausgegebnen und nach seinem Tode mehrmals z. B. im Jahr 1602 zu Mailand wieder aufgelegtem „Rosetum exercitiorum spiritualium et sacrarum meditationum" kommen mehrere geistliche Lieder auf die Geburt und das Leiden Christi u. s. f. vor. Aus einem derselben, das mit den Worten anfängt „Eia mea anima, Bethlem transeamus" sind die 3 Strophen entlehnt, die als Weihnachtslied in manche ältere protestantische Gesangbücher z. B. in die vollständige Kirchen- und Hausmusik Bresl. 1644, auch in J. M. Schamelius evangelischen Lieder-Commentar nebst der deutschen Uebersetzung „Warum liegt im Krippelein" aufgenommen sind.*

CCCCLXXXII. *De quinque vulneribus Christi.*

Ave dextra manus Christi
Perforata plaga tristi
Nos ad dextram iube sisti
Quos per crucem redemisti.

Ave vulnus dextri pedis,
Pedem mentis pie laedis
Dum ad eam saepe redis
Esto nobis spes mercedis.

Ave palma Christi laeva
Quam confixit manus saeva,

Ave plaga laevae plantae,
Qua virtutum crescunt plantae,

Nos ab eo malo leva
Quod produxit mater Eva.

Nos ab hoste supplantante
Contuere post et ante.

Ave latus lanceatum
Unde fluxit flumen gratum,
Praebe nobis conducatum
Ad aeternum vitae statum.

Inveni hoc carmen in „Hortulo animae a. 1519 Nurenbergae typis descripto et in libro „Heures à l'usage de Lengres etc." In altero adnotatum est: *Oratio b. Gregorii papae de V. vulneribus Christi et quicunque hanc orationem cum devotione dixerit habebit quingentos annos indulgentiarum:* in altero: *Pape Boniface a donne à tous vrays' confes' et repentans qui diront ces cinq vers qui sensuyuent devant la vision de sainct Gregoire, pleniere remission.* — Str. 1. Hort. manus dextra. Lg. ad eam — quos per dextram. Str. 2. Hl. manus — sic confixa manus. Lg. quo perduxit. Str. 3. Lg. spereddis. Str. 4. Hl. vulnus l. p. Str. 5. Ht. perforatum.

CCCCLXXXIII. *De passione Domini.*

Patris sapientia, veritas divina,
Deus homo captus est hora matutina,
A suis discipulis cito derelictus
Iudaeis est traditus venditus, afflictus.

Hora prima ductus est Iesus ad Pilatum,
Falsis testimoniis multum accusatum
In collum percutiunt manibus ligatum
Vultum Dei conspuunt, lumen coeli gratum.

Crucifige, clamitant hora Tertiarum;
Illusus induitur veste purpurarum,
Caput eius pungitur corona spinarum
Crucem portat humeris ad locum poenarum.

Hora sexta Iesus est cruci conclavatus
Et est cum latronibus pendens deputatus,
Prae tormentis sitiens felle saturatus,
Agnus crimen diluit sic ludificatus.

Hora nona dominus Iesus exspiravit,
Heli clamans animam patri commendavit,
Latus eius lancea miles perforavit,
Terra tunc contremuit et sol obscuravit,

De cruce deponitur hora vespertina,
Fortitudo latuit in mente divina,
Talem mortem subiit vitae medicina,
Heu corona gloriae iacuit supina.

Hora completorii datur sepulturae
Corpus Christi nobile, spes vitae futurae,
Conditur aromate, complentur scripturae;
Iugis sic memoria mors est mihi curae.

Has horas canonicas cum devotione
Tibi Christe recolo pia ratione
Ut qui pro me passus es amoris ardore
Sis mihi solatium in mortis agone.

Inter officia votiva quae devotionis caussa ab hominibus medii aevi recitabantur, una cum horis B. Mariae frequentatissimum erat opinor officium de passione Domini. Hymnos diversis horis praebuit carmen supra scriptum, commendatum etiam a Luthero, cum Fridericus elector in ecclesia omnium sanctorum Vitebergensi officium de Christo crucifixo hebdomadarium

instituisset. Contulimus cum Rambachii anthologia (I. p. 357 quocum consentit Wackernagel p. 30) Brev. Magdeburgense, Hortulum animae (p.) Heures a l'usage etc. praeterea quam nobiscum benevole communicavit, Adolphus Fischerus (p. 173) lectionem Codicis Pragensis membranacei pervetusti. Neque sprevimus versiones Germanicas: O weishait gottes vaters zart (Wackern. p. 105 ex Cod. Monac. germ. 808 anni 1505) aliamque: Zur mettenzeit gefangen wart ex lib. Bibl. Wratislaviensis cura a. 1500 typis descripto (Hoffmann D. K. p. 192. Wackern. p. 106) quae tamen liberior est *). Notissimum est M. Weissium in cantico suo Christus der uns selig macht proxime ad poëtam vetustum accedere. — Str. 1. ad Matutinum Mgd. disc. et notis der. — Iudaeis venditus traditus et afflictus Lg. Rbch. a Iudaeis venditus tr. et affl. Str. 2. ad Primam. Cod. Prag. duxerunt. Mgd. ducunt — ante Lg. in collo. Rbch. colaphis percutiunt. Mgd. conspuentes faciem ut est prophetatum. Str. 3. ad Tertiam. Mgd. caput suum — fert trabem in humeris. Str. 4. ad Sextam; Rb. in cruce clavatus. Mgd. dominus Iesus — pendens cum latronibus cum eis reprobatur. Cod. Prag. sic deificatus. Str. 5. ad Nonam. Mgd. Iesus in cruce. — Heli, Heli clamans. Cod. Prag. Mariam patri commendavit. Mgd. sol se obsc. Str. 6. ad Vesperas. Str. 7. ad Completorium. Rbch. conditum. Str. 8. vocatur in Hortulo animae „Recommendatio.“ Mgd. refero — ut sicut tu passus es poenas in agone sic labore condolens ut concors sim tuae coronae.

CCCCLXXXIV. *De Compassione Mariae.*

Consolatrix pauperum coelica regina
Audit captum filium hora matutina,
Gregem apostolicum intelligit dispersum,
Sicque sentit gladium in cor sibi mersum.

Hora prima conspicit qualiter Pilato
Iesum turba tradidit, viro reprobato,
Cernens prolis faciem sputo maculatam
Ensis sentit aciem in corde vibratam.

---

*) Tertii interpretis mentionem iniecit Wackern. p. 808 — „in dem Gesangbuche schöne alte Catholische Gesang etc. Tegernsee 1577 — Gottes des vatters waisheit schon und danach in dem Kölner Gesangbuch von 1605 n. LIV.“

Cum advenit Tertia videt coronatum
Spinis et sententia prave condemnatum,
Virgis caesum intuens crucem baiulantem
Et mucronem sentiens sese perforantem.

Hora sexta filium videt conclavari,
Inter duos medium audit blasphemari;
Ex amaritudine myrrhatae potionis
Est in matre virgine mucro Simeonis.

Audit in meridie vocem morientis,
Lanceam in latere viderat pendentis.
Terrae motus, tenebrae quae tum evenerunt
Mariam in pectore dire transfixerunt.

Cum de ligni nexibus vespere movetur
Maternis amplexibus stringens intuetur,
Ungit, tergit vulnera, flet et osculatur
Mater et in anima sic transverberatur.

Sepulturae debitum occidenti die
Magnum est supplicium virgini Mariae
Vivo carens mortuo mater benedicta
Est prophetae gladio graviter afflicta.

Stenzel Scriptores rerum Siles Tom. I. p. 237. Freyberg Alte christliche Lieder p. 56.

CCCCLXXXV. *De Compassione Mariae.*

Hora matutina Mariae nunciatur,
Quod Iesus a Iudaeis falsis captivatur,
Domum Annae petiit, illuc ducebatur
Toto corde tremuit male dum tractatur.

Hora prima Maria Iesum suum natum
Crebris suspiriis sequitur ad Pilatum
Falsos testes audiens, sputo maculatum
Cernens ingemiscit acriter alapatum.

Audit hora tertia crucifigi natum,
Vidit tectum purpura, spinis coronatum,
Ad mortis sententiam eundem damnatum,
Trabe magna crucis graviter oneratum.

Hora sexta Maria vidit conclavari
Corpus Christi tenerum in altum levari,
Iesum sitientem cum fello saturari
Et vestem propriam sanguine rubricari.

Hora nona Maria Iesum exspirantem
Videns, audivit voce magnaque clamantem,
Ioanni matrem, flamen commendantem,
Ensem Simeonis cor eius perforantem.

Hora vespertina Maria dolorosa
De cruce depositum voce querulosa
Continens in gremio dixit: O meorum
Vitae sustentatio, lumen oculorum.

Hora Completorii venit ad sepulcrum
Unxit aromate Maria corpus pulchrum
Iesu, deformatum pallore mortis durae,
Redemptionis nostrae praemium futurae.

Has horas canonicas Maria mater pia
Tuae laudi refero cordis symphonia,
Sicut tu compassa es nato in agone
Sic hanc conregnans socium me fac coronae.

Hortulus animae.

CCCCLXXXVI. *De passione Domini.*

Christum ducem
Qui per crucem
Redemit nos ab hostibus

Laudet coetus
Noster laetus,
Exultet coelum laudibus etc.

Hortulus animae in Officio de Passione domini quod exhibetur sub nomine S. Bonaventurae.

CCCCLXXXVII. *De passione Domini.*

In mea sunt memoria
Iesu pie signacula,

Quae passionis tempore
Pertulisti durissime etc.

Hortulus animae.

CCCCLXXXVIII. *De passione Domini.*

Culter qui circumcidisti
Sacrosanctam carnem Christi
Reseca nocentia etc.

Hortulus animae.

CCCCLXXXIX. *De Facie Domini.*

Salve sancta facies nostri redemptoris
In qua nitet species divini splendoris,
Impressa panniculo nivei candoris
Dataque Veronicae signum ob amoris.

Salve decus saeculi, speculum sanctorum,
Quod videre cupiunt spiritus coelorum,
Nos ab omni macula purga vitiorum
Atque nos consortio iunge beatorum.

Salve nostra gloria in hac vita dura
Labili et fragili cito transitura,
Nos perduc ad patriam, o felix figura
Ad videndum faciem quae est Christi pura.

Esto nobis quaesumus tutum adiuvamen,
Dulce refrigerium atque consolamen
Ut nobis non noceat hostile gravamen
Sed fruamur requie: omnes dicant: Amen.

Hort. an. Lg. Translatio Germanica Grüest seyest du angesicht Wack. p. 117. — Str. 3. Lg. ac fragili — nos provehat superis felix h. f. Str. 4. Lg. verum ad.

CCCCXC. *De Resurrectione Domini.*

Surrexit Christus hodie
Humano pro solamine Alleluia.

Mortem qui passus pridie
Miserrimo pro homine All.

Mulieres ad tumulum
Dona ferunt aromatum. All.

Quaerentes Iesum dominum
Qui est salvator hominum. All.

Album cernentes angelum
Annunciatum gaudium. All.

Mulieres o tremulae,
In Galilaeam pergite. All.

Discipulis hoc dicite
Quod surrexit rex gloriae.
All.

In hoc paschali gaudio
Benedicamus domino. All.

Petro dehinc et ceteris
Apparuit apostolis. All.

Gloria tibi domine
Qui surrexisti a morte. All.

Laudetur sancta Trinitas,
Deo dicamus gratias. All.

Secuti sumus Wackern. p. 33. qui praeterea duas alias carminis formas easque breviores exhibet. Neque refrager doctissimo Hoffmanno D. K. p. 150: *Man würde sich sehr irren, wenn man jedes deutsche Lied dieser Art, wozu sich ein lateinisches Seitenstück findet, für eine Uebersetzung, also für jünger als das lateinische Lied ausgeben wollte „Christ ist erstanden" wiesen wir bereits im XII. Jahrh. nach, Surrexit Christus hodie geht aber nicht über das XV. Jahrh. hinaus (?)* — sed miror argumentum, quod additur: *„es steht auch nicht einmal in der Expositio hymnorum und in dem. Brev. Romanum von* 1629." Nam quomodo fieri poterat quod fieri omnino nequit: eiusmodi carmina, ut Surrexit Christus hodie ecclesia nunquam auctoritate publica sancivit, quare neque in breviariis neque in hymnariis, quae breviariorum carmina tantum continent, investigari possunt.

CCCCXCI. *De Resurrectione Domini.*

Cedit hyems eminus
Surrexit Christus dominus
Tulitque gaudia,
Vallis nostra floruit,
Reviviscunt arida,
Postquam ver intepuit
Recalescunt frigida.

Drachmam quam perdiderat
Manuque reformaverat,
Ipsum Trinitatis innuebat
Opus deitatis
In annosis ceteris
Summae caritatis.

Adam, qui dum vixerat
In lignoque peccaverat,
Pari ratione
Eva mortem intulit
Pomi fractione,
Adae vitam retulit
Christus passione.

Vere die tertia
Surrexit cum victoria
Athleta coelestis
Ante cuius ingressum
Turma angelorum
Tolli mox praeciperet (praeceperat?)
Portas inferorum.

Haec dies gaudiosa
Per vasta orbis climata

Fidelibus cunctis
Qua post Christus turbida
Vetustorum tempora
Ovem quam perdiderat
Eruit ex tartaris.

Wackern. p. 34 ex libro I. Leisentrittii I. fol. 145.

CCCCXCII. *De Ascensione Domini.*

Coelos ascendit hodie Alleluia
Iesus Christus rex gloriae Alleluia.

Sedet ad patris dexteram, A.
Gubernat coelum et terram, A.

Iam finem habent omnia, A.
Patris Davidis carmina, A.

Iam dominus cum domino, A.
Sedet in Dei solio', A.

In hoc triumpho maximo, A.
Benedicamus domino, A.

Laudetur sancta Trinitas, A.
Deo dicamus gratias. A.

Sumpsimus caren ex Hymnario Watislaviensi a. 1754. Interserta est textui latino versio germanica Mich. Franckii „Gen Himmel aufgefahren ist."

CCCCXCIII. *De Spiritu sancto.*

Spiritus sancti gratia
Apostolorum pectora
Replevit sua gratia
Donans linguarum genera.

Misit per mundi climata
Fari verbi potentiam
Ut praedicarent variis
Linguis omni creaturae.

Dicens eis: accipite
Spiritum sanctum hodie,
Qui vos docebit omnia
Futura et praeterita.

Dicens eis: cum steteritis
Coram regibus et principibus
Nolite cogitare
Quomodo aut quid loquamini.

Dabitur enim in illa hora
Virtus et gratia,
Replebit vestra desideria
Sua virtute divina.

Laudemus consolatorem
Omniumque creatorem,
Ipse amovet errorem.
Verum inducet fervorem.

Ergo nunc cum tripudio
Benedicamus domino
Laudetur sancta Trinitas,
Deo dicamus gratias.

Leisentritt Ges. I. fol. 186. M. Praetorius Mus. Sion. V. Nr. 152. Schamelius Lieder-Comment. 2te Aufl. I. p. 222 Wackernagel p. 26. — Str. 2. Leis. potentiam. Str. 4. Leis. dum Scham. regum coram conciliis. Str. 5 Scham. Nam spiritus facundiam Tunc addet et constantiam Ut fraus et vis cum carcere Vos nequeant evertere.

CCCCXCIV. *De Spiritu Sancto.*

Nobis sancti spiritus gratia sit data
De qua virgo virginum fuit obumbrata etc.

Exstat, ad modum hymni „Patris sapientia" compositum in Horthlo animae et Lg.

CCCCXCV. *De S. Trinitate.*

Quicunque vult animam firmiter salvare,
Tres personas credere ipsas honorare
Tenetur et precibus ingiter orare,
Unum Deum dicere, solum adorare etc.

Lg.

CCCCXCVI. *De Corpore Christi.*

Salve sancta caro Dei
Per quam salvi fiunt rei,
Servos tuas redemisti
Dum in cruce pependisti
Quando mortem occidisti etc.

Lg.

CCCCXCVII. *De Corpore Christi.*

Ave caro Christi cara
Immolata crucis ara,
Redemptionis hostia:
Morte tua nos amara
Fac redemptos luce clara
Tecum frui gloria.

Ave verbum incarnatum,
In altari consecratum,
Panis vivus angelorum
Salus et spes infirmorum,
Medicina peccatorum.

Salve corpus Iesu Christi
Quod de coelo descendisti
Et populum redemisti,
Cum in cruce pependisti.

Iesu bone, fons pietatis, laus angelorum, gloria sanctorum, spes peccatorum, miserere nobis.

Hortulus animae.

CCCCXCVIII. *Ad Communionem.*

Anima Christi sanctifica me,
Corpus Christi salva me,
Sanguis Christi inebria me,
Aqua lateris Christi lava me.
Passio Christi conforta me:
O bone Iesu exaudi me,
Intra vulnera tua absconde me
Et ne permittas me separari a te,
Ab hoste maligno defende me,
In hora mortis meae voca me,
Et iube me venire ad te
Ut cum sanctis tuis laudem te

In saecula saeculorum.

Ramb. Auth. I. p. 354: *Dies Lied ist eigentlich ein Gebet und kommt als solches schon in Andachtsbüchern des 14ten Jahrh. vor. (Neue Beytr. von a. und n. theol. Sachen 1755 S. 703 ff.) ist aber in neuern Zeiten unter die Kirchengesänge* (quod ego quidem ignoro) *am Frohnleichnamsfeste und bei uns in der einst sehr beliebten Uebersetzung „Die Seele Christi heil'ge mich" unter die Passionslieder aufgenommen.* Contuli cum Rambachio Hortulum animae et Heures à l'usage etc. Hic quem modo nominavi liber post conforta me interserit: sudor vultus Christi virtuosissimi sana me. Sub finem ita legit: pone me iuxta te ut cum angelis et sanctis tuis laudem te dominum salvatorem meum per saecula saeculorum.

CCCCXCIX. *De B. Virgine.*

Ave hierarchia
Coelestis et pia,
Dei monarchia
Respice nos dia
Ut erigamur errantes in via.
Gratia divina
De superno Sina,
Virginum regina
Veniam propina
Tu celerius aurem huc inclina.

Maria beata,
Doce nos mandata
Novae legis grata
Nos servare rata
Virgo nobilis et intemerata.
Plena dulcorosa
Dona fer annosa,
Nostrae legis glosa
Ne sis odiosa
Te petentibus, mater gratiosa.

Dominus plasmavit,
Adam qui peccavit
Malum dum piavit
Quando te vocavit
Et in utero beatificavit.

Tecum nos redemit
Mundum quem exemit
Zabulonque fregit
Mundi luxus sprevit
Novit quaerere ovem quam invenit.

Benedicta sola
De superna schola
Deitatis stola
Nos a fere cola,
Nostra criminis purgatrix et mola.

Tu pia vocaris
Vera lux solaris
Sola Deum paris
Et in fluctu maris
Mater omnium, tu nos tueaeris.

Inter mulieres
Tu sola adhaeres
Deo velut haeres
Nostrae vitae ceres,
Mundi domina nomen ut haberes.

Benedictus digne
Pneumatis in igne
Verbum per insigne
Quod tibi benigne
Missus Gabriel nuntiavit dignae.

Ventris tuae fructus
Coelitus inductus
A patre instructus
Et in mundum ductus
Carnem sumere postea reductus.

Tui per iuvamen
Sacri nati flamen
Det nobis solamen
Iudicis examen
Ne nos terreat, sed salvet nos. Amen.

Leisentritt Ges. II. fol. 25. Wackern. p. 33.

D. *De Septem Gaudiis coelestibus Mariae.*

Gaude flore virginali
Quae honore speciali
Transcendis splendiferum,
Angelorum principatum
Et sanctorum decoratum
Dignitate numerum.

Gaude sponsa cara Dei
Nam ut lux clara diei
Solis datur lumine
Sic tu facis orbem vere
Tuae pacis resplendere
Lucis plenitudine.

Gaude splendens vas virtutum
Cuius pendens est ad nutum
Tota coeli curia,
Te benignam et felicem
Iesu dignam genitricem
Venerans in gloria.

Gaude nexu voluntatis
Et amplexu caritatis
Iuncta sis altissimo,
Ut ad votum consequaris
Quicquid virgo postularis
A Iesu dulcissimo.

Gaude virgo mater Christi
Quia sola meruisti
O virgo piissima
Esse tantae dignitatis
Quod sis sanctae Trinitatis
Sessione proxima.

Gaude mater miserorum
Quia pater saeculorum
Dabit te colentibus
Congruentem hic mercedem
Et felicis poli sedem
Regnis in coelestibus.

Gaude virgo mater pura
Certa manens et secura
Quia tua gaudia
Non cessabunt nec decrescent
Sed durabunt et florescent
Per aeterna saecula.

Hortulus an. Lg.

DI. *De Septem doloribus Mariae.*

Ave dulcis mater Christi
Quae dolebas corde tristi,
Te docente Simeone
De dirae mortis mucrone,
Sis memor huius doloris
Nunc et in omnibus horis,
Fac me pie memorari
Poenam mortis tui cari.

Ave dulcis mater Christi
Quae dolens et flens vidisti
Captum, vinctum, dire caesum
Plenum probris dulcem Iesum:
Huius memor tristitiae
Mater misericordiae
A daemonis insidiis
Serva me et opprobriis.

Ave dulcis mater Christi
Quae in Aegyptum fugisti,
Flens ibi notis carebas
Et labore tabescebas
Nunc quaeso sis exilii
Tui memor ac filii
Da te mihi et filium
Tuum post hoc exilium.

Ave dulcis mater Christi
Quae dolens et flens vidisti
Cruci nexum speciosum
Iesum factum ceu leprosum:
Per dolorem hunc tam fortem
Et per nati tui mortem,
In hora mortis ultima
Adsis mihi carissima.

Ave dulcis mater Christi
Quae dolebas corde tristi
Natum requirens inclytum
Tribus diebus perditum
Pro hac tua moestitia
Fac me in eius gratia
Inventum per te pleniter
Perseverare iugiter.

Ave dulcis mater Christi
Quae de cruce suscepisti
Ulnis Iesum iam mortuum,
Piorum plena fletuum,
Me ulnis tuae clementiae
Foveto mater gratiae,
Cum omnibus fidelibus
Solamina poscentibus.

Ave quae post mortem Christi
Dolendo saepe vidisti
Cuncta loca martyrii,
Eius plena suspirii
Ob poenas quas susceperas
Ista loca dum videras:
Da sic post transitoria
Mihi locum in gloria.

In honore nunc tantorum
Ceterorumque dolorum
Quos pro nato corde tristi
Virgo unquam pertulisti:
Meam tibi miseriam
Committens serva animam
Semperque sis doloribus
Dulcis adiutrix omnibus.

Hortul. an. Lg.

DII. *De Festivitatibus B. Mariae.*

Ave cuius conceptio
Sollemni plena gaudio
Coelestia, terrestria
Nova replet laetitia etc.

Hort. an. Lg. — Reliqui versus Nativitatem, Annuntiationem, Visitationem, Purificationem et Assumptionem Mariae celebrant.

DIII. *De B. Virgine*

Ave virgo gratiosa
Stella sole clarior,
Mater Dei speciosa
Favo mellis dulcior,
Rubicunda plus quam rosa
Lilio candidior:
Omnis virtus te decorat,
Omnis sanctus te honorat,
Iesus Christus te coronat
In coelis sublimior.

Lg.: *Loroison qui sensuyt a este donnee de Pape Innocent VIII a une Royne despaigne et a dire ladicte oraison devotement on impetre remission de ses peches* *)

*) In libro saepius laudato: „Heures à l'usage de Lengres“ nonnulla leguntur carmina sacra, gallice scripta, nec dubito quin ii, quos gallicae linguae monumenta vetustiora inquirere iuvat, et his carminibus delectentur. Addimus igitur duo

1. Iesus mon Dieu en qui ie croy
Faictz moi obeir a ta loy
Pour vivre ainsi qu'il appartient
Car ie proteste devant toy
Que mourir veux en ceste foy
Que saincte Eglise croit et tient.

Iesus ta croix, tes cloux, ta lance
Tes courgees, ta penitence
Ta couronne poignante et dure
Ta mort, ton sang en abondance
Me soiet a la mort delivrance
De la peine qui tousjours dure.

DIV. *De B. Virgine.*

Gaude virgo gratiosa,
Verbum verbo concepisti etc.

Lg.

DV. *De B. Virgine.*

Mater digna Dei
Veniae viae luxque diei,
Sis tutela rei
Duxque comesque mei,
Sponsa Dei
Miserere mei
Lux alma diei:
Digna coli
Regina poli
Me linquere noli:
Nixa Deum,
Defende Deum,
Mihi dando tropaeum.
Me tibi virgo pia
Genitrix commendo Maria,

Iesu Christe fili Dei vivi miserére mei. Christus rex venit in pace, Deus homo factus est. Deus propitius esto mihi peccatori et custos animae meae nunc et semper et ubique. Amen.

Hortulus Animae fol. LXXXIV. Subiunguntur precatiunculae haec, satis impie prolata: *Quicunque hos versus sequentes qualibet die devote dixerit, meritis b. virginis sine vera poenitentia non morietur. Probatum fuit in partibus Arragoniae anno MCCXC in quodam saeculari qui dictos versus ad honorem virginis devotione qua poterat, quotidie decantabat. Accidit ut capite truncato tota ani-*

II. Marie Dame toute belle
En qui toute grace abonde,
Fille de Dieu mere et ancelle
Royne du Ciel, Dame du monde
Tu es le ruisseau dou partit londe
Qui le peche de Adam lava
Ie te salue pure et monde
En disant: Ave Maria.

Dame donne moy grace davoir
De Dieu tresiuste congnoissance
Et me garde de mal avoir
Car il est bien en ta puissance
Iamais tu ne feis deffaillance
A celuy qui mercy te crya,
Ie te salue mon esperance
En disant: Ave Maria

Folie, Ieunesse et Enfance
Mont faict pecher tresgrandement
Ie te supplye mon ignorance
Uneilles excuser maintenant
Quand viendra mon definement
Secours moy, o virgo pia
Ie te salue devotement
En disant: Ave Maria.

ma in ipso capite perseveraret quo ad usque plene confessus sit omnia peccata sua et absolutionem accepit.

DVII. *Canticum de morte.*

Audi tellus, audi magni maris limbus,
Audi omne, quod vivit sub sole,
Huius mundi decus et gloria
Quam sint falsa et transtoria,
Ut testantur haec temporalia,
Non in uno statu manentia.

Nulli valet regalis dignitas,
Nulli valet corporis quantitas.

Nulli artium valet profunditas,
Nulli magnae valent divitiae,

Nullum salvat genus aut species,
Nulli prodest auri congeries.
Transierunt rerum materies,
Ut a sole liquescit glacies.

Ubi Plato, ubi Porphyrius;

Ubi Tullius aut Virgilius;

Ubi Thales, ubi Empedocles
Aut egregius Aristoteles;
Alexander ubi rex maximus;
Ubi Hector Troiae fortissimus;
Ubi David rex doctissimus;
Ubi Salomon prudentissimus;
Ubi Helena Parisque roseus;

Ceciderunt in profundum ut lapides:
Quis scit, an detur eis requies.
Sed tu Deus, rector fidelium,
Fac te nobis semper propitium,
Quum de malis fiet iudicium.

Ramb. Anth. I. p. 354: *Dieser Gesang kommt in Sammlungen aus dem 16ten Jahrh. z. B. von Selnecker, Ludecus als ein altes und gewöhnliches Lied vor und wurde wie Witzel bemerkt an manchen Orten auch in den Kirchen bei den Vigilien für die Verstorbenen gesungen.*

Addenda.

P. 5 H. VI. 6. W. 2. parsimoniae. 7. castrimargia 17. animis.
Pag. 6 H. VII. 13. Cs. mystica. 16. Pt. legis. 18. Cs. corde precamur supplici.
Pag. 12 H. X. 10. Cs. W. 1. claustrum — permanct. 13. Cs. W. 1. procedit e. 22. Cs. W. 1. strophio cingere. 24. Cs. W. 1. perpeti. — Germanicum fecit carmen Henr. de Laufenberg: kum her erlöser volkes schir Wack. p. 637.
Pag. 15 H. XI. 8. Cs. W. 1. a nocte. 20. Cs. W. 1. negantem. 25. Cs. W. 1. paventes. 27. Cs. lapsus cadunt, W. 1. lapsos cadunt 31. W. 1. sonet.
Pag. 17 H. XII. v. 17. lege pro profundae — profunda. 23. W. 1. castis.
Pag. 18 H. XIII. 10. Cs. diro. 17. Cs. celso.
Pag. 19 H. XIV. 8. Cs. W. 1. praesenti — die. 21. W. 1. viris. 32. W. 1. viri.
Pag. 24 H. XVII. 4. W. 1. dierum. 29. W. 1. Cs. provehat.
Pag. 33 H. XXIII. 11. W. 1. ne. 14. W. 2. atque. 20. W. 2. om. sanguine.
Pag. 39 H. XXXIX. 2. Cs. sancto. 9. Cs. praemium — cruce. 10. Cs. quaesivit. 11. Cs. iustosque. 19. Cs. tollat. 28. Cs. om. ut. 32. Cs. gemit.
Pag. 50 H. XL. 2. W. 2. unum. 6. W. 2. confessione. Cs. personent.
Pag. 56 H. XLVIII. Vide translationem Germanicam „Die Nacht ist hien, der dag bricht an“ Wack. p. 437. (Ein neu auserlesen Gesangbüchlein u. s. w. getruckt zu Strasburg bey Wolffgang Köphe M. D. XL. VII. fol. 49. „vnd ist ein fein Morgen gebett“). Notat Wackernagel in Addendis p. 877: Eine andere schöne Uebersetzung steht im Kölner Gesangbuche von 1608 Nr. CLXV. „Dieweil die sonn ietzt tringt heran.“
Pag. 62 H. LV. 11. Cs. praesentans.
Pag. 66 H. LVIII. 13. lege noctis.
Pag. 72 H. LXVII. v. 3. pro cedere lege edere.
Pag. 74 H. LXXII. In libro Wackernagelii tres leguntur carminis versiones: O Herr Gott, Schöpffer aller stern (Cyriaci Spangenbergii p. 375) Weltschöpffer Herr Gott Jesu Christ p. 442. O Herre got in ewigkeit p. 558.
Pag. 83 H. LXXIX. v. 15 lege dominus.
Pag. 130 linea 20. lege persimilis.
Pag. 133 lin. 20. lege vitiis.
Pag. 137 lege pro H. CV. H. CXV.
Pag. 140 H. CXV. v. 48 lege a portis.
Pag. 145 H. CXIX. Voltarius (Dictionaire philosophique s. v. Delits locaux) permire refert, quae ad noctem Nativitatis Domini spectare videntur. Sed nescimus quid levissimo nugatori sit tribuendum: „Voici comme l'on célébrait la fête de noël dans

quelques villes. D'abord paraissait un jeune homme à moitié nu avec des ailes au dos, il récitait l'Ave Maria, à une jeune fille qui lui répondait fiat, et l'ange la baisait sur la bouche; ensuite un enfant enfermé dans un grand coq de carton criait en imitant le chant du coq: puer natus est nobis. Un gros boeuf en mugissant disait ubi, qu'il prononçait oubi, une brebis bêlait en criant Bethléem. Un âne criait hihanus pour signifier eamus: une longue procession précédée de quatre fous avec des grelots et des marottes fermait la marche."

Pag. 174 lin. 9 pro filia lege filio.

Pag. 190 S. Eugenius. Halloix Illustrium Eccl. Orientalis scriptorum etc. p. 277 haec habet: „Testis est Flavius Dexter ad Christi annum 130 S. Dionysii martyrium ab Eugenio celebratum elegantissimo carmine. Hilduinus quoque abbas in epistola ad Ludovicum Pium testatur S. Eugenium Toletanum scripsisse hymnum de b. Dionysio — — Istum hymnum depromptum ex sacro Dionysiani coenobii armario hic in medium proferimus. Est igitur hic:

Coeli cives applaudite
Mundi iocundo lumini,
Quo illustratur coelitus
Huius diei gratia.

Praecelsa defis martyris,
Sacrique vita antistitis,
Dionysii nobilis
Hodie palmam suscepit.

Areopago ecclesia
Regis sumpsit diadema
Coelestis, gemmam fulgidam
Dionysium sophistam.

Paullo docente, speculum
Habet fides fidelium,
Et spiculum gentilitas,
Quem ante murum nouerat.

Miro clarescens dogmate
Illuminavit Graeciam:
Et inclytus hinc pontifex
Urbem Romanam adiit.

Clemente Romae praesule
Iubente venit Galliam:
Cui iubar solis splendidi
Illuxit signis famine.

Tandem repulso daemone,
Constructo sacro opere,
Poenis aflictus maximis
Caesa cervice coelum adit.

Ave pater scandens polum:
Ave pie visens solum:
Annua festi munera
Tua sacrans praesentia.

Offer sacerdos optime
Gemitus nostros et preces:
Firma fidem martyr Dei,
Moresque nostros corrige.

Ope guberna fragiles,
In mundi huius pelago,
Atque exutos corpore
Pie benignus suscipe.

Quo, sine fine gloriam
Deo Patri cum Filio,
Una cum sancto Spiritu
Tecum canamus perpetim. Amen.

Pag. 206 H. CLXXII. in adnot. lege lin. 2 pro Hymnus — Hymnum.

Pag. 251 Non intelligo quid sibi velit nota Wackernagelii p. 862 „Die Gesänge des Thomas von Aquino sind von grosser Wichtigkeit für die katholische Lehre vom heil. Abendmahl, weil sie vom Genuss desselben in beiderlei Gestalt handeln und noch nichts von dem Sacrilegium des Kelchs wissen."

Pag. 255 in adnotat. lin. 9 ita lege privatae est devotionis, non publicae.

Pag. 304 H. CCCCXXI. v. 16 lege pro sepeiris — sepeliris.

I.

Index Hymnorum.

	Pag.
Ad coenam agni providi p.	88
Adest dies sanctus Dei	258
Adesto Christe vocibus	207
Adesto sancta Trinitas	275
Adoro te devote latens D.	255
Ad perennis vitae fontem	116
Ad regias agni dapes	88
Adsunt Annae sollemnia	288
Adsunt festa iubilaea	285
Adsunt tenebrae primae	199
Aeterna Christi munera et	27
Aeterna Christi munera nos	302
Aeterna coeli gloria	55
Aeternae lucis conditor	39
Aeterne rex altissime	196
Aeterni patris ordine	299
Aeterni patris unice	287
Agathae sanctae virginis	95
Agnis beatae virginis	94
Agnoscat omne saeculum	159
Ales diei nuntius	119
Alleluia dulce carmen	261
Alma chorus domini	273
Alma Christi quando fides	262
Alma parente genitus	294
Almi prophetae progenies pia	262
Altissimi verbum patris	234
Alto ex Olympi vertice	240
Amore Christi nobilis	92
Amorem sensus erige	274
Angulare fundamentum	240
Angustae vitae tempora	154
Anima Christi sanctifica me	345
Anni reduxit circulus	290
Anni voluto tempore	277
Annue Christe saeculorum domine	273
Antra deserti teneris sub annis	209
A patre unigenitus	234
Apollinaris martyris	246
Apostoli sollemnia	293
Apostolorum gloriam	207
Apostolorum passio	101
Apostolorum supparem	103
Apparebit repentina	194
A solis ortus cardine ad	143
A solis ortus cardine et	21
Auctor salutis unice	237
Audi benigne conditor	178
Audi iudex mortuorum	237
Audi tellus, audi	350
Aurea luce et decore roseo	156
Aures ad nostras deitatis preces	26
Aurora coelum purpurat	83
Aurora iam spargit polum	56
Aurora lucis rutilat	83
Aurora pulchre rutilans	279
Aurora velut fulgida	226
Ave caro Christi cara	344
Ave Catharina	304
Ave cuius conceptio	348
Ave dextra manus Christi	336
Ave dulcis mater Christi	347
Ave hierarchia	345
Ave maris stella	204
Ave pater Udalrice	311
Ave stans sub cruce	305
Ave virgo gratiosa	348
Ave vitae vitis	304
Beata Dei genitrix	277
Beata nobis gaudia	5
Beate martyr prospera	137
Beatus auctor saeculi	297
Bellator Dei inclytus	105
Bernardus doctor inclytus	292
Cantemus domino gaudia	269
Carnis servans munditiam	281
Catharinae collaudemus	315
Cedit hyems eminus	342
Cerne quam duris	198
Certum tenentes ordinem	45
Christe coelestis medicina	198

	Pag.
Christe coelorum conditor	70
Christe coelorum habitator alme	263
Christe cunctorum dominator alme	107
Christe Dei victoria	296
Chorus novae Ierusalem novum	222
Chorus novae Ierusalem promat	291
Christe lumen perpetuum	151
Christe lux mundi, salus et	152
Christe precamur annue	151
Christe qui lux es et dies	33
Christe redemptor omnium de	78
Christe redemptor omnium conserva	256
Christe vox coeli domine	46
Christe salvator omnium coelorum	152
Christe salvator omnium victorum	300
Christe sanctorum decus angelorum	218
Christe sanctorum decus atque virtus	265
Christi caterva clamitet	274
Christo profusum sanguinem	27
Christum ducem qui per crucem	340
Christus vere noster cibus	275
Cibis resumptis congruis	72
Clara die domini	287
Clara diei gaudia	289
Clarum decus ieiunii	178
Coelesti doctus lumine	295
Coelestis formam gloriae	290
Coelestis urbs Ierusalem	239
Coeli cives applaudite et	293
Coeli cives applaudite mundi	Add.
Coeli Deus sanctissime	60
Coelo ferunt Ambrosium	154
Coelorum rex altissime	274
Coelos ascendit hodie	343
Coelum coruscans intonet	274
Coelum digne tripudiat	296
Collaudemus Magdalenae lacrimas	311
Collaudemus toto corde	310
Concinat plebs fidelium	291
Conditor alme siderum	74
Conscendat usque sidera	279
Conscendat usque sidera coelique	291
Consolatrix pauperum	338
Consors paterni luminis	27
Consul aeterni trabeate regni	227
Convexa solis orbita	72
Corde natus ex parentis	122
Creator alme siderum	74
Crucis Christi mons Alverne	316
Crucis arma fulgentia	295
Crux benedicta nitet	168
Crux fidelis inter omnes	163
Crux mundi benedictio	225
Crux orbis salus perditi	225
Culter qui circumcidisti	341
Cultor Dei memento	129
Cum gesta Martini loquor	155
Cum sol ad cursum properat	259
Decus morum lux minorum	319
Decus sacrati nominis	18
Dei fide qua vivimus	71
De patre verbum prodiens	277
De sacro tabernaculo	285
De stella sol oriturus	288
Deus aeterni luminis	68
Deus creator omnium	17
Deus deorum domine	289
Deus ignee fons animarum	139
Deus pater ingenite	2
Deus perenne gaudium	155
Deus plasmator cunctorum	304
Deus qui certis legibus	42
Deus qui claro lumine	73
Deus qui coeli lumen es	66
Deus tuorum militum	109
Devota praesens concio	320
Dicamus laudes domino	45
Diei luce reddita	68
Dies absoluti praetereunt	235
Dies est laetitiae	330
Dies venit victoriae	295
Dionysio Christus dedit	155
Dulcis martyr eximius	227
Dum medium silentium	296
Ecce iam noctis tenuatur umbra	176
Ecce qui Christi decoravit aulam	268
Ecce tempus idoneum	182
Egredietur Emanuel	281
Elisabeth collaudemus	14
Emitte Christe spiritum	207
En clara vox redarguit	76
En gratulemur hodie	284
En gratulemur spiritu	260
En martyris Laurentii	136
En miranda prodigia	285
En Trinitatis speculum	333

	Pag.
Eremiterum cunei	279
Et hoc supernum munus est	154
Excelse princeps omnium	259
Ex more docti mystico	96
Exorta a Bethsaida	276
Exulta nimium turba fidelium	186
Exultent hodie iugiter	271
Exultet aula coelica	241
Exultet claro sidere	283
Exultet coelum laudibus	2427
Exultet mundi iubilo	280
Exultet orbis gaudiis	2427
Exultet laudibus sacrata concio	322
Felix mater Constantia	294
Felix per omnes festum	243
Felix praesul o Libori	319
Festi laudes hodierni	308
Festiva nobis gaudia	300
Festum insigne praesulis Amati	321
Festum insigne prodiit	183
Festum matris gloriosae	310
Festum nunc celebre magnaque gaudia compellunt	267
Festum nunc celebre magnaque gaudia festivis	272
Festum nunc celebre	326
Fidelis plebs cum angelis	226
Fidelis universitas	284
Fit porta Christi pervia	21
Fit porta Christi pervia referta	296
Fons beatus vitae perennis	202
Fons sapientiae corona praesulum	270
Fratres alacri pectore	212
Fratres unanimes foedere nexili	272
Fulgentis auctor aetheris	43
Gaude civitas Angusta	307
Gaude flore virginali	346
Gaude mater ecclesia	290
Gaude mater ecclesia nova	277
Gaudent coeli nova	261
Gaude Sion quod cypressus	309
Gaude visceribus mater in intimis	245
Gaudium magnum referunt p. a.	269
Gaudium mundi nova stella coeli	226
Gemma fulget ecclesiae	296
Genesius igitur ille iuvenculus	201
Gesta sanctorum martyrum	198
Gloria laus et honor	215
Gloriosi salvatoris	315
Grates Iesu tibi novas	47
Gratulare Caesarea	279
Gratulentur eremitae	314
Gratuletur ecclesia	304
Gravi me terrore pulsas	224
Haec tua virgo monumenta laudis	266
Heu quid iaces stabulo	335
Hic est dies verus Dei	49
Hic est verus Christicola	303
Hoc in templo summe Deus	239
Hora matutina Mariae nunciatur	339
Hominis superne conditor	61
Hostis Herodes impie	147
Huius diei gloria	287
Hymnis perdulcibus Magni praeconia	322
Hymnizemus canoribus	296
Hymnizet nunc plebs credula	289
Hymnis laudum praeconiis	278
Hymnum canamus gloriae	106
Hymnum canamus gratiae	294
Hymnum canentes martyrum	207
Hymnum cantat plebs iucunda	318
Hymnum Deo vox iucunda	314
Hymnum dicamus domino	81
Hymnum dicamus hodie	301
Hymnum dicat turba fratrum	191
Hymnum Mariae virginis	142
Hymnum novae laetitiae	290
Hymnum novae laetitiae regi	293
Iam Christe sol institiae	235
Iam Christus ascendit polum	154
Iam Christus astra ascenderat	64
Iam cursus horae sextae	71
Jam dies redit annua	299
Jam lucis orto sidere	56
Jam lucis splendor rutilat	69
Iam meta noctis transiit	3
Iam moesta quiesce querela	137
Iam regina discubuit	293
Iam sexta sensim volvitur	40
Iam sol recedit igneus	66
Iam surgit hora tertia	18
Iam surgit hora tertia et nos	70
Iam ter quaternis trahitur	81
Iesu Christe auctor vitae	238
Iesu Christi mater	262
Iesu cordis iucunditas	279
Iesu corona celsior	110
Iesu corona virginum	112

	Pag.
Iesu dulcis memoria	227
Iesu nostra redemptio	63
Iesu nostra redemptio Ioseph	280
Iesu quadragenariae	5
Iesu redemptor omnium	78
Iesu redemptor omnium perpes	249
Iesu salvator saeculi	297
Iesu salvator saeculi verbum	238
Iesus refulsit omnium	4
Illuminans altissimus	19
Illustret clare saeculum	296
Illuxit alma saeculi	208
Immense coeli conditor	58
In mea sunt memoria	340
In coelesti collegio	295
In hoc anni circulo	331
In maiestatis solio	276
In Mariam vitae viam	320
In matutinis surgimus	3
In natali domini	239
In passione domini	301
Insigne sidus claruit	299
Inventor rutili dux bone l.	131
Iste confessor domini colentes	248
Iste confessor domini sacratus	248
Iste confessor nobis intercessor	322
Iste martyr egregius	291
Lauda fidelis concio	302
Lauda mater ecclesia	221
Lauda mater ecclesia Thomae	280
Laudibus summis celebremus omnes	268
Laus regi plena gaudio	284
Lignum crucis mirabile	259
Lingua et cantus omnium	283
Lucis creator optime	57
Lucis huius festa	305
Lucis largitor splendide	1
Lux ecce surgit aurea	121
Lux lucis beatissima	306
Lux visa per caliginem	298
Ludovicus ut amicus	320
Magnae Deus potentiae	61
Magna Ioannis merita	225
Magnae laetitiae fulget lux hodie	226
Magne pater Augustine	313
Magne Vincenti nova lux Olympi	265
Magni palmam certaminis	102
Magno salutis gaudio	179
Magnum gaudium gignitur	300
Magnus ex prosapia magna procreatus	325
Maria mater domini	294
Martine confessor Dei	261
Martine par apostolis	261
Martyr Dei qui unicum	247
Martyr egregie	242
Martyris Christi canimus triumphum	245
Martyris ecce dies Agathae	9
Martyris sanctum celebrando festum	263
Mater digna Dei	349
Mediae noctis tempus est	142
Memento rerum conditor	78
Memento salutis auctor	78
Mente iucunda iubilent fideles	265
Meridie orandum est	72
Miraculum laudabile	97
Mundi creator maxime	294
Mundi salus affutura	311
Mysteriorum signifer	104
Mysterium ecclesiae	78
Nardi Maria pistici	179
Nigrante tectam pallio	150
Nocte surgentes vigilemus omnes	175
Noctis tempus iam praeterit	183
Noctis terrae primordio	141
Nobis sancti spiritus	344
Nox atra rerum contegit	54
Nox et tenebrae et nubila	120
Nomen iure sublimatum	317
Novum sidus emicuit	298
Novum sidus exoritur	290
Nunc Andreae sollemnia	208
Nunc angelorum gloria	328
Nunc sancte nobis spiritus	50
Nunc tempus acceptabile	235
Nunc tibi virgo virginum	294
Nuntium vobis fero de supernis	235
Obduxere polum nubila	29
Obsidionis obvias	142
O Christi mater coelica	284
O Christi mater fulgida	285
O Clara luce clarior	291
O Dei sapientia	299
O felix confessor Christi	307
O gloriosa domina	302
O lux beata Trinitas	36
O lux beata Trinitas tres	276
O mira dispensatio	294
Omnes superni ordines	298

	Pag.
Omnis fidelis gaudeat	301
Omnis mundus iucundetur	329
O nata lux de lumine	259
O Nazarene lux Bethlem	128
O nimis felix meritique celsi	210
O nimis Gerunda felix	202
O pater mitis clemens atque pie	267
O pater summe Ioachim puellae	264
O praeclara Constantia	326
Optatus votis omnium	62
O quam glorifica luce coruscas	245
Orabo mente dominum	23
O rex aeterne conditor	284
O rex aeterne domine	85
O rex aeterne domine virginum	364
O rex orbis triumphator	307
Ortu phoebi iam proximo	247
O sancta mundi domina	277
O sancte rerum reparator aevi	267
O sola magnarum urbium	127
O sponsa Christi fulgida	277
O Vote et Felix meriti patroni	266
Pange lingua gloriosae lanceae praec.	316
Pange lingua gloriosae virginis praec. 309.	315
Pange lingua gloriosi corporis mysterium	251
Pange lingua gloriosi coronam cert.	316
Pange lingua gloriosi praesulis praec.	308
Pange lingua gloriosi proelium certeminis	163
Parvulus nobis nascitur	333
Paschale mundo gaudium	84
Paschalis festi gaudium	223
Patris sapientia	337
Paule doctor egregie	225
Per nova mundus resultet gaudia	323
Perfectum trinum numerum	45
Petre pontifex inclyte	289
Placare Christe servulis	256
Plasmator hominis Deus	61
Plaude colestis curia	280
Plaude turba paupercula	295
Post matutinas laudes	44
Post Petrum primum principem	258
Praecessor almus gratiae	208
Praecessor altus luminis	208
Praeco praeclarus sacer et propheta	267
Praesens dies expendatur	315
Primo Deus coeli globum	208
Primo die quo Trinitas	172
Primo dierum omnium	172
Proles de coelo prodiit	295
Puer natus in Bethlehem	334
Puer nobis nascitur	333
Quae lingua possit, quis valeat stilus	154
Qua hora Christus sitiit	169
Quem pastores laudavere	330
Quem pia virgo genuit	315
Quicunque Christum quaeritis	135
Quid Stephano potentius	242
Quod chorus vatum venerandus olim	242
Ramos virentes sumpserat	
Rector potens verax Deus	51
Regis regum civis ave	317
Remigius praesul meritis ortuque venustus	274
Rerum creator optime	53
Rerum Deus tenax vigor	52
Resonet in laudibus	327
Rex aeterne domine	85
Rex angelorum praepotens	243
Rex Christe factor omnium	180
Rex Deus immensi	190
Rex gloriose martyrum	248
Rex gloriose martyrum remunerator	286
Rex sanctorum angelorum	260
Rex sempiterne coelitum	85
Rochi coniubilent	271
Sacrae Christe celebremus	301
Sacrae parentes virginis	299
Sacratum hoc templum Dei	106
Sacris sollemniis iuncta sint gaudia	252
Saevus bella serit	112
Salvator mundi domine	274
Salve sancta caro Dei	344
Salve sancta facies	341
Salve caput cruentatum	266
Salve crux sancta, salve	243
Salve felix miles Christi	308
Salve festa dies toto venerabilis aevo	169
Salve lutta Deo grata	307
Salve pater et patrone	318

	Pag.
Salvete flores martyrum	124
Salve tropaeum gloriae	208
Salutis humanae sator	63
Sancte Dei pretiose	241
Sancti venite	308
Sanctorum meritis inclyta gaudia	203
Senatus apostolici	208
Sermone blando angelus	83
Sermone verax angelus	83
Sidus coruscat aureum	283
Sidus solare revehit	286
Signum crucis mirabile	259
Sol angelorum respice	257
Sol, astra terra aequora	257
Sol clare fulget radio	286
Sollemnis dies advenit	278
Sollemnis dies rutilat	283
Sol luna coelum sidera	258
Somno refectis artubus	26
Sperati sancti martyris	202
Spiritus sancti gratia	341
Splendor paternae gloriae	24
Squalent arva soli	31
Stephani corona martyris	90
Stephano primo martyri	90
Summae Deus clementiae	34
Summae parens clementiae	34
Summi largitor praemii	182
Suprema mater inclyta	279
Surrexit Christus hodie	342
Te Christe rex piissime	110
Te ferant linguae celebrent et omnes	266
Telluris alme conditor	59
Telluris ingens conditor	59
Tellus et aethra iubilent	233
Te lucis ante terminum	52
Te lucis auctor personent	258
Tempus noctis surgentibus	67
Ter hora trina volvitur	41
Termis ter horis numerus	173
Terrena cuncta iubilent	226
Te splendor et virtus patris	220
Thomas insignis genere	280
Tibi Christe splendor patris	220
Tristes erant apostoli	83
Tristes nunc populi	114
Tu Christe nostrum gaudium	197
Tu Trinitatis unitas	35
Urbs beata Hirusalem	239
Urbs beata Viennensis	239
Ut Antonini gloriam	309
Ut lux aurora rutilat	292
Ut queant laxis resonare fibris	209
Ut virginem foetam loquar	155
Vatis Cypriani et martyris	153
Veni creator spiritus	213
Veni redemptor gentium	12
Verbum patris principium	258
Verbum procedens a patre	275
Verbum supernum prodiens	77
Verbum supernum prodiens nec	254
Vexilla regis prodeunt	160
Vidit anguis immolatam	166
Virginis proles opifexque matris	250
Virginis sacrae triumphum	200
Virginis sponsum Mariae fidelem	263
Virginis virgo venerande custos	226
Virtus perennis omnium	290
Virtutum praemia suggerit aurea	270
Vita sanctorum decus angelorum	238
Vita sanctorum via spes salusque	269
Votiva cunctis orbita (gaudia)	289
Vox clara ecce intonat	76

II.

Index Rerum.

Numerus denotat hymnos, p. litera paginam.

Abdon et Sennen a Decio Romam advecti 91, 13—16.
Abraham quinque reges superat 101, 13—16.
S. Adelheydis abbatissa alapis medetur raucitati vocis p. 211
Aetnaeus ignis velo S. Agathae repressus 155, 72—75
ἀήρ unde descendat 6, 7. n.
S. Agathae cultus 9, n. velum 155, 72—75 sepulcrum 85, 29—32. n.
Agatha et Agathe 84, l. n.
ἅγιος unde derivandum sit 6, 7. n.
S. Agnetis in ecclesia honor. 84. n. Agnes, Agna, Agne 84, l. n.
Alexandria regina 88, 25.
Alleluia tempore Quadragesimae intermissum p. 262.
S. Ambrosius quomodo episcopus electus sit 87, 12—24. reperit SS. Gervasii et Protasii corpora 38 n. Arii haeresin Mediolani exstirpavit 87, 9—12. 25—40.
Andreas, quid hoc nomen significet 8, 3. n.
Angelorum cibus 102, 45. n. angeli adorant Christum ascendentem 161, 25—28 n. ante nativitatem Christi ab hominibus se adorari patiebantur sed postea non item p. 197 cernunt corpus Christi in eucharistia. p. 253.
Animalia in diversorio ubi Christus nascebatur. p. 234.
Arvina 109, 9. n.
Asinus Iesum infantem adoravit. p. 334.
Assumptio Mariae a Lutheranis celebrata p. 246.
Athletae vocis etymologia 6, 7. n.
Ave, ἀ privativum et vae 171, 5. n.
Avena in festo S. Stephani benedicitur p. 242.
Avernus quid proprie significet 6, 7. n.
S. Barbara succurrit morientibus 144, 33. n.
Beatorum in coelo gloria 102, 22 sq.
Beatitudinis aeternae descriptio 102, 13—21. n.
S. Benedicti miracula 185.
Blasphemare, huius vocis etymologia perversa 6, 7. n.
Breviarii Romani in Sanctorum historiis sobrietas 88 n. paucas praescribit Octavas. 88, n.
Bos cognovit praesepe domini sui. p. 334.
Canticum de vino p. 282.
Cardinalis graecae linguae mirifice ignarus 6, 7. n.
Carne i. e. incarnatione Christi caro mundata est 39, 20. 162, 27. 28.
S. Carolus M. ubinam colatur p. 305. bella eiusdem cum Sarracenis et Aygolando fabulosa p. 306.

Carthusianorum breviarium paucitate hymnorum notabile p. 144 n.
Cereus paschalis, quid significet, quo modo sit benedicendus 111, n.
Christinae nomen 165 10—11 eadem in Hispania antiquitus culta p. 201.
Christus geminae gigas substantiae 10, 15. n. cf. 15, 20. Dei manus 159, 5. n. 295, 3. n. sacerdos et hostia 160, 15. 16. aries 295, 142. coelestis medicina patris 163, 1. imperator p. 303. hortulanus et colonus mentium 439, 15 sqq. verus Lucifer 1, 5. 4. 8. 58, 15. lapis non praecisus 15, 25—28. vitis vera quae in cruce vinum rubrum propinavit 141, 16. 17. n. Quinquaginta duo redemptoris nomina in unum carmen redacta 295. cf. 159, 3—5.
Christus comparatur cum gallo 103, 1. n. cum pellicano 262, 21. n.
Christus natus ante exordium mundi 106, 1. ab ore patris genitus 96, 2. vel divino ore editus 37, 10. natus ex corde parentis 106, 1. n. verbum de corde parentis 159, 3. Christus in terram venit mundo senescente 72, 9. n. versabatur in utero Mariae sicut in templo „deinde processit sol ex thalamo“ 10, 13—15. n. in praesepio ab animalibus adoratur 245, 7. parvus multa miracula patravit 159, 18. est alumnus Iosephi 270, 26. ieiunio suo miraculoso pro gula nostra satisfecit 6, 5—8. n. in cruce sicut agnus assatur 81, 5. 6. n resurgens reserat paradisum 80, 24 cur cicatrices discipulis ostenderit 79, 37. n. ascendens liberavit patres e limbo 187, 6. 191, 9—12. 56, 8—12. 80, 41—44. 55, 11. 12. victricem carnem patri repraesentat 55, 11. 12. revertet ad iudicium nube rubente et flammivoma 161, 45. 157, 17.
Coelibatus comparatur cum beatitudine aeterna 74, 16. n. 349, 27.
Coemeterium quid proprie significet 6, 7. n.
In coena domini captivi libertate donantur 208, 29 n.
Colonia trium regum reliquiis ditata p. 278.
Completorium olim habebat hymnos proprios 43, n.
Computandi ratio prorsus singularis 183, 37. n.
Confessorum inopportuna laudatio 98, 25—28.
Corpora coelestia quid doceant Christianos 72, 17—20. n.
Corporis Christi festum quid habeat affinitatis cum Nativitate Domini p. 254. non admittit carmina vulgari sermone confecta p. 252. saeculo decimo sexto a Lutheranis passim celebratum p. 252.
Crapula quid noceat castitati 77, 12—16. n.
Crato Cynicus 83, 29—32. n.
Crux Christi ex arbore paradisi fabricata 141, 10. n. 197, 4. in Christo moriente poma gessit nova 141, 10. crucis signo se munierunt veteres Christiani in fronte, in ore, in pectore 110, 8. n. erat ipsis vexillum fidei 80, 36. crucis signum quid efficiat 110, 5 sqq. fugat daemonum catervas 110, 21 sqq. evangelico homini minime reiiciendum 110, 8. n.
Cyxilla archiepiscopus Toletanus 157, 97. n.
Daemones nocturno tempore vagantur et insidiantur 19, 6. 25, 9. 10.
Dedicatio S. Michaelis est festum omnium angelorum p. 219.
Dextra manus significat vitam aeternam 183, 37. n.
Diabolus, huius vocis etymologia 6, 7. n. diabolus perfidus 1, 19. invidus 12, 27. 17, 14. improbus 77, 12. Serpens callidus 77, 7. 86, 75. tortuosus 110, 17 sqq. profanus p. 166. coluber pravus et invidus 157, 31. hydrus 161, 43. hostis antiquus 80, 33. aemulus castitatis 345, 13. multiformis 140, 7. pervicax monstrum 96, 22, diaboli post mortem Christi furor p. 166.
Diabolus comparatur cum Pharaone 81, 12. n. 192, 37. 38.

Digitorum loquela et computatio 183, 37. n.
Dona Spiritus sancti enumerantur 185, 9. n.
S. Dorotheae succurrit morientibus 144, 33. 35.
Ebrietas spiritus sancti 17, 24. n.
Elias an propter ieiunium in coelum evectus sit 148, 7. 8. n.
Epiphania nutrix Christi 6. 7. n.
Epiphania, orum, arum 14, 21. n.
Festum Epiphaniae dies virtutum Christi natalis 14, 25—28. n. recolit panis multiplicationem ib. nec non Lazari resuscitationem 120, 120, 13—16. n. Nocte Epiphaniae flumina fluunt vinosa 130, 16. n.
Et in initio saepius omissum 4, 4. n.
Et et ut confusa 16, 4. n.
Eva cum Maria comparatur 171, 5—8.
Exordia hymnorum permutata 1, 1. n.
Fax, mira vocis etymologia 111, 14. n.
Festum Commendationis Mariae p. 302. Compassionis ib. Coronae dominicae p. 161 Crucifixionis 162, n. Desponsationis p. 299. Eductionis ex Aegypto p. 300 Faciei Dominicae p. 161. Gaudiorum Mariae p. 300 Inductionis in Aegyptum ib. Inventionis pueri ib. Lanceae et Clavorum p. 161. Nominis Iesu p. 231. Passionis Domini p. 161. Redemptoris ib. Sanguinis ib. Sacrorum V. vulnerum ib. Transfigurationis quando in Germania sit celebratum 112, n. Translationis trium regum p. 278.
Festum S. Petri et Pauli Romae antiquitus cum ingenti populi concursu celebratum 90, 25—32.
Fides comparatur cum pisce bono mundi salum supernatante 83, 13. 14.
Foenum ex praesepe Christi inter reliquias asservatum 119, 21. n.
Gabriel archangelus, nomen eius et officium 188, 9—12.
Gallus venturae lucis nuntius 103, 1. n. 159, 65.
Gastrimargia, perversa huius vocis etymologia 6, 7. n.
S. Genesius martyr in Gallia et Hispania cultus p. 202.
S. Georgius *μεγαλομάρτυς* 88, n. signifer martyrum 223, 11. 12. certaminis eius cum dracone apud antiquos mentio fit nulla 88, n.
P. Gerhardus S. Bernardi imitator p. 233.
SS. Gervasius et Protasius martyres inventi et miraculis clari 38, n.
Geylana cum Herodiade comparatur 287, 15.
Graeserus notatur 92, n.
Graecae linguae apud veteres hymnorum interpretes supina ignoratio 6, 7. sq. n.
Graecae voces in vetustis hymnis creberrimae 5, 20. n.
Guido Aretinus sex notas syllabicas introduxit p. 210.
S. Hieronymi praeconium 282.
Ieiunium quid in sanctis effecerit 148, 5—12.
Iesus v. Christus.
Innocentes pueri, cur martyres dicti 107, 1. n.
Innovare, vox propria de baptismo etde chrismatis unctione 110 4. 12. 159, 62. 216, 20.
S. Ioannes Baptista lucerna Christi 179, 3. victus eius et habitus 183, 17—24. comparatur cum gallo 11, 6. contra raucedinem vocis patronus p. 211.
S. Ioannes Evangelista erat piscator 83, 5—8. piscatus est verbum Dei 83, 10. apud Ephesum scripsit evangelium 313, 7. 8. eiusdem cum Cratone cynico dissidium 83, 29—32. n. dilectior erat

Halis ex Officina Ed. Heynemanni.

THESAURUS

HYMNOLOGICUS

SIVE

HYMNORUM CANTICORUM SEQUENTIARUM CIRCA ANNUM MD USITATARUM COLLECTIO AMPLISSIMA.

CARMINA COLLEGIT, APPARATU CRITICO ORNAVIT, VETERUM INTERPRETUM NOTAS SELECTAS SUASQUE ADIECIT

HERM. ADALBERT. DANIEL,
PHILOS. DR. SOCIETATIS HISTORICO-THEOLOGICAE LIPSIENSIS SODALIS.

TOMUS SECUNDUS.

SEQUENTIAE. CANTICA. ANTIPHONAE.

LIPSIAE
SUMPTIBUS J. T. LOESCHKE.
MDCCCLV.

VIRO EXCELLENTISSIMO

IOAN. ALBR. FR. EICHHORNIO

SUMMO

RERUM SACRARUM ET SCHOLASTICARUM

IN REGNO BORUSSIAE PRAEFECTO

HOC OPUS

EXIMIAE ET GRATAE VENERATIONIS

DOCUMENTUM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Prolegomena.

Alteri huic nostri operis volumini praefaturus vel maxime gaudeo, ab eo mihi officio, quo nemo bonus, teste ipsa scriptura sacra (Ps. XCI, 2.), sine eximia animi voluptate defungi potest, gratiarum actione, initium esse faciendum. Debeo autem has gratias primum Deo benignissimo, qui in laboribus ut corporis vires, ita animi constantiam mihi concessit. Debeo porro ei Viro maxime Venerando, quem rebus patriae nostrae sacris Regia sapientia summum praefecit moderatorem, quod pro ipsius munificentia omnes quas iter longinquum desiderabat opes suppeditaverit, sic ut ea, quae in Bibliotheca Monacensi Regia latent subsidia hymnologica, ipse praesens in lucem protrahere atque in usus meos convertere possem. Debeo denique cum omnibus amicis atque fautoribus qui consilio vel subsidiis literariis me adiuverunt, tum eis qui operis mei in Ephemeridibus Theologicis et in Germania et apud Gallos publice iudices exstiterunt, quorum quidem iudicia mihi non solum quod multis in rebus me dedocuerunt, exoptatissima erant sed etiam quia sicubi animum laboribus fatigatum deprehendebam, stimulum haesitanti iniecerunt.

Sed iam transgrediendum est ad ea quae ipsum huius voluminis argumentum spectant: in quo volumine cur ea, quae sub nomine Sequentiarum vel Prosarum feruntur carmina sacra lectori exhibuerimus, ante omnia ratio videtur reddenda esse. Triplex autem causa est: primum quia haec carmina ex suo cuiusque nationis ingenio tanquam sua ex radice progerminarunt eamque ob causam eum qui cuiusque populi proprius est colorem prae ceteris referunt; tum quia eorum praeter hanc etiam aliae laudes propriae sunt, imo nonnulla ita excellunt ut celebratissimis hymnis vix cedant, denique quia quum in usum sacrum fere adhibitae non sint, multo minus quam hymni innotescere potuerunt, sic ut multas quasi quendam θησαυρὸν κεκρυμμένον iure appellaveris. Hunc ipsum quum iam in usum omnium eruere pro viribus studerem, antequam hoc volumen in lucem prodiret, librum de Sequentiis ut doctissimum ita mihi quidem exoptatissimum edidit F. Wolfius qui vir, cum ingenio, acumine, doctrina maxime excellat, tum in literis omnium nationum Europae ita versatus est ut pauces pares habeat. Quam quidem ipsi in strophis Sequentiarum enucleandis rationem secuti sumus, in ea Wolfium auctorem non habuimus, quum instituti nostri ratio, antequam viri docti liber typis excusus esset, nobis constaret. Nam quum illi, A. Schmidii amici in his rebus versatissimi auctoritatem secuto, ex notis musicis vetustis codicibus inscriptis (νεύματα), nobis ex numero syllabarum suum cuique Prosae metrum adsignare visum est. Quae discrepantia quum neminem fugiat, fit tamen interdum ut diversis viis ad eundem finem perveniamus, quamquam etiam hoc in genere me illo viro inferiorem fateri nihil dubito. — Numerus Sequentiarum tantus est, ut etiam in hoc opere ex iis optima quaeque vel notatu dignissima exhibuisse satis haberemus; non nullarum tantum partem quantulamcunque, aliarum adeo nihil nisi nomen vel exordium licuit proferre. Quo

delectu si cui non satisfecerimus, ei suademus ut A. Schmidium, Bibliothecae Viennensis Caesareae custodem doctissimum adeat, cuius optimi viri liberalitas tanta est ut publicis laudibus eam non possimus non extollere. Hic mihi vir schedam ostendit, diligentissima manu conscriptam, in qua trecentarum et quod excedit, Sequentiarum prima verba ita notata habes ut in quo quaecunque libro vel manuscripto vel typis expresso quaerenda sit, statim pateat; idem quum etiam musicarum quae Prosarum propriae sunt rationum peritissimus sit, neminem spero, si quando hunc virum adierit, poenitebit.

Quae Sequentias excipiunt Cantica et Antiphonae in iis et ipsis ut par erat modum servavimus. Nam ea tantum recepimus, quae vel propter metricas rationes notatu digna vel usu sacro satis nobilitata videbantur. Reliqua autem quae vel soluta oratione confecta sunt, vel ne in usum quidem sacrum adhibiti, merito ex thesauro nostro excludenda censuimus.

Appendix denique continet tum corollarium carminum e medio quod vocatur aevo oriundorum, quae utrum sacrum usum obtinuerint nec ne incertum est; tum delectum carminum quae post restaurationem sacrorum in ecclesia Romana nata sunt. Nam etiam huius generis exempla ne lectores in thesauro nostro desiderarent, videndum nobis esse existimavimus. Quas serioris temporis cantilenas si commentario non instruendas nobis censuimus, non veremur, ne in reprehensionem incurramus, praesertim quum quinam earum sint auctores, fere ubique lateat.

Iam nostrum est de libris manuscriptis et subsidiis literariis, quibus in hoc volumine usi sumus, paucis disserere.

A. Codices Monacensēs.

Iter Monacense, quod iam supra grata mente commemoravimus, suscepimus aestate ad finem vergente anno MDCCCXLII: neque spem nostram eventus fefellit. Quippe in illius urbis celebratissima bibliotheca plurimos eosque optimos invenimus libros manuscriptos, quorum nobis aditum Vir Doctissimus I. G. Krabingerus ea qua insignis est liberalitate patefecit. Ex Codicibus autem liturgicis, qui quidem multi illic reperiuntur, hos inspexi:

I) Cod. St. Emmerami C. LXVII. saec. VIII. vel IX. continet commentarium S. Augustini in Psalmum CX., praeterea non nulla cantica ecclesiae vetusta, ut Te Deum et Gloria (M. 1.)

II) Cod. St. Emmerami D. XXXVI. saec. IX. Inest Commentarius Alcuini in Matthaeum et canticum Exultet (M. 2.)

III) Cod. saec. IX. vel X. l. 3. CXLIV. habet aliquot vetustissimos hymnos (M. 3.)

IV) Cod. saec. X. ex Bibl. S. Emmerani complectitur carmina Prudentii (M. 4.)

V) Notkeri Liber Sequentiarum cum prologo Notkeri, saec. XI. Sequentias Notkeri triginta octo excipit carmen Godeschalki: Laus tibi Christe aliaque seriori tempore adnexa. In Litania quadam commemorantur Conradus imperator, Gebhardus episcopus Ratisbonensis, Gregorius praesul monasterii St. Emmerami (M. 5.)

VI) Cod. St. Emmerami A. LXXXIII. saec. XI. praecedenti consimilis. Leguntur in hac membrana Sequen-

tiae Notkeri quibus aliae aliorum poetarum admixtae sunt. Sequuntur hymni aliquot et cantica (M. 6.)

VII) Breviarium Monasterii Michael-Burani Ordinis S. Benedicti Dioeceseos Salisburgensis saec. XII. cum picturis et initialibus. (Ex Cimel. 54.) Est potius Graduale vel Antiphonarium (M. 7.)

VIII) Missale Ordinis Praemonstratensis incertae aetatis. Ita Catalogus Bibl. Regiae. At vero cum festa S. Benedicti uti primaria Communi Sanctorum inscripta sint, vero similius esse videtur, fuisse monachorum S. Benedicti. Quod pertinet ad aetatem, adsigno librum saec. XII. Desiderantur enim festa Conceptionis et Visitationis Mariae, memoriae S. Francisci et Thomae Cantuariensis, porro Commemoratio Fidelium Defunctorum. Carent Octavis Assumptio et Nativitas Mariae et Festivitas Omnium Sanctorum (M. 8.)

IX) Cod. incertae aetatis, fortasse saec. XII. ex dioecesi Augustana ut videtur. Repperi cantica Gloria, Exultet e. a. (M. 9.)

X) Cod. St. Emmerami G. VII. Missale saec. XII. Canon tamen saec. XV. conscriptus. Haec suspicatur Catal. Bibl. Reg. Puto tamen totum librum exaratum esse saec. XIV., sedem Romanam obtinente Clemente sexto, cuius in precibus libri ecclesiastici fiat mentio (M. 10.)

XI) Cod. St. Emmerami l. 5. saec. XII. Occurrunt enim in cantico Exultet nomina Henrici imperatoris, Henrici ducis (Bavariae) Hartwici episcopi Ratisbonensis. Insunt permultae Sequentiae (M. 11.)

XII) Graduale et Antiphonarium ex monasterio Ebersbergensi, incertae aetatis (M. 12.)

XIII) Breviarium (rectius Psalterium) ex Bibl. Aderspacensi Monial. Ordinis Cisterciensium circa finem saec. XIII. cum picturis atque initialibus pretiosissimis. Notatu dignum est in imagine Epiphaniae adiectae inter tres reges non inveniri Aethiopem sed omnes esse albi coloris cf. I. B. Rousseau Purpurviolen etc. I. II. p. 162 sq. (M. 13.)

XIV) Missale saec. XIII. ex Bibl. Palatina Mannh. 76. (M. 14.)

XV) Breviarium Bibl. SS. Andreae et Magni Ordinis S. Francisci incertae aetatis, fortasse saec. XIII. (M. 15.)

XVI) Breviarium monasterii Thierhauptiensis saec. XIII. (M. 16.)

XVII) Missale monasterii Tegernseensis, anno MCCCCXCIV. confectum. (M. 17.)

B. Codices Vindobonenses.

Sed quo largiores fructus ex itinere Monacensi operi meo redundaverunt, eo magis etiam Viennensis Bibliothecae Caesareae adeundae me cepit desiderium. Itaque anno insequente sub tempus autumnale in iter me contuli et in metropoli imperii Austriaci duas septimanas continuas in libris manuscriptis evolvendis desudavi. Neque vero tantum codicum optimorum notitia admodum me iuvit, verum etiam literaria cum celebratissimis hymnologis F. Wolfio et A. Schmidio, viris de carminibus ecclesiae unice meritis, colloquia.

I) Codex saec. X., regnante Ottone primo conscriptus. (Num. Rec. Bibl. 1888), obtulit nobis vetustissima cantica Gloria e. a. (V. 1.)

II) Cod. membr. saec. XI. num. rec. 1841. „Liturgica complectitur, saltem priori parte, olim ad S. Germanum Spirense tunc coenobium Ordinis S. Benedicti a Dagoberto I. fundatum pertinentia. fol. 47 — 58 Liber Sequentiarum Notkeri (V. 2.)

III) Cod. membr. saec. XI. num. rec. 1043. item exhibet Sequentias Notkeri (V. 3.)

IV) Cod. membr. saec. XI. num. rec. 1832. celebratissima exhibet cantica (V. 4.)

V) Cod. membr. (Missale) saec. XII. num. rec. 1821 olim ad Canonic. Regular. S. Hippolyti in Austria infer. collegium pertinens (V. 5.)

VI) Cod. membr. saec. XII. num. rec. 1106. Inest Breviarium monasticum (V. 6.)

VII) Missale saec. XIV. rec. num. 1786. (V. 7.)

VIII) Missale sc. XV. dioeceseos Brixinensis cum picturis elegantissimis. Num rec. 2951. (V. 8.)

C. Missalia typis excusa.

1) *Accipite optimi sacerdotes Missale iuxta morem Romane ecclesiae expletum: cum aliquibus missis additis; quas cetera missalia impressa non habent. Andree de torresanis de asula mira arte impressum: in florentissima civitate Venetiarum. Tempore sanctissimi D. pape Alexandri sexti qui precepit festum Aurelii Augustini solemnizare: sicut festum unius apostoli tam a laicis quam a clericis: et hoc fuit ex sollicitudine et impensis cuiusdam Reverendi magistri or-*

dinis heremitarum sancti augustini. Imperante Augustino Barbadico venetorum principe felicissimo. Anno ab incarnatione domini M. CCCC. XCVII. die XV. Maii. (Aug. 1.)

II) *Missale Romanum noviter impressum cum annotationibus in margine ad facillime omnia quae in ipso ad alias paginas remittuntur invenienda. Et quum alicuius Sancti missa imperfecta est notatus est locus ubi inquiri debeat. Insuper cum figuris festivitatum ac evangeliorum initia exornantibus iuxta materiam contentum diligentissime accommodatis. In fine legitur: Accipite optimi sacerdotes Missale iuxta morem Romanae ecclesiae expletum solertique diligentia revisum et castigatum: Iussu et impensis nobilis viri Lucantonii de ginuta florentini: Leonardo Lauretano serenissimo Venetiarum principe imperante: Anno a nat. domini M. CCCC. IX. XI. Kalendas februarii in alma Venetiarum urbe impressum et devotis deum omnipotencem maximum celebrationibus studiosissime (ut debetis) tolite: ad cuius laudem tanto ministerio dignos vos efficere dignatus est. Laus deo.* — Est Missale Ordinis Eremitarum S. Augustini, praecedenti persimile. (Aug. 2.)

III) *Missale Ecclesiae Brandenburgensis*, ex parte mutilum, initio saeculi decimi sexti typis impressum. (Br.)

IV) *Missale praeclarum et integerrimum ad usum Cisterciensis ordinis novissime per queundam eiusdem ordinis monachum apprime castigatum et ad formam debitam redactum arte vero et diligentia honesti viri Volfgangi Hopilii alme universitatis Parisiensis librariil impensis honestorum virorum Auguilberti et Gaufredi de marne fratrum prefate universitatis librariorum iuratorum feliciter exaratum. Anno incarnationis dominicae Millesimo quingentesimo IIII. sex-*

ta die mensis Aprilis et in Pellicano vici sancti Iacobi parisiis venale reperitur. Cisteaux. Clarevaulx. (Cs.)

V) Missale Ecclesiae Coloniensis saeculo decimo sexto typis excusum (Col.)

VI) Missale dioeceseos Eychstaedtensis, circa annum MD. typis excusum. (Es.)

VII) *Liber Missalis per integrum Iohannem Sensenschmidt de Babenberga. Anno domini MCCCCLXXXVII. secundo vero kalend. septembris impressus finit feliciter.* Est liber dioeceseos Frisingensis. (Fr.)

VIII) *Missale secundum veram rubricam et ordinarium ecclesie Mindensis solerti cura impressum: in officina providi viri Georgii Stuchs ex Sultzbach civis Nurenbergensis. Anno salutis M. D. XIII. XIIII. Kal. Iulii.* (Md.)

IX) Missale Moguntinum anno MCCCCLXXXII. typis impressum. (Mg.)

X) *Explicit Missale secundum stilum sive Rubricam Numburgensis dioecesis solerti studio emendatum atque Basilee impressum per honestum virum magistrum Iacobum de Pforczheim Anno dominice incarnationis millesimo quingentesimo decimo septimo Die vero X. Mensis Maii.* (Nb.)

XI) *Missale candidissimi ordinis Praemonstratensis ad unguem recognitum et adauctum etc. Parisiis MDXXX.* (Pm.)

XII) *Missale de tempore et sanctis secundum ordinarium archiepiscopatus alme ecclesie Pragensis opus*

certe insigne atque laudabile fideliterque eliminatum et cum quottis foliorum et cum remissionibus tam epistolarum quam evangeliorum nec non cum integris introitibus in communi sanctorum additis finem accepit Venetiis. Anno 1507. *die* 8. *Novembris. In edibus Petri Liechtenstein Expensis vero honesti et providi viri Wenceslai Kaplitzer Bohemi* (Pr.)

XIII) Missale Pataviensis ecclesiae, anno MCCCCXCI. typis excusum.

XIV) *Sacrum sanctumque hoc opus ad honorem et gloriam omnipotentis Dei ac Domini nostri Iesu Christi impressum Romae per venerabilem virum magistrum Stephanum Plannck de Patavia. Sub anno millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo die vero quinta mensis Marcii Regnante sanctissimo in Christo patre et domino nostro Sixto divina providentia papa quarto Anno eius undecimo.* (Rm.)

XV) *Finit ordo Missalis diligenter emendati: cum officiis novis secundum consuetudinem romane curie impressi Venetiis die primo Maii M. CCCCIXXIX.* (Vn.)

Reliqui libri qui mihi ad manum erant, uno excepto commemorati sunt in Prolegomenis Tomo rimo-praemissis. Nota vero (Ad) significat hunc librum: *Sequentiarum luculenta interpretatio nedum scholasticis sed et ecclesiasticis cognitu necessaria per Ioannem Adelphum physicum Argentinensem collecta. Anno Domini MDXIX.* —

Forsitan exspectes, lector, me in praefatione etiam quo animo hunc librum scripserim tibi exponere. Equidem ut quid voluerim paucis verbis dicam, id semper egi ut quantum possem nunquam oblitus sim *μακαρίσμου*

dominici: Beati pacifici quoniam filii dei vocabuntur. Cum mihi dubium non esset, quin is demum veteribus hymnis frui posset qui animum oculosque ecclesiae antiquae ita advertat, ut cum eis qui carmina illa pulcherrima nobis reliquere, quasi vivat et inter illos quasi commoretur, hanc ipsam mihi legem nullo non tempore sequendam duxi. Qua quidem in re meum erat ab his carminibus iniurias, si quae a nostris eis illatae esse videbantur, quomodocunque poteram et vel magnorum virorum spreta auctoritate (si opus erat) abigere. De industria autem feci, ut antequam hoc opus absolverem absolutumque publici iuris facerem, selecta ecclesiae evangelicae carmina in corpus redacta in lucem ederem: *) nam sicut hymnos ecclesiae veteris latinos aeque evangelicae ac catholicae, ita etiam hymnos ecclesiae evangelicae non huic solum sed etiam Romanae offero. Certe enim quas ecclesias temporum necessitate symbola Bergense et Tridentinum in duas partes discissere eas flammae pietatis, quam hymni utriusque ecclesiae spirant, quodammodo conglutinasse videntur.

Quod reliquum est, ut a gratiarum actione initium feci, ita nec finem facere possum, quin duobus viris gratias agam qui de hoc libro, ut ita dicam, nascendo optime meriti sunt. Horum alter est Chr. Diedrich, philos. doctor, vir inde a iuvene amicitia, familiaritate, studiis et duo per lustra etiam muneris societate mihi coniunctissimus, qui quotiescunque dubius haerebam, consilio et opera mihi adstitit: alter est iuvenis optimae

*) Evangelisches Kirchengesangbuch oder Sammlung der vorzüglichsten Kirchenlieder, theils in alt-kirchlicher Gestalt mit den Varianten von Bunsen, Stier, Knapp, dem Berliner Liederschatz und dem Würtembergischen Gesangbuchs-Entwurf, theils in abgekürzter und überarbeiteter Form. Mit einleitender Abhandlung und einem biographischen Register der Lieder-Verfasser. Halle bei Joh. Fr. Lippert. Halle 1842.

spei, Ludovicus Spliethius, linguarum orientalium studiosus, qui naevis typographicis exstirpandis atque indicibus addendis diligentissime et indefesso industriam et operam navavit.

Scribebam Halis in Paedagogio Regio
die I. Decembris. MDCCCXLIII.

Herm. Adalb. Daniel
PH. DR.

I.

SEQUENTIAE.

A.

S. NOTKERUS

et

NOTKERIANAE.*)

I.

De Nativitate Domini.

1. Eia reclamus laudibus piis digna.
2. Huius diei carmina, in qua nobis lux oritur gratissima.
3. Noctis inter nebulosa pereunt nostri criminis umbracula.
4. Hodie saeculo maris stella est enixa novae salutis gaudia.
5. Quem tremunt barathra, mors cruenta pavet ipsa, a quo peribit mortua.
6. Gemit capta pestis antiqua, coluber lividus perdit spolia.
7. Homo lapsus, ovis abducta, revocatur ad aeterna gaudia.
8. Gaudent in hoc die agmina angelorum coelestia.
9. Quia erat drachma decima perdita et est inventa.
10. O culpa nimium beata, qua redempta est natura.
11. Deus, qui creavit omnia, nascitur ex femina.
12. Mirabilis natura, mirifice induta, assumens quod non erat, manens quod erat.
13. Induitur natura divinitas humana: quis audivit talia, die rogo, facta.

---

*) Habet eas Codex Monac. 5. (cf. Prolegomena). Omisi tamen eas, quae nisi fallor secunda cura adjectae sunt: de Trinitate duas et unam de Natali S. Dionysii.

14. Quaerere venerat pastor pius quod perierat.

15. Induit galeam, certat ut miles armatura.

16. Prostratus in sua propria ruit hostis spicula, auferuntur tela.

17. In quibus fidebat, divisa sunt illius spolia, capta praeda sua.

18. Christi pugna fortissima salus nostra est vera.

19. Qui nos suam ad patriam duxit post victoriam.

20. In qua sibi laus est aeterna.

In plurimis libris adsignatur carmen in A. constanter desinens missae secundae Nativitatis Dominicae in aurora celebrandae; in nonnullis primae vel Octavae Nativitatis. — 2. M. 6. 8. Pr. diei gaudia. 3. Tuentur nostram scripturam codd. M. 6. 8. 11. 12.: cod. M. 5.; interit nebulosa. M. 10. inter nebulas. Pr. Md. Pm. Nb. Ad. Torr. Lud. Clicht. Rbch. interit nebula: sed a codicum auctoritate nihil habent commendationis. 4. Cf. ad Hymn. 171, 1. Mirati sunt viri docti, Romanae ecclesiae adscripti, quod in explicando b. Mariae cognomine: „maris stella," praetermissa Syrorum dialecto, per multas ambages quaesiissem, quod omnium oculos in se converteret ac conspici vellet. Ego quidem etymologiam illam (מרים) non volebam refutare, omisi utpote tritissimam; et ostendi quod minus notum est, quomodo homines Semiticarum linguarum ignari, Mariae nomen ex latino sermone derivare studuerint. 15. 16. Ad.: *Induit humanam naturam tanquam galeam, quia sicut galea occultat hominem ne videatur sic h. n. occultavit divinum, ita quod nunquam cognita fuit diabolo, qui si scivisset Christum Dei filium, nunquam Iudaeos incitasset ad passionem eius.* Cf. Hymn. 8. M. 10. laudent. 9. M. 5. o virgo. Clicht. Lud. in marg. o proles Addit Clicht.: *Non ferendi sunt illi qui hunc locum ita legunt: o culpa etc. Qua enim fronte, quo denique vultu ausit quis beatam dicere culpam illam, cum ipsa fuerit misera infelix atque infausta, neque soluin ipsis auctoribus sed et toti posteritati damnosa.* Confer quae adnotavimus ad Canticum Exultet iam angelica, in quo peccatum Adae „certe necessarium" appellatur. Omnino non tulit posteritas, a Pelagio haud prorsus aliena, ea quae Augustinus in mirabili sententiarum contextu non pertimescebat ὀξύμωρα.

II.

De Nativitate Domini.

1. Grates nunc omnes reddamus Domino Deo, qui sua nativitate nos liberavit de diabolica potestate.

2. Huic oportet ut canamus cum angelis semper: Gloria in excelsis.

Fere ubique cantata est in Nativitate Domini ad Missam primam vel nocturnam, perraro ad secundam. Apud Lutheranos et latino et vernaculo sermone per longum tempus fuit in usu.

III.

De Nativitate Domini.

1. Natus ante saecula Dei filius, invisibilis, interminus.

2. Per quem fit machina coeli et terrae, maris et in his degentium:

3. Per quem dies et horae labant et se iterum reciprocant.

4. Quem angeli in arce poli voce consona semper canunt.

5. Hic corpus assumpserat fragile, sine labe originalis criminis, de carne Mariae virginis, quo primi parentis culpam Evaeque lasciviam tergeret.

6. Hoc praesens diecula loquitur praelucida, adaucta longitudine, quod sol verus radio sui luminis vetustas mundi depulerit genitus tenebras.

7. Nec nox vacat novi sideris, luce quod magorum oculos terruit scies.

8. Nec gregum magistris defuit lumen, quos praestrinxit claritas militum Dei.

9. Gaude Dei genitrix, quam circumstant obstetricum vice concinentes angeli gloriam Deo.

10. Christe, patris unice, qui humanam nostri causa formam assumpsisti, refove supplices tuos.

11. Et quorum participem te fore dignatus es, Iesu, dignanter eorum suscipe preces.

12. Ut ipsos divinitatis tuae participes, Deus, facere digneris, unice Dei.

Ex omnium fere Missalium lege recitata est Sequentia in Nativitate Domini ad summam Missam. Docte et subtiliter rhythmum carminis exposuit F. Wolfius p. 296. Adiecta est in appendice scriptura Cod. Bibl. Palat. Vindob. No. 1043 quae prorsus nobiscum facit, porro Codic. saec. XV. (V.) — 2. M. 6. 11. 12. ac terrae. Torr. coeli terrae. 5. Lud. in marg. tegeret. 6. M. 11. relucida. Ad.: *adaucta i. e. prolongata secundum naturalem cursum supra dies praecedentes* (post τροπὴν χειμερινήν) *vel spiritualiter intelligendo, tempus gratiae, quod per Christi nativitatem praelucidum factum est, et longitudine missionis adauctum.* Lud. in marg. penitus. 7. Lud. pios. Ad.: *Quando Christus natus est in Bethlem, suboriebatur stella unquam prius visa, quae duxit reges ad locum Christi. Proprie stella non fuit, sed miraculosum factum, habens stellae dispositionem.* 8. Lud. perstrinxit V. praecinxit. cf. 7, 4. 9. Sic Hieronymus contra Helvidium (Ed. Fr. II. pag. 9. g.) *Nulla ibi obstetrix, nulla mulierecularum sedulitas, sed virgo fuit et mater et obstetrix.*

IV.

De S. Stephano Protomartyre.

1. Hanc concordi famulatu celamus sollemnitatem.

2. Auctoris illius exemplo ducti benigno.

3. Pro persecutorum precantis fraude suorum.

4. O Stephane, signifer regis summe boni, nos exaudi.

5. Proficue qui es pro tuis exauditus inimicis.

6. Paulus tuis precibus, Stephane, te quondam persecutus, Christo credit.

7. Et tecum tripudiat in regno, cui nullus persecutor appropinquat.

8. Nos proinde, nos supplices ad te clamantes et precibus te pulsantes.

9. Oratio sanctissima nos tua semper conciliet Deo nostro.

10. Te Petrus Christi ministrum statuit: tu Petro normam credendi adstruis, ad dextram summi patris ostendendo, quem plebs furens crucifixit.

11. Te sibi Christus elegit, Stephane, per quem fideles suos corroboret, se tibi inter rotatus saxorum solatio manifestans.

12. Nunc inter inclytas martyrum purpuras coruscas coronatus.

Mentionem faciunt huius Prosae Lachmannus (Ueber die Leiche u. s. w. p. 434.) et F. Wolfius p. 296 sq. Inserviebat festivitati S. Stephani principali (XXVI. Dec.) Ad.: *St. hoc die non est passus sed illa die qua celebratur eius inventio (III. Aug.). Sed mutata sunt festa ab ecclesia quia nativitas Ch. corporalis et gratiosa, qua ingressus est mundum, est causa nativitatis spiritualis et gloriosae per quam sancti ingrediuntur in coelum — -- tria festa quae sequuntur. Nat. ecclesia sic voluit ordinare ut Christo sponso et capiti omnes sui comites adjungantur. Nutus enim Ch. tres sibi comites adjunxit, ut in Cantico Cantic. (V, 10): Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. Candidus quo ad Ioannem, rubicundus quo ad Stephanum, et electus ex millibus quo ad turbam innocentum.* — 2. Clicht. eloqui. 4. Cf. H. 82, l. 11. not. M. 6. 10. Md. Nb. Ad. Torr. Clicht. regis summi bone. 8. Ad. nos pr. suppl. 10. Pr. credendo. Clicht.: *Illam fidei regulam quam a Petro acceperat, et verbis et publica disputatione verum esse asseruit et pro illa tandem mortem oppetivit. Tradiderat enim P. hanc credendi normam, quod Ch. a. Iudaeis crucifixus, est verus Dei filius. Et hoc ipsum asseveravit etiam St. quando protestatus est, se videre coelos apertos et Iesum stantem a dextris Dei.* 11. Ad. te Christus. Nb. corroborat. M. 6. delegit — — se sibi solatia int r. s. m. M. 12. manifestas. 12. Ad.: *St. interpretatur corona s. coronatus; num triplicem coronam habuit, virginalis lilii, doctrina magisterii et triumpho martyrii.* cf. H. 82, 2, 1. 2.

V.

De S. Ioanne Evangelista.

1. Ioannes, Iesu Christo multum dilecte virgo,
2. Tu eius amore carnalem in navi parentem liquisti.
3. Tu leve coniugis pectus respuisti Messiam secutus.
4. Ut eius pectoris sacra meruisses fluenta potare,
5. Tuque in terra positus gloriam conspexisti filii Dei.
6. Quae solum sanctis in vita creditur contuenda esse perenni.
7. Te Christus, in cruce triumphans, matri suae dedit custodem.
8. Ut virgo virginem servares atque curam supperditares.
9. Tute carcere flagrisque fractus, testimonio pro Christi es gavisus.
10. Idem mortuos suscitas, inque Iesu nomine venenum forte vincis.

11. Tibi summus tacitum prae ceteris verbum suum pater revelat.

12. Tu nos omnes sedulis precibus apud Deum semper commenda.

13. Ioannes, Christi care.

Sedem habebat Sequentia in sollemnitate S. Ioannis maiori (XXVII. Dec.), interdum tamen ornabat festum S. Ioannis quod dicitur ante Portam Latinam. — 1. E totius ecclesiae veteris testimonio Ioannes erat *παρθένος καὶ τὸ σῶμα καὶ τὴν διάνοιαν* cf. Abdias Apost. Hist. V, 23. Ipsum vero propter hoc castitatis lilium a redemptore prae ceteris adamatum, et ad pectus eiusdem reclinatum mysteria regni divina apertius reliquis videre meruisse veteri ecclesiae tam certum erat, quam quod certissimum. H. 313, 5. 6.: *Ioannes virgo ceteris dilectior apostolis.* 2. Perperam Torr. in manu. 3. Ad.: *S. Ioannes adhuc iuvenis Mariae Magdalenae desponsatus erat et legitimo matrimonio copulatus. Dum vero nuptiae debebant celebrari, S. Ioannes subterfugit, relinquens coniugem suam, spernens carnale desiderium. Et dicunt doctores, quod illud idem erat convivium, ubi Christus primum signum fecit convertendo aquam in vinum.* Cf. Fabricius Cod. Apocr. II. p. 587. 4. cf. H. 313, 9—12. 5. Ad. Torr. in terris. 6. Pr. in via. 8. M. 11. servaret — suppeditaret. 9. Torr. de carcere. M. 12. fractum. M. 16. pro Christo. 10. Suscitavit teste Abdia (Ap. Hist. V, 10. 17.) Drusianam viduam et Stacteum iuvenem. Vide eundem de veneni poculo V. 20. et Fabricium ad hunc loc. 11. Ad. Torr. prae ceteris. 12. M. 5. commendans. 13. Al. Christo.

VI.

In Natali SS. Innocentium.

1. Laus tibi, Christe, patris optimi nate, Deus omnipotentiae.

2. Quem coelitus inbilat supra astra manentis plebis decus harmoniae.

3. Quem agmina infantium sonoris hymnis collaudant aetheris in arce.

4. Quos impius ob nominis odium tui miscro straverat vulnere.

5. Quos pie nunc remuneras in coelis, Christe, pro poenis nitide.

6. Solita usus gratia, qua tuos ornas coronis splendide.

7. Quorum precibus sacris dele, precamur, nostrae pie crimina vitae.

8. Et quos laudibus tuis inuxeras, nobis istic dones clemens favere.

9. Illis aeternae dans lumen gloriae, nobis terrea concede vincere.

10. Ut liceat serenis actibus pleniter adipisci dona tuae gratiae.

11. Herodis ut non fiat socius, quisquis in horum laude se exercet propere.

12. Sed aeternaliter cum eisdem catervis tecum sit, Domine.

Sequentia, in festivitate SS. Innocentium in multis ecclesia decantata, est e pauciorum numero quae constanter in sonum E desinunt. — 1. Ad. Pr. optime nate. 4. Clicht. stravit. 7. Ad. Cl. Pr. nostra cr. vitae. 8. Ad. at quos. 9. M. 6. das. M. 11. Pr. Ad. Cl. terrena.

VII.

In Epiphania Domini.

1. Festa Christi omnis christianitas celebret.

2. Quae miris sunt modis ornata cunctisque veneranda populis.

3. Per omnitenentis adventum atque vocationem gentium.

4. Ut natus est Christus, est stella Magis visa lucida.

5. At illi, non cassam putantes tanti signi gloriam,

6. Secum munera deferunt, parvulo offerunt, ut regi coeli quem sidus praedicat.

7. Atque aureo tumidi principis lectulo transito Christi praesepe quaeritant.

8. Hinc ira saevi Herodis fervida invidi recens rectori genito, Bethleem parvulos praecipit ense crudeli perdere.

9. O Christe, quantum patri exercitum iuvenis, doctus ad bella maxima, populis praedicans, colligis, sugens cum tantum miseris.

10. Anno hominis tricesimo subtus famuli se inclyti inclinaverat manus Deus, consecrans nobis baptisma in absolutionem criminum.

11. Ecce spiritus in specie ipsum alitis innocuae uncturus, sanctis prae omnibus visitat semper ipsius contentus mansione pectoris.

12. Patris etiam insonuit vox pia, veteris oblita sermonis: poenitet me fecisse hominem.

13. Vere filius es tu meus mihimet placitus, in quo sum placatus; hodie te, mi fili, genui:

14. Huic omnes auscultate populi praeceptori.

---

1. Festa Christi: nam plurimorum miraculorum recolit haec sollemnitas memoriam, cf. ad H. 14, 21—24. 4. cf. 3, 7. n. Torr. Christus stella. 8. M. 10. rectoris genito. M. 12. B. parvulo. M. 10. 12. Ad. Torr. Clicht. Lud. praecepit. 9. M. 6. Christe. Ordinem verborum in hac clausula vides mire perturbatum; sensum erue tibi hunc: Quantum exercitum Christe, patri collegisti iuvenis, cum populis praedicares, tantum iam collegisti cum in matris ubere haereres, segens cum miseris Bethleem parvulis. 10. M. 12. criminis. 11. Torr. illius. 12. M. 6. intonuit. 14. Omittit M. 10.

VIII.

In Festo Purificationis B. V.

1. Concentu parili hic te, Maria, veneratur populus teque piis colit cordibus.

2. Generosi Abrahae tu filia veneranda, regia de Davidis stirpe genita.

3. [Sanctissima corpore, castissima moribus, omnium pulcherrima, virgo virginum].

4. Laetare mater et virgo nobilis, Gabrielis archangelico quae credula oraculo genuisti clausa filium.

5. In cuius sacratissimo sanguine emundatur universitas perditissimi generis, ut promisit Deus Abrahae.

6. Te virga arida Aaron, flore speciosa, praefigurat, Maria, sine viri semine nato floridam.

7. Tu porta iugiter serata, quam Ezechielis vox testatur; Maria soli Deo pervia esse crederis.

8. Sed tu tamen matris virtutum dum nobis exemplum cupisti commendare, subisti remedium pollutis statutum matribus.

9. Ad templum detulisti tecum mundandum, qui tibi integritatis decus Deus homo genitus adauxit, intacta genitrix.

10. Laetare, quam scrutator cordis et renum probat proprio habitatu singulariter dignam, sancta Maria.

11. Exulta, cui parvus arrisit tunc, Maria, qui laetari omnibus et consistere suo nutu tribuit.

12. Ergo quique colimus festa parvuli Christi propter nos facti, eiusque piae matris Mariae.

13. Si non Dei possumus tantam exequi tardi humilitatem, forma sit nobis eius genitrix.

14. Laus patri gloriae, qui suum filium gentibus et populo revelans, Israel nos sociat.

15. Laus eius filio, qui suo sanguine nos patri concilians, supernis sociavit civibus.

16. Laus quoque sancto spiritui per aevum.

Sequentia supra posita quam inter Marianas vetustissimam non sine iure dixeris, hoc ipsum antiquitatis nomen pia, candida et moderata, ut ita dicam, beatae virginis reverentia comprobat neque alium spirat erga Mariam affectum nisi qui evangelicae doctrinae aptissime concordet. Consentit poeta cum Luthero qui Mariam appellat „das edelste Kleinod nach Christo in der ganzen Christenheit.“ Vides etiam ex stropha duodecima, Festum Purificationis ex Notkeri sententia fuisse non solum in Mariae commemorationem celebratum sed praecipue in honorem „parvuli Christi.“ Quae posteriori tempore ad Mariam directa sunt carmia non ubique in vetustana illa simplicitate consistebant. Sed transeamus ad singula. — 2. M. 5. 6. Abraham. Ad, Torr. Abrae. 3. Omittunt hanc stropham M. 6. 11. In cod. M. 10 cast. mente. Md. moribusque. 5. Ad. Torr. Abrae. 6. M. 11. te virgo. M. 6. 11. te figurat. M. 10. Nb: Md. florida. Br. nato florido. Cf. poetam teutonicum sc. 12: *In die erde leite Aaron eine gerte, diu gebar mandalon, nuzze also edile. Die sueze hast du vurebraht, muoter ane mannes rat, sancta Maria.* 7. M. 6. perviam. De Maria clausa et Ezechielis vaticinio vide H. 15, 13—16 n. 10. Ad. Clicht. Torr. ac renum.

M. 10. Md. sanctam Mariam. 11. Nb. parvulus Ad.: *In dubio est, si Christus aliquando riserit in hoc mundo, an non. Et videtur, quia sic per literam textus. In oppositum est sapiens ubi dicit: Risus fit in stultitia. Sed nefas est ipsum Christum dicere stultum. Similiter Augustinus ait: Christum flevisse lego, risisse vero nunquam. Ad quod dicendum, quod duplex est risus: quidam corporalis, qui causatur in exterioribus propter aliquod vanum delectabile, de quo risu dicit sapiens: alius spiritualis, de tali dicitur hic. Unde Anselmus: Quando beata virgo faciem filii sui adspexit tunc maxima delectatione et spirituali gaudio replebatur ita quod risit.* 14. Nb. populis. M. 8. revelat. 15. Laus eius filio desunt in M. 8. Ad. Clicht. Torr. reconcilians.

IX.

Sequentia Paschalis.

1. Laudes salvatori voce modulemur supplici.

2. Et devotis melodiis coelesti domino iubilemus Messiae.

3. Qui se ipsum exinanivit ut nos perditos liberaret homines.

4. Carne gloriam deitatis occulens pannis tegitur in praesepi.

5. Miserans praecepti transgressorem, pulsum patria, paradisi nudulum, Ioseph, Mariae, [Simeoni] subditur.

6. Circumciditur et legali hostia mundatur ut peccator, nostra qui solet relaxare crimina.

7. Servi subiit manus baptizandus et perfert fraudes tentatoris, fugit, persequentium lapides.

8. Famem patitur, dormit et tristatur ac lavat discipulis pedes, Deus homo, summus humilis.

9. Sed tamen inter haec abiecta corporis eius deitas nequaquam quivit latere, signis variis et doctrinis prodita.

10. Aquam nuptiis dat saporis vinei, caecos oculos claro lumine vestivit, lepram luridam tactu fugat placido.

11. Putres suscitat mortuos membraque curat debilia, fluxum sanguinis constrinxit et saturavit quinque de panibus quina millia.

12. Stagnum peragrat fluctuans ceu siccum littus, ventos sedat, linguam reserat constrictam, reclusit aures privatas vocibus, febres depulit.

13. Post haec mira miracula taliaque.

14. Sponte sua comprehenditur et damnatur.

15. Et se crucifigi non despexit.

16. Sed sol mortem eius non adspexit.

17. Illuxit dies, quam fecit dominus, mortem devastans et victor suis apparens dilectoribus vivus.

18. Primo Mariae, dehinc apostolis, docens scripturas, cor aperiens ut clausa de ipso reserarent.

19. Favent igitur resurgenti Christo cuncta gaudiis: flores, segetes redivivo fructu vernant et volucres, gelu tristi torso, dulce iubilant.

20. Lucent clarius sol et luna, morte Christi turbida; tellus herbida resurgenti plaudit Christo, quae tremula eius morte se casuram minitat.

21. Ergo die ista exultemus, qua nobis viam vitae resurgens patefecit Iesus.

22. Astra, solum, mare iocundentur.

23. Et cuncti gratulentur in coelis.

24. Spiritales chori Trinitati.

Cantabatur in plurimis ecclesiis in Dominica Paschatis: multum conferre ad illustrandas veterum sententias *περὶ κρύψεως* vel *κενώσεως* Verbi incarnati non est quod moneamus. — 1. Lud. in marg. salvatoris. M. 5. modulemus. 4. Al. praesepe. 5. In hac stropha, quae cum tribus sequentibus unius est rhythmi quatuor syllabae abundant. Fortasse Simeoni omittendum. 6. Ita M. 6. Reliqui: relaxare. 7. Ad. Torr. Pr. ac perfert. 8. Ad. ac tr. et l. 10. Lud. in m. caeco. 11. M. 10. constringit. Ad. quinque millia. 12. M. 16. reserans. Lud. in m. depellit. 17. M. 11. 16. Ad. Torr. Clicht. ut victor. 18. Ad.: *Quinque sunt causae quare primum Mariae Magdalenae fertur apparuisse. Prima quia prae ceteris diligebat. Secunda ut ostenderet, quia non venit propter iustos sed peccatores. Tertia ut ostenderet, quod peccatores poenitentiam agentes praecedunt sapientes huius mundi impoenitentes, ut de b. Augustino legitur, qui de S. Antonio ita dixisse fertur: surgunt indocti et rapiunt coelum, nos cum scientiis nostris mergimur in profundum. De quo lege tractatum optimum Thomae Kempis, canonici regularis devotissimi de Christi imitatione, qui incipit sic: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Quarta causa, ut sicut mulier*

fuit nuntia mortis, sic e contrario mulier fieret nuntia vitae. Quinta ut ostenderetur bonitas Christi; voluit enim ostendere ut ubi abundavit delictum, nunc superabundaret et gratia. M. 6. 10. 16. Ad. Torr. Clicht. deinde. 19—27. Confer Fortunati carmen: Salve Festa dies etc. nam hoc poetae obversatum esse luce meridiana clarius est. 20. Solem in sollemnitate paschali clarius lucere, prae gaudiis exultare et quasi saltare, piae et vetustae est superstitionis figmentum. Ita poeta teuton. (Hoffman. Kehl. p. 124.): *Christen wemen des tages war und gehn samt zu der engel schaar, da scheinet die liebe sonne klar.* M. 10. resurgentique Ch. 22. M. 8. tonanti.

X. *De eadem festivitate.*

Pangamus creatoris atque redemptoris gloriam etc.

Cod. M. 5. 11. Pr. etc.

XI.

De eadem festivitate.

1. Agni paschalis esu potuque dignas.
2. Moribus sinceris praebeant omnes se christianae animae.
3. Pro quibus se Deo hostiam obtulit ipse summus pontifex.
4. Quarum frons in postis est modum eius illita.
5. Sacro sancto cruore, tuta a clade Canopica.
6. Quarum crudeles hostes in mari rubro sunt obruti.
7. Renes constringant ad pudicitiam, pedes tutentur adversus viperas.
8. Baculosque spiritales contra canes ingiter manu baiulent.
9. Ut Pascha Iesu mereantur sequi quo de barathro victor rediit.
10. En redivivus mundus ornatibus Christo consurgens fideles admonet.
11. Post mortem melius cum eo victuros.

---

1. Cf. H. 81. 4. Supple: animarum, quibus male tribuitur frons. Nb. et tuta. Ad. tuentur. M. 5. ad pedes tutemur. 8. Ad. baiulant. Respicit poeta ad Iudaicos

ritus in agno paschali comedendo usitatos. 9. Nb. mereamur. Ad. om. victor. 10. Ad. resurgens admonet post. 11. M. 6. 10. Nb. victurus.

XII. *De eadem festivitate.*

Grates salvatori ac regi Christo Deo etc.

Cod. M. 5. 11. etc.

XIII.

De Ascensione Domini.

1. Summi triumphum regis prosequamur laude.
2. Qui coeli qui terrae regit sceptra, inferni iure domito.
3. Qui sese pro nobis redimendis permagnum dedit pretium.
4. Huic nomen exstat conveniens Idithum.
5. Nam transilivit omnes strenue montes colliculosque Bethel.
6. Saltum de coelo dedit in virginalem ventrem; inde in pelagus saeculi.
7. Postquam illud suo mitigavit potentatu, tetras Phlegetontis assiliit tenebras.
8. Principis illius disturbato imperio.
9. Maniplis plurimis inde erutis mundum illustrat suo iubare.
10. Captivitatemque detentam inibi victor duxit secum.
11. Et redivivum iam suis se praebuit servis et amicis.
12. Denique saltum dederat hodie maximum, nubes polosque cursu perpeti transiens.
13. Celebret ergo populus hunc diem credulus, cuius morbida Idithum corpora in semet ipso altis sedibus coeli invexit Dei filius.
14. Et tremens iudicem exspectet affuturum, ut duo angeli fratres docuerunt.
15. Qui Iesus a vobis assumptus est in coelum, iterum veniet ut vidistis eum.
16. Iam Idithum nostrum vocibus sedulis omnes imploremus.

17. Ut a dextris patris qui sedet spiritum mittat nobis sanctum.

18. In fine saeculi ipse quoque semper sit nobiscum.

Tota Prosa, quam ad celebrandam Domini Ascensionem in libris persaepe positam scimus, versatur in allegoria quadam in Homilia Gregorii (In Evangel. 29.) fusius exposita: *Veniendo ad redemptionem nostram, quosdam ut ita dicam saltus fecit. Vultis fratres carissimi ipsos eius saltus agnoscere? De coelo venit in uterum, de utero venit in praesepe, de praesepe venit in crucem, de cruce venit in sepulcrum, de sepulcro rediit in coelum.* 4. Clicht.: *Inter cantores domini in primo libro Paralip. c. 25. enumeratos nominatur Idithum cum filiis suis. Verum ut ibidem dicit glossa I. interpretatur transiens. Et secundum Hieronymum Idithum tantundem valet atque saliens vel transiliens eos.* 5. cf. Cantic. II, 8. Male Ad.: *Litera nominat Bethel, per quod intelligitur Hirusalem, quod primo nominabatur Solyma, quod interpretatur pax ut Sebastianus Brant in eo libro quem de laude civitatis Hirusalem conscripsit attestatur ad invictissimum imperatorem Maximilianum imperatorem: quem iam in manibus habemus ut transferatur in vernaculam linguam.* 9. 10. Lud.: *In hac prosa praeter errorem de limbo patrum animadversionem nihil meretur.* 12. M. 8. 10. 12. Nb. Clich. Pr. Lud. transvolans. 14. M. 5. Nb. Ad. exspectat. 16. M. 10. 11. Nam. 18. M. 11. in finem.

XIV.

In Die Pentecostes.

1. Sancti spiritus adsit nobis gratia.
2. Quae corda nostra sibi faciat habitaculum.
3. Expulsis inde cunctis vitiis spiritalibus.
4. Spiritus alme illustrator hominum.
5. Horridas nostrae mentis purga tenebras.
6. Amator sancte sensatorum semper cogitatuum.
7. Infunde unctionem tuam clemens nostris sensibus.
8. Tu purificator omnium flagitiorum, spiritus.
9. Purifica nostri oculum interioris hominis.
10. Ut videri supremus genitor possit a nobis.
11. Mundi cordis, quem soli cernere possunt oculi.
12. Prophetas tu inspirasti ut praeconia Christi praecinuissent inclyta.

13. Apostolos confortasti uti tropaeum Christi per totum mundum veherent.

14. Quando machinam per verbum suum fecit Deus coeli, terrae, marium.

15. Tu super aquas, foturus eas, numen tuum expandisti spiritus.

16. Tu animabus vivificandis aquas foecundas.

17. Tu aspirando das spiritales esse homines.

18. Tu divisum per linguas mundum et ritus adunasti, domine.

19. Idolatras ad cultum Dei revocas, magistrorum optime.

20. Ergo nos supplicantes tibi exaudi propitius, sancte spiritus.

21. Sine quo preces omnes cassae creduntur et indignae Dei auribus.

22. Tu qui omnium saeculorum sanctos tui numinis docuisti instinctu amplectendo, spiritus.

23. Ipse hodie apostolos Christi donans munere insolito et cunctis inaudito saeculis

24. Hunc diem gloriosum fecisti.

Sequentiam supra scriptam a multis Roberto, Franciae regi, esse tributam, non est quod moneamus (cf. Rambach Anth. I. S. 211). Quam opinionem alio loco, si Deo placet, refutabimus. Sane vero hic cantus pentecostalis erat in ecclesiis divulgatissimus. Immo apud Italos, quos sequentias alioquin sprevisse satis notum est, in usu fuisse videtur; exstat saltem in pervet. Missal. Romano, in quod sequentia pentec.: Veni sancte spiritus, noviter est introducta cf. Gavanti Thes. II. p. 1216. Missale Venetiis anno 1469 typis expressum utrumque sancti spiritus praeconium exhibet. Strophae quatuor primo loco positae apud vetustos saepius inserviunt Praeparationi, quam vocant, ad Missam vel ad Officium recitandum. — 2. M. 17. Vn. Aug. Rm. Lud. Rambch. habitacula. M. 8. om. 4. M. 17. Rm. cordium. Vn. omnium cordium. Aug. omnium. 6. Sensati cogitatus sunt mundae et parae cogitationes, cf. Vulgat. Sirac. VI, 10. 12. Ad. tu confortasti. 17. M. 5. da. 18. M. 5. ad. spiritus. Cf. Antiphonam: Qui ex diversitate linguarum cunctarum etc. 19. M. 6. 12. Rm. revocans. 22. Ad. amplexando. Lud. amplectenda, in marg. amplectende. In

fine repetunt M. 12. 17. Vn.: Sancti spiritus adsit nobis gratia.

XV.

In Nativitate S. Ioannis.

1. Sancti baptistae Christi praeconis
2. Sollemnia celebrantes, moribus ipsum sequamur,
3. Ut ad vitam, quam praedixit, asseclas suos perdurat.
4. Devoti te, sanctissime hominum, amice Iesu Christi, flagitamus ut gaudia percipiamus,
5. Apparens quae Zachariae Gabriel repromisit, qui tuam celebrarent obsequiis nativitatem.
6. Ut per haec festa aeterna gaudia adipiscamur.
7. Qua sancti Dei sacris deliciis laeti congaudent.
8. Te qui praeparas fidelium corda, ne quid devium vel lubricum Deus in eis inveniat.
9. Te deposcimus, ut crimina nostra et facinora continua prece studeas absolvere.
10. Placatus ut ipse suos semper invisere fideles et mansionem in eis facere dignetur.
11. Et agni vellere, quem tuo digito mundo monstraveras tollere crimina, nos velit induere.
12. Ut ipsum mereamur angelis associi.
13. In alba veste sequi per portam clarissimam.
14. Amice Christi Ioannes.

---

4. M. 11. Ad. Clicht. e. a. devote. 5. Lc. I. 14. *et in nativitate eius multi gaudebunt.* 6. 7. Ad.: adipiscamur in patria in qua (?) 8. Ad. Torr. Md. Nb. Pt. tu qui 9. M. 11. ut fac. 11. Md. mundi. Multi perperam: suo. Continet clausula imaginem prorsus singularem atque ineptam. Addimus historiunculam satis lepidam quam Adelphus cum laudes S. Ioannis enumerat, nobis profert: *Erant doctores duo, quorum unus baptistam, alter vero evangelistam praeferebat. Tandem sollemni disputatione indicta, quilibet sollicitus erat valde, auctoritates et efficaces invenire rationes quibus suum posset praeferre. Adveniente autem disputationis die quilibet sanctorum suo aemulatori apparuit, dicens: Bene concordes sumus in coelis, de nobis non est*

disputandum in terris. Tunc doctores sibi invicem obviaverunt et omni populo publicaverunt, dominum benedicentes et glorificantes.

XVI.

In Festo Petri et Pauli Apostolorum.

1. Petre, summe Christi pastor et Paule, gentium doctor:
2. Ecclesiam, vestris doctrinis illuminatam
3. Per circulum terra precatus adiuvet vester.
4. Nam dominus, Petre, coelorum tibi claves dono dedit.
5. Armigerum Benjamin, Christus, te scit suum vas electum.
6. Mare planta te, Petre, Christus conculcare dedit tuae caritati.
7. Umbram tui corporis infirmis debilibusque fecit medicinam.
8. Spermologos philosophos, te Paule, Christus dat vincere sua voce.
9. Multiplices victorias tu, Paule, Christo per populos acquisisti.
10. Postremo victis omnibus barbaris ad arcem summi pergitis culminis, germanos discordes sub iugum Christi pacatos iam coacturi.
11. Ibi Neronis feritas principis apostolorum proeliis plurimis victores diverse te, Petre et Paule, addixerat poenae mortis.
12. Te crux associat, te vero gladius cruentus mittit Christo.

---

2. Obversabatur poetae collecta in apostolorum festivitatibus usitata: *Ecclesiam tuam domine benignus illustra ut beati N. apostoli tui illuminata doctrinis etc.* 5. Erat Paulus de progenie Benjamin et vocatur armiger, quia bonum certamen certaverat pro domino suo. 5. Cl. Fr. Md. Nb. vasque. 8. Fr. Pt. doctilogos. Md. Ad. Torr. Cl. Nb. doctiloquos cf. Act. XVII, 18 sq. 10. Ad. Torr. Cl. sub iugo. Ad.: *Romanos intellige qui orti sunt a duobus germanis et fratribus discordibus, Romulo scilicet et Remo, qui a Romulo fuit occisus propter saltum murorum.* 11. 12. Multas fabulas commemorat Adelphus de Petri et Pauli martyriis, quas longum

est enarrare. Tamen unam adiecimus, utpote minus notam: *Pastor quidam invenit caput S. Pauli in campo et ipsum iuxta ovile posuit, ubi singulis noctibus ineffabiliter candelae lucebant. Quod cum ipse episcopo et aliis fidelibus enunciasset, dixerunt: Vere hoc est caput S. Pauli. Egressus ergo episcopus cum aliis fidelibus caput apostoli cum magna sollemnitate attulit et corpori coniungi tentabat. Tunc ait quidam patriarcha: Scimus, quoniam multi fideles sunt occisi et capita eorum dispersa sunt; dubium est an sit caput apostoli. Cui episcopus: Ponamus ad pedes corporis orando dominum, ut si caput suum est, convertatur corpus et capiti iungatur. Quod cum omnibus placuisset et in orationibus perseverantibus corpus se vertit illico et suo capiti se coniunxit.*

XVII. *De S. Benedicto.*

Sancti merita Benedicti inclyta
Pro posse atque nosse organa nostra concrepent.
Nursia felix tulit natum genitrix,
Domina mundi Roma fovit alitrix etc.

Cod. M. 5. c. a.

XVIII.

De S. Laurentio M.

1. Laurenti, David magni martyr milesque fortis,
2. Tu imperatoris tribunal,
3. Tu manus tortorum cruentas
4. Sprevisti, secutus desiderabilem atque manu fortem.
5. Qui solus potuit regna superare tyranni crudelis.
6. Cuiusque sanctus sanguinis prodigos facit amor milites eius.
7. Dummodo illum liceat cernere dispendio vitae praesentis.
8. Caesaris tu fasces contemnis et iudicis minas derides.
9. Carnifex ungulas et ustor craticulam vane consumunt.
10. Dolet impius urbis praefectus, victus a pisce assato, Christi cibo.
11. Gaudet domini conviva favo, conresurgendi, cum ipso saturatus.

12. O Laurenti militum David invictissime regis aeterni
13. Apud illum servulis ipsius deprecare veniam semper.
14. Martyr milesque fortis.

1—3. Ad.: *Appellat Christum David; David enim rex fuit et interpretatur manu fortis et desiderabilis in adspectu. Et nomitur hic pro Christo, quia Ch. est fortis et potens in proelio: quia sicut David Goliam superavit, Chr. potentiam diaboli conculcavit.* 6. Torr. Md. sanctos. M. 6. Es. Ad. etc. fecit. 8. Es. Md. Nb. Torr. faces. 10. 11. Ad.: *Post resurrectionem dominus apparuit discipulis iuxta mare Tiberiadis et dixit eis: Filioli numquid pulmentarium habetis. Et obtulerunt ei partem piscis assi. Quem piscem assatum autor noster comparat b. Laurentio, quoniam iste piscis oblatus est Christo cum favo mellis, i. e. cum dulcedine virtutum, quod etiam verificatur de b. Laurentio, qui claruit virtutibus.* Recte Adelphus, noli tamen praetermittere Io. XXI, 9. viderunt prunas positas et piscem superpositum. 11. Nobiscum faciunt M. 5. 6. Md. Pt. Torr., in Es. conresurgenti. Clicht, cum resurgenti Christo. Ad. consurgenti. Sensus hic est: Domini conviva Laurentius in craticula assatus, recreatur favo mirae dulcedinis, spe nimirum conresurgendi cum Christo (Col. III, 1). Es. Torr. Ad. Clicht. satiatus.

XIX.

De Assumptione B. V. Mariae.

1. Congaudent angelorum chori gloriosae virgini,
2. Quae sine virili commixtione genuit
3. Filium qui suo mundum cruore medicat.
4. Nam ipsa laetatur quod coeli iam conspicatur principem
5. In terris cui quondam sugendas virgo mamillas praebuit.
6. Quam celebris angelis Maria Iesu mater creditur,
7. Qui filii illius debitos se cognoscunt famulos.
8. Qua gloria in coelis ista virgo colitur: quae domino coeli praebuit hospitium sui sanctissimi corporis.
9. Quam splendida polo stella maris rutilat, quae omnium lumen astrorum et hominum atque spirituum genuit.
10. Te coeli regina haec plebecula piis concelebrat mentibus.

11. Te cantu melodo super aethera una cum angelis elevat.

12. Te libri virgo concinunt, prophetarum chorus iubilat sacerdotum: apostoli Christique martyres praedicant.

13. Te plebes sexus sequitur utriusque vitam diligens virginalem coelicolas in castimonia aemulans.

14. Ecclesia ergo cuncta te cordibus teque carminibus celebrans

15. Tibi suam manifestat devotionem precatu te supplici implorans, Maria,

16. Ut sibi auxilio circa Christum dominum esse digneris per aevum.

Multa de visibili B. Virginis assumptione disputat Adelphus, neque vero in illis haerendum videbatur, cum sequentia ipsa nihil spiret nisi summam Mariae virginis in coelorum regnum assumptae mirationem venerationemque, immo taceat ipsum miraculum; cf. quae adnotav. tom. I. p. 246. n. *) Unum tamen frustulum ex larga Adelphianarum disputationum copia porrigamus: *Legitur quod virgo gloriosa tempore mortis suae penetravit purgatorium et infernum: attamen sine poena et illaesa exivit. Et huius ratio est quia virgo gloriosa propterea fuit in purgatorio ut videret tribulationes poenarum et multiplicationes earundem quas animae sustinerent, ut tanto citius mota ad misericordiam exaudiat peccatores.* — 1. Cf. Introitum in fest. Assumpt.: *de cuius assumptione gaudent angeli et collaudant filium Dei.* 12. Clicht. liberi. 13. Recte Torr.: *Hic legatur plebes et non plebis, sic construendo: o Maria plebes utriusque sexus sequitur te.* 14. Ad. Torr. Clicht. atque. Clicht. celebrat. Nb. Ad. Torr. Br. veneraus. 16. M. 11. Nb. Ad. Torr. Cl. auxilium.

XX.

De Nativitate Mariae V.

1. Stirpe Maria regia procreata regem generans Iesum, laude digna angelorum sanctorum,

2. Et nos peccatores tibi devotos intuere benigna.

3. Tu pios patrum mores ostentas in te, sed excellis eosdem.

---

* Ipsi in hac annotatione lapsi sumus; nam collecta: Veneranda etc. non ab Lutheranis inventa, sed iam apud catholicos usitata erat.

4. Patris tui Salomonis in te lucet sophia, et Ezechiae apud Deum cor rectum, sed nunquam in te corrumpendum.

5. Patris Iosiae te adimplevit religiositas, summi etiam patriarchae te fides totam possedit, patris tui.

6. Sed quid nos istos recensemus heroas, cum tuus natus omnes praecellat illos atque cunctos per orbem.

7. Nos hac die tibi gregatos serva virgo, in lucem mundi quae prodisti, paritura coelorum lumen.

Adelphus: *Ecclesia christiana sollemnizat tres nativitates, Christi, virginis gloriosae et Ioannis baptistae, quae designant tres spirituales nativitates. Cum Ioanne nascimur in aqua, cum Maria in poenitentia, cum Christo nascimur in gratia. Sed quia in adultis oportet praecedere nativitatem baptismi contritionem et gratiam, ideo illae duae nativitates (Christi et Ioannis) habent vigilias. Octavas vero habent omnes, quia omnes ad Octavam resurrectionis anhelamus.* — 1. M. 5. dignum. 2. Cf. Antiph. *Salve regina et tuos misericordes oculos ad nos converte.* 4. Ad.: *Ezechias rex primo valde bonus fuit et postea depravatus ut Sebastian Brant clare perscripsit in sua Hierosolyma a nobis vulgarisata.* 9. 10. Subnectimus Adelphi adnotationem, notatu dignissimam: *Destruitur barbarorum (?) error, qui dixerunt (quod impossibile est secundum naturam) quod homo proficiat et transeat de virtute in virtutem et sic ad talem gradum perveniat, ut reddatur omnino impeccabilis. Quia inde sequeretur quod aliquis homo posset inveniri perfectior Christo. Sed iste error damnatus est in Clementinis et destruitur hic in litera quia filius hominis gloriose praecellit omnes patres, immo omnes homines per totum universum.*

XXI. *De S. Emmeramo.*

Gaudens ecclesia hanc diculam venerando celebrat etc.

Cod. M. 5. 6.

XXII.

De Dedicatione ecclesiae.

1. Psallat ecclesia mater illibata et virgo sine ruga honorem huius ecclesiae.

2. Haec domus aulae caelestis probatur particeps.

3. In laude regis caelorum et ceremoniis.

4. Et lumine continuo aemulans civitatem sine tenebris.

5. Et corpora in gremio confovens animarum quae in coelo vivunt.
6. Quam dextera protegat Dei
7. Ad laudem ipsius diu.
8. Hic novam prolem gratia parturit fecunda spiritu sancto.
9. Angeli cives visitant hic suos: et corpus sumitur Iesu.
10. Fugiunt universa corpori nocua.
11. Pereunt peccatricis animae crimina.
12. Hic vox laetitiae personat.
13. Hic pax et gaudia redundant.
14. Hac domo Trinitati laus et gloria semper resultant.

---

1. Ephes. V, 27: *ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam aut rugam.* 4. Pr. in lumine. Fortasse respicit poeta ad lampadem perpetuam ac sempiternam, coram sanctissimo sacramento suspensam. 5. In ecclesia vel in coemeterio sepeliuntur mortui. 9. Adstant enim angeli trementes sancto eucharistiae mysterio atque adorant Iesum Christum, ipsis in pane ac vino visibilem cf. H. 260, 21. n. 10. Md. Nb. Ad. Torr. Cl. corporis. Fugantur et profligantur in consecratione templi omnia *πνεύματα ἀκάθαρτα*. 12. Pr. vox clara. M. 11. personet. 14. Pr. salus et gloria.

XXIII. *De S. Michaele Archangelo.*

Magnum te Michaelem habentem pignus etc.

Cod. M. 5. 6. e. a.

XXIV. *De eodem.*

Ad celebres rex coelice laudes etc.

Cod. M. 5. 6. 11. e. a.

XXV.

De S. Gallo.

1. O dilecte domino, Galle, perenni,
2. Hominibus et coetibus angelorum:
3. Qui [Iesu] Christi obediens arduae suasioni
4. Praedia patris, gremium mâtris,
5. Coniugis curam, ludicra nati
6. Sprevisti, pauperem pauper dominum sequens,
7. Et crucem gaudiis protulisti lubricis.
8. Sed Christus pretio centuplicato
9. Haec compensavit, ut dies iste testatur.
10. Dum tibi nos omnes filios dulci subdit affectu,
11. Sueviamque suavem patriam tibi, Galle, donavit.
12. Nec non et iudicem in coelis apostolorum choro iunctum te fecit sedere.
13. Te nunc suppliciter precamur ut nobis Iesum Christum, Galle, postules favere,
14. Et locum corporis eius pace repleas,
15. Ac tuos supplices crebra pace subleves,
16. Ut tibi debitam honorificentiam
17. Laetabundi semper mereamur solvere,
18. O Galle, Deo dilecte.

Legimus hanc sequentiam in Cod. M. 5. 6.: procul dubio apud monachos S. Benedicti praesertim in Helvetia ac Suevia erat divulgata. Primae clausulae mire consentiunt cum cantico de S. Ioanne: *Ioannes Iesu Christo multum dilecte virgo* (V.) Fortasse in utroque carmine poeta, uti poetarum Romanorum optime gnarus, imitatus est Horatianum illud: *Fertur pudicae coniugis osculum parvosque natos ut capitis minor a se removisse.* Neque ab illius temporis ingenio, si fecisset, abhorreret. 3. Duae syllabae abundant. 8. cf. Mt. XIX, 29: *qui reliquerit domum, vel fratres etc. — centuplum accipiet.* Quod ad rhythmum, putes poetam scripsisse Iesus Christus. Continet enim prosa quatuor cantiones quatuor stropharum (6—9. 14—17.) et in quavis stropha syllabas tredecim. 9. dies testatur: intellige festivum diem in honorem S. Galli, quem celebrare consueverunt monachi. 11. Optime historicae artis lumen illud, Ioannes Mueller omnia quae ad S. Galli peregrinationem et

in Suevia commorationem pertinent, narravit (Hist. Helv. lib. I.). 12. S. Gallus, Suevorum apostolus cum duodecim apostolis duodecim tribus Israel indicabit (Luc. XXII, 30). 14. Locus corporis eius i. e. ecclesia, *ubi corpus sumitur Iesu* XXII, 9.

XXVI.

De Omnibus Sanctis.

1. Omnes sancti Seraphim, Cherubim,
2. Throni quoque Dominationesque.
3. Principatus, Potestates, Virtutes,
4. Archangeli, Angeli vos decet laus et honores.
5. Ordines noveni spirituum beatorum.
6. Vos in Dei laudibus firmavit caritas:
7. Nos fragiles homines firmate precibus.
8. Ut spiritales pravitates vestro iuvamine vincentes fortiter,
9. Nunc et in aevum vestris simus digni sollemniis interesse sacris.
10. Vos quos Dei gratia vincere terrea
11. Et angelis socios fecit esse polo.
12. Vos patriarchae, prophetae, apostoli, confessores, martyres, monachi, virgines.
13. Et viduarum sanctarum omniumque placentium populus supremo domino.
14. Nos adiutorium nunc et perenniter foveat, protegat, ut vestrum.
15. In die poscimus gaudiorum vestrorum.

Enumerantur in hac sequentia sanctorum chori ex eodem ordine quem in ecclesia rite obtinent: nam quod proposuit poeta cl. 10. confessores martyribus, id tanquam S. Galli monachus propter sanctorum domesticorum Galli, Columbani, Othmari reverentiam fecisse videtur. — 4. Ad. honor. Fortasse legendum decent. 5. M. 5. 6. novenos. 6. Ita M. 5. 6. Reliqui: quos in Dei. 9. Torr. Ad. Clicht. sollemnibus. Male Torr.: *Ita legendum est, non sollemniis. Nam in numero singulari dicitur sollemne, licet magis in usu sit numero plurali.* 10. Nam sanctos sola Dei gratia et praeveniente et cooperante

salvari, id catholicae ecclesiae persuasissimum est. Similia canit Praefatio vetusta de Sanctis: *Qui coronando sanctorum merita, coronas dona tua.* 11. Al. angelos. 12. In multis postponuntur confessores martyrum turbae.

XXVII.

De B. Martino.

1. Sacerdotem Christi Martinum cuncta per orbem canat ecclesia [pacis catholicae].

2. Atque illius nomen omnis haereticus fugiat pallidus.

3. Pannonia laetetur genitrix talis filii.

4. Italia exultet alitrix tanti invenis.

5. Et Galliae trina divisio sacro certet litigio cuius esse debeat praesul.

6. Sed pariter habere se patrem omnes gaudeant: Turoni soli eius corpus foveant.

7. Huic Francorum atque Germaniae plebs omnis plaudat.

8. Quibus videndum invexit dominum in sua veste.

9. Hic celebris est Aegypti partibus: Graeciae quoque cunctis sapientibus.

10. Qui impares se Martini meritis sentiunt atque eius medicamini.

11. Nam febres sedat, daemonesque fugat, paralytica membra glutinat.

12. Et mortuorum sua prece trium reddit corpora vitae pristinae.

13. Hic ritus sacrilegos destruit, et ad Christi gloriam dat ignibus idola.

14. Hic nudis mysteria brachiis conficiens praeditus est coelesti lumine.

15. Hic oculis ac manibus in coelum et totis viribus suspensus terrena cuncta respuit.

16. Eius ori nunquam Christus abfuit sive iustitia, vel quicquid ad veram vitam pertinet.

17. Igitur te cuncti poscimus, o Martine, qui multa mira hic ostendisti.

18. Etiam de coelo gratiam Christi nobis supplicatu tuo semper infundas.

Multus est poeta in commendandis virtutibus S. Martini atque miraculis neque est quod indigere videatur interprete. Adeas tamen Hymnum XCIV. et quae ibi sunt annotata. — 1. 2. Continet Prosa duodecim paria stropharum optime condita, tamen turbant ordinem voces pacis catholicae, quae glossam redolent. 2. Nam et ipse Martinus haereticas pravitates pro viribus profligaverat. 3. Br. laetatur. 5. Br. Mg. Md. Pt. certat. A multis Galliae ecclesiis expetitus fuit ut in eis episcopatum gereret. Obvium erat poetae in veterum scriptorum libris ut scimus optime versato exordium belli gallici: *Divisa est Gallia in partes tris.* 6. Ad. Torr. et pariter. 7. Ad. Torr. hinc. 8. Cf. H. 94, 5—8. 9. 10. Noli putare, ecclesiam orientalem occidentali miraculosa operatione inferiorem; cogitat poëta de vetustis Aegyptiis, magicis artibus insignibus, de Graecorum septem sapientibus quorum artem atque sapientiam a Martino longe superari autumat. 11. 12. H. 94, 9—12. 13. Ad. Torr. om. ad. H. 94, 17—20. 14. Torr. nudus. Cum divina celebraret, globus igneus apparuit. 15. Ad. atque. 17. M. 6. 11. Br. ut qui.

XXVIII. *De S. Othmaro.*

Laude dignum sanctum canat Othmarum Suevia mater etc.

M. 5. 6. 11.

XXIX. *De S. Columbano.*

A solis occasu usque ad exortum est cunctis nomen tuum etc.

M. 5. 6.

XXX.

De S. Andrea.

1. Deus, in tua virtute sanctus Andreas
2. Gaudet et laetatur, eandem comitatus.
3. Piscatio nati tui ipse primum factus, piscator populorum
4. Myrmidonas idolatras diu fluctivagos rete cepit fidei.

5. Is legibus Achaiam tuis, Deus, victor illius subjugavit.

6. Et tropaeum Christi tui fixit ibi, bonum se ostentans militem.

7. Miraculis, [virtutibus], doctrinis quaecunque quaesita spolia tibi, o rex, attulit.

8. Atque suo cruore triumphi inscripsit titulos tui, regum domine.

9. Istum crucis socium et regni credimus.

10. Christi filii tui atque fratereulum.

11. Nos igitur peccatis nostris gravati, te, Deus, poscimus,

12. Ut illius qui tua semper sectatus praecepta tibi placet,

13. Nos intercessione tuearis in aeternum.

---

1. Ps. 20, 1. *Domine in virtute tua laetabitur rex.* Ad. eadem. Torr. eademque. Sed codicum auctoritate nititur scriptura eandem. Comes erat S. Andreas virtutis divinae i. e. λόγου ἐναρχωθέντος. 7. Quatuor syllabae abundant.

XXXI.

De Apostolis.

1. Clare sanctorum senatus apostolorum, princeps orbis terrarum, rectorque regnorum

2. Ecclesiarum mores et vitam moderare.

3. Quae per doctrinam tuam fideles sunt ubique.

4. Antiochus et Remus concedunt tibi, Petre, regni solium.

5. Tyrannidem tu, Paule, Alexandrinam invasisti Graeciam.

6. Aethiopes horridos, Matthaee, agnelli vellere.

7. Qui maculas nesciat aliquas, vestisti candido.

8. Thoma, Bartholomaee, Ioannes, Philippe, Simon, Iacobique pariles.

9. Andrea, Thaddaee, Dei bellatores inclyti.

10. En vos oriens et occidens; immo teres mundi circulus se patres habere gaudet et exspectat iudices.

11. Et idcirco mundus omnis laudes vobis et honorem sanctis debitum supplex impendit.

Exstat carmen in Missalibus permultis: nam praeter Petrum, Paulum atque Ioannem reliquis apostolis in illis tantum ecclesiis propriae decantabantur sequentiae, quae sub Matthiae (Trevirensis) vel Philippi vel alius apostoli patrocinio militabant. — 1. Ludecus ut quod laudis et venerationis inest carmini ad Christum referret, immutavit: Clare sanctorum Christe dux apostolorum. 2. M. 11. vitas. 5. Clicht.: *Dicitur Graecia tyrannis Alexandrina quoniam Alexander totam Graeciam suo subiecit imperio regnavitque primus in ea et in sacra visione Danielis ipse rex Graecorum appellatur.* 6. 7. Id.: *B. Matthaeus Aethiopiae populos et atro colore corporis et peccatorum maculis horridos convertit ad Christum fecitque ut mutaverint Aethiopicam pellem suam, quantum ad animi statum et conditionem. Nam superinduit illos candido vellere ipsius veri agni qui nullas habet maculas.* 10. Lud. tótus in marg. teres. cf. 1 Cor. IV. 15. H. 232, 5: *vos saecli iusti iudices.*

XXXII. *De Martyribus.*

Agone triumphali militum regis summi etc.

XXXIII. *De uno Martyre.*

Quid tu virgo mater ploras, Rachel formosa etc.

XXXIV. *De uno Confessore.*

Rex regum, Deus noster colende, tu moderaris militiam Christianam etc.

Cód. M. 5. 6. 11. In Missalibus saeculi decimi quinti ac quarti inveniuntur perraro.

XXXV.

De Virginibus.

1. Virginis venerandae de numero sapientum festa celebremus socii.
2. Filiae matris summi regis sacrosanctae Mariae.
3. Quam sibi in sororem Dei adoptavit filius,

4. Haec corpus suum domuit freno ieiunii.
5. Et luxuriam secuit ense agoniae.
6. Istaec contra cunctos mortis dimicavit impetus.
7. Et hostem cruentum freta Christi dextra straverat.
8. Haec sponsum ab aula coeli sese invisentem alacris.
9. Corde iocundo secuta, eius est ingressa thalamum.
10. Tute iam dulcibus plena deliciis Christo miserias nostras suggerito.
11. Nobis consolationem precando.

---

1. Ita canit ecclesia in festis virginum: *Haec est virgo sapiens et una de numero prudentum.* 3. Ad. om. Dei. 5. Mira voce „agonia" poeta significavit vel certamina spiritus contra carnem vel sollicitudinem ac timorem quo pii homines animarum salutem curant. 6. Ad. Terr. ista. 8. Ad. om. ab.

B.

HERMANNUS CONTRACTUS.

XXXVI.

De Beata Virgine.

1. Ave praeclara maris stella, in lucem gentium, Maria, divinitus orta.

2. Euge Dei porta quae non aperta; veritatis lumen, ipsum solem iustitiae, indutum carne, ducis in orbem.

3. Virgo decus mundi, regina coeli, praeelecta ut sol, pulchra lunaris ut fulgor: agnosce omnes te diligentes.

4. Te plenam fide, virgam almae stirpis Iesse nascituram priores desideraverant patres et prophetae.

5. Te lignum vitae, sancto rorante pneumate parituram divini floris amygdalum, signavit Gabriel.

6. Tu agnum, regem terrae dominatorem, Moabitici de petra deserti ad montem filiae Sion traduxisti.

7. Tuque furentem Leviathan, serpentem tortuosumque et vectem collidens, damnoso crimine mundum exemisti.

8. Hinc gentium nos reliquiae, tuae sub cultu memoriae mirum in modum quem es enixa propitiationis agnum, regnantem coelo aeternaliter, devocamus ad aram, mactandum mysterialiter.

9. Hinc Manna verum Israelitis veris, veri Abrahae filiis admirantibus quondam Moysi quod typus figurabat: iam nunc abducto velo datur perspici. Ora virgo, nos illo pane coeli dignos effici.

10. Fac fontem dulcem quem in deserto petra praemonstravit degustare cum sincera fide, renesque constringi lotos in mari, anguem aeneum in cruce speculari.

11. Fac igni sancto patrisque verbo quod, rubus ut flammam, tu portasti virgo mater facta pecuali pelle discinctos pede, mundos labiis cordeque propinquare.

12. Audi nos, nam te filius nihil negans honorat.

13. Salva nos Iesu, pro quibus virgo mater te orat.

14. Da fontem boni visere, da purae mentis oculos in te defigere.

15. Quo hausto sapientiae saporem vitae valeat mens intelligere,

16. Christianismi fidem operibus redimire, beatoque fine ex huius incolatu, saeculi auctor, ad te transire.

Hoc carmen Hermanni, quod cum in Assumptione tum in omnibus festivitatibus B. Virginis decantabatur, quamvis et vetustorum laudibus insigne et in libris ecclesiasticis sit creberrimum, me iudice palmam ferre omnino nequit. Longiores stropharum ambitus a Sequentiarum indole alieni turbant lectorum animos, displicet obscura atque confusa verborum ac sententiarum conformatio. Germanicam fecit cantionem Monachus Salisb. Ich grüfs dich gerne meressterne aller christenheit, zu got uns beleit (Hoffmann D. K. S. 143.) ac Sebast. Brandt: Ave durch leuchte Stern des meres etc. (Wackernagel. p. 124.) — 1. Is. XLII, 6. *Et dedi te in foedus populi, in lucem gentium.* Ad.: *Maria scribitur quinque literis in quibus quinque mysteria beatae virginis designantur. Per literam M. intelligitur mediatrix; secunda est A. per quam intelligitur auxiliatrix. Tertia litera est R. per quam intelligitur Reparatrix, quarta I. per quam int. Illuminatrix, quinta A i. e. Adiutrix.* 2. M. 11. coeli porta, vox ex hymno: Ave maris stella desumpta, quem Hermannus in duobus primis clausulis imitatur. De porta non aperta vide H. 15, 13—16. Wack. p. 61. *Ezechieles porte, Diu nie wart úf getân, Dur die der künec hérliche Wart úz und in gelân.* 3. M. 14. fulgur. Cantic. VI, 9. *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol.* 4. Fidem habuit Maria sermoni Gabrielis: porro docet Gregorius in passione domini omnes apostolos fidem pacne amisisse, Mariam tamen in fide stabilem permansisse ac resurrectionem domini ut certissimum quid exspectasse. M. 14. Ad. Torr. desideraverunt. 5. Ad.: *In ligno quod erat in paradiso ortum est peccatum parentum nostrorum, sic opposito modo Maria lignum vitae resuscitavit, quando salvatorem mundi produxit.* Sed rectius „lignum vitae“ ad ipsam Mariam referendum cum Seb. Brandt, ita teutonice cantante: *Dich, holtz des Leben, aufs thau vom hymmel umbgeben hat gefeuchtet, erleuchtet der geyst der feyst mandell verkündet Gabriel.* Rorante pneumate. Amat ecclesia imaginem desumptam de vellere Gideonis, rore per miraculum madente, Iudic. VI, 36 sq.

Saepissime adhibita est in carminibus teutonicis, Wack. p. 101. *Maria klar du pist fürwar figurlich woll pedeutenn Das kitzfell fron, das gideon Von got siglich zu streiten Betzaichnet wart.* Christum infantem saepius appellari amygdalum, hoc tibi pateat ex loco Numer. XVII, 8. *Regressus Moses invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi; et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalos deformati sunt.* Virga est typus Mariae, amygdalus Christi. Audias denique nostrae gentis poetas. Wack. p. 56. *Inin erde leite Aaron eine gerte din gebar mandalon. Nuzze absó edile: Die suezze hast du fure braht Muoter âne mannes rât, Sancta Maria.* p. 634. *hinaht het blügt herr Aarons rut, da us ihr mandels fruthe wut — dis ist gesin die magct gut* u. s. w. 6. Ita Isaias in vaticinio contra Moab. (XVI, 1.) *Emitte agnum domine dominatorem terrae de petra deserti ad montem filiae Sion.* Hoc prophetico sermone praetermisso, mirifice sudarunt interpretes multaque inania excogitarunt. 7. Cf. quae adnotavimus ad H. XXIX, 25 sq.: Is. XXVII, 1. *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro et grandi et forti super Leviathan serpentem vectem et super Leviathan serpentem tortuosum et occidit cetum qui in mari est. Maria quae pepelit redemptorem eodemque collisit diabolum.* Hinc fluxit consuetudo ex qua in figuris vel imaginibus serpens victus ac contritus a pedibus Virginis triumphando conculcatur. 8. M. 10. quae es. Ad. quomodo es. M. 14. Ad. Torr. revocamus. Gentium reliquiae Seb. Brandt: *die von Heyden komme synt.* Ut hanc clausulam prorsus intelligas, canonem missae memoria tibi repetas. Quilibet enim sacerdos in celebratione missae repetita passionis Christi memoria, etiam memoriam agit beatae virginis ac dicit: Communicantes et memoriam venerantes in primis semper gloriosae virginis Mariae. 9. Ad. Abrae S. Brandt: *Von dir aufsgat Des ware hymmelbrot, Das vor ee dem waren sam Abrahe vom hymmel kam, Die grofs wunder nam: was das bedeut Mögen heut wir armen leut Schawen schon al deckung an.* Est catholicae devotionis ut Christiani ante sumptionem sacramenti precibus adeant cum angelos, martyres, sanctos, sanctasque quotquot sunt, tum beatissimam virginem, orantes ut divorum suffragantibus precibus muniti, digni accipiant angelorum escam, corpus domini, potissimum in hora mortis. Cf. Wack. p. 103. *Erbirb, iunckfraw, vor meinem endt so ich wird alt und greyse Das heilig wirdig sacrament Werd mir zu ainer speise.* 11. Sed alias: ut flamma. M. 11. mundos. Sicut Moses discalceatus accessit ad numinis figuram atque imaginem, nos quoque oportet pedibus nudis i. e. a saecularibus curis ac deliciis alienos ad eum adpropinquare, quem non amplius in figura sed incarnatum conspicimus. 14. Md. Ad. Nb. puros.

C.

ROBERTUS REX FRANCIAE.

XXXVII.

De Spiritu Sancto.

1. Veni Sancte Spiritus
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium.

2. Veni pater pauperum,
Veni dator munerum,
Veni lumen cordium.

3. Consolator optime,
Dulcis hospes animae,
Dulce refrigerium.

4. In labore requies,
In aestu temperies
In fletu solatium.

5. O lux beatissima
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.

6. Sine tuo numine
Nihil est in homine
Nihil est innoxium.

7. Lava quod est sordidum,
Riga quod est aridum,
Sana quod est saucium:

8. Flecte quod est rigidum
Fove quod est frigidum,
Rege quod est devium.

9. Da tuis fidelibus
In te confidentibus
Sacrum septenarium:

10. Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium.

Omnes sacrorum carminum amatores, quales et quotquot fuere, regium poetam Davidis instar nomini Domini psallentem dignum censebant quem summis laudibus eveherent. Optime Clichtovaeus: „Non satis haec oratio mea quidem sententia commendari potest, nam omni commendatione superior est. — Crediderim facile auctorem (quisquis is fuerit) cum hanc contexuit orationem coelesti quadam dulcedine perfusum esse interius, qua spiritu sancto auctore tantam eructavit verbis adeo succinctis suavitatem.“ — Inde haud miramur Sequentiam supra positam in plurimis ecclesiis in usu fuisse, praesertim

feria secunda Pentecostes. Nam in ipsa Dominica cantus: Sancti Spiritus nobis adsit gratia, quae maiorem vetustatem redolebat, fere ubique sedem suam obtinuit. Ut nunc est, cum ex universa Sequentiarum clade, quae saeculo decimo sexto facta est, solus Robertus cum tribus aliis poetis salvus evaserit, cantatur ipsa Pentecostes sollemnitate „et dicitur quotidie usque ad sequens Sabbatum inclusive.“ Neque in Lutheri ecclesia carmen nostrum obtinuit; dolendum tamen est non fuisse, qui Sequentiam elegantur ac suaviter fecerit Germanicam. Vetustiorem translationem quaeras Altd. Bl. IV. p. 379. — 2. Matth. V, 3. Beati pauperes spiritu. 4. Aug. et fletu. 6. Pm. Torr. in lumine. Opinabantur editores, omnes carminis versiculos desinere in *ὁμοιοτέλευτα*. Laudatur Stropha sexta in Confessione Augustana. 7. M. 12. sana — riga. 8. Pr. reduc quod. 9. M. 12. 17. Fr. Es. sacro septenario. Hi libri faciunt strophaam nonam arctissime cohaerentem cum decima. — Noli tandem praetermittere artificiosam totius carminis *οἰκονομίαν*. Id unum precatur poeta ut, Spiritus Sanctus veniat, ut det munera sua fidelibus. Incipit igitur: Veni et iterum sanctum munus flagitat ter repotendo vocem: Veni. Simili ratione strophā nona primo loco exhibet vocabulum: Da, quod, duobus versibus interpositis, ter profertur in stropha decima.

D.

GODESCHALKUS.

XXXVIII.

In Conversione Sancti Pauli Apostoli.

1. Dixit Dominus: Ex Basan convertam, convertam in profundum maris

2. Quod dixit et fecit, Saulum ut stravit, Paulum et statuit

3. Per verbum suum incarnatum, per quod fecit et saecula.

4. Quod dum impugnat audivit: Saule, Saule quod me persequeris?

5. Ego sum Christus: durum est tibi ut recalcitres stimulo.

6. A facie domini mota est terra, contremuitque mox et quievit,

7. Dum cognito credidit domino, Paulus persequi cessat Christianos.

8. Hic lingua tuorum est canum, ex inimicis ad te rediens Deus,

9. Dum Paulus in ore omnium sacerdotum iura dat praeceptorum,

10. Docens crucifixum non esse alium praeter Christum Deum,

11. Cum patre qui regnat et sancto spiritu cuius testis Paulus.

12. Hinc lingua sacerdotum, more canis dum perlinxit legis et evangelii duos molares in his contrivit,

13. Corrosit universas species medicinarum, quibus curantur saucii, reficiuntur enutriendi.

14. Per quem conversus ad nos tu vivifices Christe peccatores:

15. Qui convertendis conversum converteras Paulum, vas electum.

16. Quo docente Deum mare vidit et fugit, Iordanis conversus est retrorsum.

17. Quia turba gentium, rediens vitiorum profundo, Og rege Basan confuso,

18. Te solum adorat Christum creatorem quem et cognoscit in carne venisse redemptorem.

---

1. Ille primus versus ad verbum habetur Ps. LXVII, 23., quod vaticinium in conversione S. Pauli impletum dicitu. Ad.: *Deus pater praedixit per prophetam David: Ego convertam Paulum ex Basan i. e. de fide sua mala (nam B. erat regio gentilium et interpretatur siccitas, sterilitas) convertam inquam eum ad profundum maris i. e. ad cognitionem verae fidei. — — Aliter etiam sic intelligitur: Convertam Paulum in profunditatem secretorum Dei quoniam ipse raptus est in tertium coelum etc. De quibus lege tractatum Marsilii Ficini epistolis suis insertum. De ipso enim canit ecclesia*

Qui in terra positus
Secreta coelorum petisti
Quae non licent homini
Loqui perspexisti.

Utcunque est, sane allexit Godeschalkum vox **convertendi**, quam velut primariam carminis materiam et ut ita dicam, totius texturae subtegmen persaepe sequentibus inserit. 2. August.: *Voce Christi de coelo prostratus — cecidit in faciem suam, prius prosternendus, postea erigendus.* Dicitur mutatum fuisse nomen Pauli anniversario Conversionis suae: celebratur igitur die XXV. Ian. una cum conversione festum eius onomasticum. Sed turpiter homines medii aevi in nomine Apostoli secundo lapsi sunt. Minime enim cogitabant de verbo שאל sed sudarunt in voce שעלים „*Sicut vulpes decipit alia animalia sic Sanctus sumpsit literas a regibus, ut posset persequi Christianos.*“ 3. M. 11. **Hoc verbum.** 4. M. 10. Pr. **impugnans.** 5. Nobiscum faciunt Codd. M. 10. 11. In Missalibus ubique: **Ego sum Iesus** ut Act. IX, 5. *E. s. I. durum est tibi contra stimulum calcitrare.* 6. Ps. XVII, 8. 9. *Commota est et contremuit terra — ascendit ignis a facie eius.* Opinatus est Godeschalkus terrae motum factum esse dum lux illa coelestis apostolum circumfulserit. 7. Pr. Ad. Torr. **Saulus.** Pr. Nb. Md. Torr. Lud. **conchristianos.** 8. Al. **hinc.** Ps. LXVII, 24: *lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.* Canes alias significant homines spurcos atque insolentes, sed canes Dei sunt hoc loco sacerdotes (cf. Str. 12) quorum est latrare prae-

dicando adversus infideles et arcere lupos ab ovibus Christi. Ex his canibus Paulus est longe disertissimus. 9. Lud. cum. Cf. Act. IX, 22. 11. M. 11. testis est. 12. 14. M. 11. Nb. hic. M. 11. Pr. canum. M. 11. in his contritos. Pr. Nb. Lud. corrasit. Sensum Stropharum fingas tibi hunc: Habebat ille canis divinus dentes molares duos, legem et evangelium: utrumque enim in praedicationibus et epistolis suis docet atque inculcat. Hic dentibus contrivit species medicinarum neque alienus erat a more canum, quos lingendo vulnera sanare vel refovere nemo non ignorat. 16. 17. In singulis libris stropharum ordo turbatus est; apud Ludecum omittuntur. Pr. Md. Torr. Ad. conversum ad nos. Nb. conv. conversos. Vas electum, Act. IX, 15. H. XC, 11. 18. Ps. CXIV, 3. *Mare vidit et fugit, Iordanes conversus est retrorsum.* Lud.: *Per mare Ethnici, per Iordanem autem Iudaei ἀλληγορικῶς intelliguntur, quorum multi per Paulum conversi sunt.* 17. Ita in codicibus, in Missalibus: relicto v. p. Og hoc loco accipiatur pro diabolo, qui gentes ex vitiorum profundo redemtas opprimere et morari conatur, sicuti Og Israelitas in deserto; similiter August. de Trin. 4, 15: *Sicut Amalek restitit filiis Israel, ne intrarent in terram promissionis, sic nobis diabolus; sed vincitur quando manus in crucis modum extendit Moses i. e. Christus in cruce.*

XL.

De B. Maria Magdalena.

1. Laus tibi, Christe: qui es creator (et redemptor, idem et salvator).

2. Coeli, terrae, maris, angelorum et hominum.

3. Quem solum Deum confitemur et hominem.

4. Qui peccatores venisti ut salvos faceres,

5. (Sine peccato peccati assumens formulam)

6. Quorum de grege, ut Cananaeam, Mariam visitasti Magdalenam.

7. Eadem mensa verbi divini illam micis, hanc refovens poculis.

8. In domo Simonis leprosi conviviis accubans typicis.

9. Murmurat pharisaeus, ubi plorat femina criminis conscia.

10. Peccator contemnit compeccantem: peccati nescius poenitentem exaudis, emundas foedam, amas ut pulcram facias.

11. Pedes amplectitur dominicos, lacrymis lavat tergit crinibus, lavando, tergendo, unguento unxit, osculis circuit.

12. Haec sunt convivia, quae tibi placent, o patris sapientia.

13. Natus de virgine qui non dedignaris tangi de peccatrice.

14. A pharisaeo es invitatus: Mariae ferculis saturatus.

15. Multum dimittis multum amanti, nec crimen postea repetenti.

16. Daemoniis eam septem mundas septiformis spiritus.

17. Ex mortuis te surgentem das cunctis videre priorem

18. Hac, Christe, proselitam signas ecclesiam: quam ad filiorum mensam vocas alienigenam.

19. Quam inter convivia legis et gratiae spernit Pharisaei fastus, lepra vexat haeretica.

20. Qualis sit tu scis: tangit te quia peccatrix, quia veniae optatrix.

21. Quidnam haberet aegra, si non accepisset, si non medicus adesset.

22. Rex regum dives in omnes: nos salva, peccatorum tergens cuncta crimina, sanctorum spes et gloria.

Godeschalkus quemadmodum antecedenti Sequentia magnum Apostolum, e Saulo in Paulum conversum celebravit, iam hoc carmine insigni et simplicitate et sublimitate aliud confessionis praeclarum cantat exemplum, dulcissimam ipsius angelicae exultationis materiam. Sane vero historia Magdalenae, quam Franciscus Salesius reginam confitentium peccatorum praedicat, tanta suavitate animos et tenet et movet, ut non miremur, quod ab omnium fere temporum poetis sacris carminibus persaepe laudata sit et celebrata. Nec non nomen eius in festivitatum indice bis vel ter legitur inscriptum. Nam praeter festum primarium eius (XXII. Iul.), quod in quibusdam calendariis Octava ornatum exstat, quodque solum reperitur in Breviario Romano, in vetustioribus libris sat frequens est festivitas Conversionis B. M. (I. vel X. vel XI die Martii vel feria V. post Iudica ob Evangelium diei) interdum etiam Festum Translationis occurrit. (IV. Nov.) In ecclesia Lutheriana festivitas Mariae Magdalenae in nonnullis regionibus pangebatur. Apud Ludecum officium legimus Missae atque horarum, in quo collecta tantummodo idque non incommode commutata est. Posthaec eius memoria, quae ex Christi man-

date servanda est, ubicunque praedicatur evangelium, magis magisque obsolevit. 1—3. Praedicat poeta maiestatem ac divinitatem Iesu Christi, qui tamen non despexit sub peccati formula in mundum venire ut peccatores salvos faceret 1. Tim. I, XV. 1. M. 6. creator redemptor. — 3. Br. Cl. et dominum. 6. Cananaea erat peccatrix, quia gentilis. 7. Matth. XV, 27. *At illa: Utique Domine, nam et catelli edunt de micis quae cadunt de mensa domini.* Ad.: *Cibavit eam dominus micis suae mensae sicut postulavit, sed M. cibavit poculis et fletibus intimi cordis* (dedit ipsi donum poenitentiae et lacrimarum). Sed minus artificiose Stropha intelligitur sic: Cananaea micas accepit i. e. donum terrestre, filiae medelam, M. donum supernaturale, remissionem peccatorum. 8. Quae significabant beatitudinem aeternam. 11. M. 6. tergenda. M. 11. Mg. lavanda tergenda. Gregorius: *Osculamini Christum ut Magd. non ut Iudas.* Osculis circuit, fortasse ex Epistola: *Surgam et circuibo civitatem.* 13. M. 5. ex virgine, ut in Symb. Apost. Pr. Ad. Torr. Lud. Rbch. a pecc. Cibus enim Christi est peccatores convertere, iustos confirmare et decimam drachmam deperditam reparare. 16. Ita M. 5. 11. reliqui mundans. M. 11. Br. Cl. Torr. Nb. Md. septiformis spiritus. 17. Pr. Ad. Torr. resurgentem d. c. te. Nb. Md. mortuis surgentem. Christum Magdalenae post resurrectionem primo apparuisse in omnibus carminibus, quae in eius laudem composita sunt, commemoratur. 18. Nb. Md. Torr. hanc. Mg. signans. Ecclesia proselyta, ex gentibus collecta. Torr.: *Per hanc Mariam significatur ecclesia de gentibus ad fidem conversa, quam vexant haeretici et ceteri mali sicut Mariam Pharisaeus* (et lepra vitiorum quae semper haeretica est). 19. Br. Cl. Nb. Md. Pharisaeus. Lud. factus. Id. in marg. lepra quem. Ad.: *ad convivium legis Christus ab Simone invitatus fuit, convivium gratiae ipsi parabat contritio et poenitentia Magdalenae.* Spernit Pharisaeus fastus, ut est apud nostrum: *Bei der Liebe, die den Füssen Deines gottverklärten Sohnes Thränen liess zum Balsam fliessen Trotz des Pharisäer-Hohnes.* 21. Rbch. adesses. Nescio ubi V. D. hanc scripturam invenerit. 22. Terge peccatorum sordem, ut Magdalena pedes tuos crinibus tersit.

XLI.

In Decollatione S. Ioannis Baptistae.

1. Psallite regi nostro, psallite prudenter,
2. Nam psalterium est iucundum cum cithara,

3. Nato virginis, quo psallens natus sterilis

4. Citharam carnis percussit in domo domini.

5. Dum quod sonabat clamando, docuit vivendo.

6. Mortificando quae super terram sunt membra et hoc alios docendo:

7. Praeparans Christo plebem perfectam Ioannes, vox clamantis in deserto.

8. Sed vox haec impium Herodem, quem corripit, minime corrigit.

9. Haud tamen tacuit sed ad usque sanguinem sceleri restitit.

10. Non licet, inquit, te fratris tui habere coniugem, raptam sibi: peccasti, quiesce, poenitentibus sic praecepit dominus.

11. Vocem incantantis sapienter Herodes ut aspis surda spernit ut iustum, ut sanctum Ioannem timet quem vinxit in carcere.

12. Sedet in tenebris lucerna, lucis amicus omnipotentis,

13. Studet deliciis mundi principis filius perditionis.

14. Meretrix suadet, puella saltat, rex iubet, sanctus decollatur.

15. Dat rex saltanti caput Ioannis, qui sanctus antequam sit natus.

16. En quomodo perit iustus quasi non sit Deo dilectus,

17. Cum sit eius preciosa mors haec in conspectu domini.

18. Nos corde percepimus, qualis ac quantus est quia vicinus dignitate Christo fit et morte.

19. Nam morte turpissima damnatur sponsus Sponsi et amicum damnant morte recte turpissima.

20. Carcere carnis eductum quem ferunt psallendo coelis angeli angelum.

21. Et nos in terris tibi psallere fac Christe in memoriam baptistae.

22. Herodis spreta quo mensa altaris tui mensa ipsum te dum sumimus, semper tibi psallamus.

Poeta in hac quoque Sequentia, ut solet, prorsus biblica utitur oratione, ac plurima cuiusvis generis subtiliter ac facete ab eo significata legimus, ita ut nonnullis locis, quid velit non facile sit ad perspiciendum. Recitatum est carmen

d. XXIX. Augusti, raro in ipsa S. Ioannis festivitate principali. Cum argumento carminis alii hymni qui permulti sunt, aliaeque Sequentiae S. Ioannis conferendae sunt. Magna est enim hoc loco inter veteris ac recentioris ecclesiae ritum discrepantia. Cum in illa Ioannes principis fere christianae antiquitatis honore frueretur, atque eius essent festivitates complures (praeter Nativitatem et Decollationem etiam deprehenditur Conceptio Ioann. XXIV. Sept. e. g. in Calend. Brandenburgensi) multique sermones de praecursore Domini haberentur: hodie in Romana ecclesia festum Ioannis primarium ritu quidem Duplicis I. Cl. cum Octava ac Decollatio eiusdem officio duplici maiori servatur, sed in multis dioecesibus non amplius est festum fori vel populi. Atque Protestantes ipsius Lutheri verba neglexerunt: „St. Iohannis Fest des Täufers soll man bleiben lassen, an dem sich das neue Testament angefangen hat.“ (Walch. XXII, 1510.): ideoque in plurimis ecclesiis pia Ioannis memoria iacet sepulta. — 1. Ps. XLVI, 6. 7. *Psallite Deo nostro psallite, psallite regi nostro psallite. Quoniam rex omnis terrae Deus, psallite sapienter.* Ad.: *Hortatur poeta populum ad psallendum, primo semel in laudem et gloriam divinae deitatis quantum ad essentiam, deinde ter quantum ad personas.* Quod subtilius prolatum est, quam ut possit probari. Propter numerum syllabarum vox Psallite bis tantum in hoc commate debet legi. 2. Fr. in cithara. M. 10. et c. 4. Hoc psalterio vel cithara carminis i. e. lingua sua cecinit in ecclesia proles matris sterilis nato virginis, domino suo. 6. Omisit Torr. Col. III, 5: *mortificate ergo membra vestra quae super terram sunt.* 8. Fr. Ad. restitit. 11. Quiesce — cessa de peccato. 12. Ps. LVII, 4. 5. *furor illis secundum similitudinem serpentis sicut aspidis surdae et obturantis aures suas quae non exaudiet vocem incantantium.* Egregie Torr. *Aspis est species serpentis quae cum audit incantatorem aurem obstruit unam terrae applicans, in alteram vero caudam torquens.* 13. Fr. Pr. carcerem. Notat poeta vel simulationem reguli vel ignaviam. 14. Lucis vel ad lucernam vel ad omnipotentis referri potest. Lud. in m.: lucerna lucens ut Io. V, 35. H. CLXXIX, 3. 4. *lucerna Christi et perpetis evangelista luminis.* 15. I. erat amicus Christi, Herodes diaboli cuius deliciis studebat. cf. Io. XVII, 12. 16. Pr. nata precatur. Torr.: *In hoc versu est color rhetoricus, qui dicitur dissolutio. Et est alius color, brevitas, nam tota decollationis Ioannis historia quam brevissime narratur.* 17. Fr. ante fit quam. Lud. sit. Vocabula saltationis et sanctitatis ex poetae sententia prorsus sibi sunt contraria. Nam, ut vult Chrysostomus, ubi est saltatio ibi est diabolus: neque ab hac saltantium censura discrepat Augustinus, qui omnem motum seu saltum petulantiae saltum esse in profundum inferni iudicat. Nec insulse Guilielmus

Lugdunensis hanc saltationis notionem tenet, ut sit chorea circulus, cuius centrum diabolus. 18. 19. Torr. esset. les. LVII, 1. *Iustus perit et nemo est qui recogitet in corde suo.* Fr. dum sit. Ps. CXV, 5. *Pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius.* Multi sunt poetae ac concionatores in conquerendo sancti Ioannis supplicio cuius auctor fuerat meretrix dolosa. Pro more suo acerrime invehitur Lutherus: *So hat es ein Ende, so gehet es aus mit dem grossen trefflichen Mann, der so herrlich gerühmet wird von Menschen und Engeln, ja von seinem Herrn selbst; der soll so einen schändlichen Tod leiden um einer bösen, verzweifelten Hure willen und sein Kopf auf einer Schüssel der Hure in die Kammer gebracht werden, dass sie ihre Lust daran siehet. Wunder wäre es nicht, dass das höllische Feuer drein geschlagen hätte.* 20. M. 10. Fr. talis et tantus est. Md. t. ac tantis. Ad. Br. et quantus. Lud. i. m. vic. nativitate. Claudius: *Iohannes der Täufer steht in der sichtbaren Welt zunächst und unmittelbar vor ihm und zieht also zunächst den Blick auf sich.* 22. M. 10. morti morte Nb. Lud. damnat. Matth. X, 24. *Non est discipulus super magistrum* etc. Sponsum appellat Christum ipse Ioannes Io. III, 29. 24. M. 10. eductum quod congruit rhythmo. Alii ductum — ps. sancti angeli Pr. coelum angeli. Nb. coeli angeli. Godeschalkus in hac clausula valde alienus est a scholasticorum dogmatibus: ex illis enim Ioannes in limbum descendens patribus Christum annunciavit ac postea ab ipso redemptore cum reliquis est liberatus.

XLII.

In Divisione Apostolorum.

1. Coeli enarrant gloriam Dei filii verbi incarnati, facti de terra coeli.

2. Haec enim gloria soli domino est congrua,

3. Nomen est cuius magni consilii angelus.

4. Istud consilium lapso homini auxilium est antiquum et profundum et verum factum solis tantum sanctis cognitum.

5. Cum angelus iste, homo factus ex muliere immortalem de mortali, de terra fecit coelum, ex homine angelum.

6. Hic est dominus exercituum deus, cuius sunt angeli in terram missi apostoli:

7. Quibus se ipsum vivum praebuit resurgens in multis argumentis pacem mortis victor nuntians.

8. Pax vobis, ego sum, inquit, nolite iam timere: praedicate verbum dei creaturae omni coram regibus et principibus.

9. Sicut misit me pater et ego mitto vos in mundum: estote ergo prudentes sicut serpentes, estote ut columbae simplices.

10. Hinc Petrus Romam apostolorum princeps adiit, Paulus Graeciam ubique docens gratiam, ter quatuor hi proceres in plagis terrae quatuor evangelizantes trinum et unum.

11. Andreas, Iacobus uterque, Philippus, Bartholomaeus, Simon, Thaddaeus, Ioannes, Thomas et Matthaeus duodecim iudices, non ab uno sed in unum divisi, per orbem divisos in unum colligunt:

12. In omnem terram exivit sonus eorum,

13. Et in fines orbis terrae verba eorum.

14. Quam speciosi pedes evangelizantium bona, praedicantium pacem,

15. Sanguine Christi redemptis ita dicentium: Sion, regnabit deus tuus,.

16. Qui verbo saecula fecit, quod pro nobis verbum caro factum est in fine saeculorum:

17. Hoc verbum quod praedicamus, Christum crucifixum qui vivit et regnat Deus in coelis.

18. Hi sunt coeli quibus, Christe, inhabitas, in quorum verbis tonas, fulguras signis, roras gratia:

19. His dixisti: Rorate coeli desuper et nubes pluant iustum, aperiatur terra germinans,

20. Germen iustum suscita, terram nostram qui apostolicis verbis serens germinare facias:

21. Quorum verbis verbum patris tenentes in patientia fructum ferre fac nos tibi domine.

22. Hi coeli, quos magni consilii angelus inhabitas, quos non servos sed amicos appellabas, quibus omnia quae audisti a patre notificas.

23. In quorum divisione collectum gregem custodias indivisum et in vinculo pacis ut in te unum simus sicut in patre tu es unus:

24. Miserere nobis tu qui habitas in coelis.

Ludecus: *Etsi dies divisionis apostolorum sacer non celebratur, neque de ea populus publice pro concione docetur: tamen cum sit festum ecclesiae et cantiones aliquid antiquae et sinceriorie antiquitatis redoleant, non potui facere, quin eas subiungerem.* Procul dubio his laudibus carmen supra scriptum intellectum voluit: neque

ego iniquius iudicem, quamquam sit iusto prolixius atque verbosum. Festivitas illa Divisionis vel ut rarius appellatur, Dimissionis et Dispersionis Apostolorum, (apud nostros: Apostheilung, Apostelscheidung, Aller Aposteln Tag, der zwölf Boten Tag als sie versandt wurden), vel Christum ipsum celebrat, apostolos suos munere initiantem eosque in mundum ire universum iubentem Matth. X. XXVIII. vel instituta est in honorem traditionis satis incertae. Narrant enim, app. priusquam in mundum universum dispergerentur, normam praedicationis et summam doctrinae christianae in commune constituisse et sorte certas provincias designasse in quibus praecipue docerent. Est autem sollemnitas libris Romanis, Italis ac Mozarabum prorsus incognita, accepta Germanis, Gallis, Hungaris aliisque gentibus. Sedes festi propria fere ubique dies XV. m. Iulii, ita in Calendario Brandenburgensi, Havelberg. Magdeburg. Halberstad. Misn. Mind. Numb. c. a., nec non in Lincensi etc. Apud alios tamen, ut Moguntinos et Salisburgenses est dies XVII., in Paderbornensi ut nunc est dies XVI. — 1. Sicut coeli et firmamentum enarrant gloriam Dei, ita apostoli coelesti doctrina illuminati nihil aliud praedicant nisi gloriam Christi, unde recte coeli vocantur, (Str. 1. 20. 21. 24) qui autea de terra erant i. e. terrenis desideriis flagrabant. Imago desumpta est ex Ps. XIX. quem in omnibus Apostolorum festis recitabant. 2. Apostoli, quorum praeconio verbum incarnatum mundo innotescit, superiores sunt prophetis et reliquis legis doctoribus. 3. Is. IX, 6. 4. Ad. Torr. illud. Ad.: *Erat enim angelis ignotum qui in ascensione eius admirantes dixerunt: Quis est iste qui venit de Edom. Etiam erat occultum diabolo.* 5. 6. Ita Chrysostomus Paulum apost. vocat angelum terrestrem. 5. Ita M. 11. Md. cf. Gal. IV, 4. M. 10. Pr. Nb. Md. Br. Cl. Lud. Ad. natus. Torr. homo ex mul. 7. Act. 1, 3. 8. 9. Contexuit poeta locos scripturae Io. XX, 19—21. Mc. XVI, 15. Matth. X, 16. 18. 10. M. 10. 11. alii proceres. 11. Ad. Torr. Matthias et Matthaeus in Codd. et libris reliquis nomen Matthiae omissum. Eodem modo in prosa: Clare sanctorum apostoli nomen omissum est. Nec possumus quin fateamur patres ecclesiae veteris numero apostolorum duodenario nonnihil vexatos esse. Neque id mirum. Nam Paulo, quem officium ecclesiae tanquam throno duodecimo dignissimum praedicat, insignem iniuriam inferre videbantur, si qui illum virum apostolica dignitate abiudicare vellent. Contra historiae testimonium locupletissimum contemnere videbantur, si qui electionem apostoli Matthiae, cui in Actis App. laus non minima tribuitur, tanquam illegitimam repudiare vellent. Quem nodum ut solveret vetus ec-

clesia praefulgente Pauli nomine ducta, ne dicam capta, Matthiam apostolum non quidem repudiavisse sed quodammodo neglexisse videtur. Certe hoc constat, Matthiam multo seriore tempore quam ceteros apostolos suum diem festum nactum esse. Non equidem ignoro illum diem iam in Sacramentario Gregorii commemorari, sed ne huic rei multum tribuam, vetant libri manuscripti, quorum optimi de illo die nihil habent. Huc accedit quod in canone missae Matthias non inter apostolorum sed martyrum numerum relatus deprehenditur. Denique ex sermone sacro, qui apud Pelbartum legitur, satis apparet concionatores ne Matthiae apostoli nomen apud plebem Christianam sordesceret, de industria eum laudibus celebravisse. *Miles quidam cùm ex devotione vellet aliquem apostolorum eligere sibi in patronum, ut moris est, semel bis et tertio occurrit sibi inter nomina apostolorum conscripta nomen Matthiae. Qui indignatus proiecit illud dicens: Quid mihi de hoc, si nullum apostolorum maiorem habere potui pro patrono. Post aliquod tempus cum miles visitare vellet loca sancta passionis Christi, navis in maris maximis tempestatibus impellitur adeo ut desperati homines de vita, cogerentur sorte deprehensum ex eis in mare exponere. Sorsque cecidit super militem. Qui cum super nudam tabulam expositus fluctibus iam esset morti proximus, ecce vidit splendidum virum pretiosa veste indutum dicentem: Vellesne, ait, tu obsequium impendere illi, qui de istis periculis te liberaret? Miles ait: Quamdiu vixero promitto illi deservire. At ille: Ego sum Matthias apostolus quem patronum habere contempsisti, et manu extensa ipsum liberavit.* Hodiernus ecclesiae Romanae ritus Matthiam apostolum quasi ab iniuria priorum saeculorum vindicat, nam cum reliquis apostolis eodem loco ac numero habetur, suum ille diem festum, suos honores habet neque quod sciam quidquam differt nisi quod ei anno quoque intercalari postero die honores debiti perhibentur. Duodecim iudices Matth. XIX, 28. H. CCXXXII, 5. vos saecli insti iudices. M. 11. in una. Sunt missi app. non ut separentur a fide quae una est, a Deo qui unus est, sed ut unum idemque enitantur omnes, ut colligant omnes homines in unum. 14. Ps. XIX, 4. 5. 16. M. 11. Br. Lud. ev. pacem pr. bona. Nb. Md. Br. bonum Rom. X, 15. Is. LII, 7. 18. Br. Christus M. 11. gratia. 19. Is. XLV, 8. 20. Ierem. XXIII, 5. *Ecce dies veniunt et suscitabo David germen iustum.* Pr. Nb. suscitat. Alii voces: germen iustum iungunt strophae antecedenti. 21. Luc. VIII, 15. *fructum afferunt in patientia.* 22. Ad. Cl. Torr. Hi sunt coeli. Io. XV, 15. 23. In festivitate Divisionis quae hodie celebratur. Md. Br. pacis unum. Io. XVII, 23. 24. Nb. Md. Br. Lud. habitas rex.

XLIII.

De una Virgine.

1. Exultent filiae Sion in rege suo
2. Nescientes torum delicti crimine sordidatum:
3. Quarum, Christe, sponsus virginum, virginis es filius:
4. Cuius gratia mira opera in sanctis tuis sunt edita,
5. Ut das cernere hac in virgine cuius haec festa sunt hodie:
6. Quae fragili sexu femineo viriliter carnis iure domito
7. Angelicam hic vitam duxerat in carne, dum praeter carnem vixerat.
8. Hoc miratur serpens antiquus, calcaneum eius observabat callidus:
9. Quod nocere dum machinatur, sub pedibus feminae caput eius teritur.
10. Insidias hostis hanc, Christe, docuisti vincere in prima congressione,
11. Dum non consentiret, sed illi resisteret, vincere qui solet tentatus si non repugnet
12. Quem haec virgo resistens a se fecit fugere, quo fugato appropinquabat tibi, domine.
13. Nam inter virgines adducta post eam quae mater est intacta, virginum virginis Mariae digna est pedissequa:
14. Te agnum sine macula iam sequitur stola candida, filium virginis, quocunque virginum flos ierit.
15. Huius intercessione nos tuere.

Est Sequentia in festivitatibus virginum decantanda, cuius materia respicit castitatem virginalem. Et procedit auctor in ea tali modo ac si tantum de una virgine loqueretur, quamvis poterit pluribus applicari. Et dividitur ista Sequentia in tres partes. In prima hortatur quamlibet animam fidelem ad gaudendum de constantia virginali. In secunda commendat quamlibet virginem ratione resistentiae tentationum carnalium. In tertia describit gloriam et remunerationem eius in coelo. Haec Adelphus. Verumtamen vides, apte quadrare carmen in legendam S. Margaritae V. M., quam diabolum, sub specie belluae monstrosissimae in carcere apparentem, pedis impositione domuisse domitumque fugasse narrant antiqui. Unde, si non singulari laude hanc virginem prosecutus sit poetae, hoc ipsum eius martyrium ei ante oculos versatum facile credideris. — Ps. CXLIX, 2. *Exultent filiae Sion in rege*

nuo. Miramur torum quemvis coniugii delicti crimine sordidari: facit cum Augustiniano illo de concupiscentia decreto. 4. Ad.: sunt merita. 5. Ad.: *Tangit verba Geneseos ubi Deus maledixit serpenti: Tu insidiaberis calcaneo eius et ipsa conteret caput tuum. Haec verba fuerunt praesagium omnium virginum in castitate militantium et principaliter virginis gloriosae Mariae.* Md. Ad. qui noc. 10. Md. om. in. 11. Ad. tentatos — repugnent. 12. Md. Ad. appropinquavit. Md. domino. 13. Pt. nunc inter. Md. Nb. abducta sed vestigia premit psalmistae Ps. XLIV.: *adducentur regi virgines post eam.* 14. M. 10. sequetur. Hieronymus: *Nuptiae replent terram, virginitas paradisum.* Locum Apocalypseos pressiore expinxit colore poeta teutonicus (Wack. p. 620): *Do fürt Jhesus den tantze mit aller megde schaar.* 15. Ad. Md. Nb. cuius. Pt. tu nos.

E.

SEQUENTIAE AD SAECULUM USQUE XI. COMPOSITAE. *)

XLIV. *De Assumptione B. V.*

Ave Dei genitrix summi, virgo semper Maria etc.

XLV.

De Sancta Trinitate.

1. Benedicta semper sit sancta Trinitas, deitas scilicet unica, coaequalis gloria:

2. Pater, filius, sanctus spiritus tria sunt nomina, omnia eadem substantia.

3. Deus genitor, deus genitus: in utroque sacer spiritus deitate socius.

---

*) Omnes continentur Cod. Monac. 6.

4. Non tres tamen dii sunt, deus verus unus: sic pater Dominus filius, spiritusque sanctus.

5. Proprietas in personis unitas est in essentia:

6. Maiestas par et potestas, decus, honor aeque per omnia.

7. Sidera maria continens, arva simul et universa condita.

8. Quem tremunt impia tartara, colit quoque quem et abyssus infima.

9. Nunc omnis vox atque lingua fateatur hunc laude debita,

10. Quem laudat sol atque luna, dignitas adorat angelica.

11. Nunc omnes iubilemus altithrono domino laudes in excelsis:

12. Eia et Eia omnes simul modulemur organica cantica dulci melodia.

13. O veneranda unitas,

14. O adoranda Trinitas:

15. Per te sumus creati, vera aeternitas:

16. Per te sumus redempti, summa tu caritas.

17. Populum cunctum tu protege, salva, libera, eripe et emunda.

18. Te adoramus omnipotens, tibi canimus, tibi laus et gloria

19. Per infinita saecula saeculorum.

Non recte agimus, si hanc Sequentiam festo S. Trinitatis propriam fuisse ac primum in eodem esse cantatum arbitramur: non enim satis liquet, ex quonam tempore haec festivitas in Romana ecclesia sancita sit et omnibus praecepta. Etenim quamquam Benedictus XIV. in libro de festis censet, sollemnitatem illam a Ioanne XXII. anno 1334 constitutam esse, tamen neque in Missal. Venet. a. 1469 edito, nec in Missali Ord. Minorum a. 1482 Romae edito ullum illius festivitatis exstat vestigium. Missale Eremit. S. Augustini quod Venetiis a. 1497 in lucem prodiit, haec iubet: „In prima Dominica post Pentecosten fit officium sanctae et individuae Trinitatis cum memoria Dominicae. Missam require in fine libri ad votivas missas.“ In Germania vero decimo iam saeculo indicia huius festi prima inveniri dicuntur et postea in omnibus dioecesibus illam festivitatem celebratam esse scimus, ita tamen ut apud nonnullos (Magdeb. Halberst. Mind. c. a.) feria secunda post Octavam Pentecostes perage-

retur. Si quaerimus, cur hoc festum omnino ac praecipue Romae tam sero receptum sit, causa posita nobis videtur esse in natura ecclesiae veteris et imprimis Romanae, quae diebus festis non tam dogmata ob mentis et animi oculos recolenda proponit, quam historias sacras quasi corporis auribus et oculis praebet percipiendas. Quo factum est ut omnia festa, in quibus dogmata docentur, veluti Trinitatis, Corporis Christi, Conceptionis Mariae non in ipsa ecclesiae metropoli inventa sed eo aliunde invecta sint. Praeterea id quoque spectandum est, quod omnes dominicae quasi pro Trinitatis festis habebantur, quare etiam in iis vetustissima illa decantabatur Praefatio de Trinitate. Item Missam votivam et Officium votivum de Trinitate habemus haud modicae antiquitatis, ad quod Prosa supra scripta pertinere videtur. Postea haec in ipso Trinit. festo legebatur, sed non ut ait Adelphus per universum orbem: nam aliae quoque praeter illam usurpabantur. Auctor huius Sequentiae plerumque et nuper a Ramhachio Notkerus appellatur, sed res est valde incerta: quippe in cod. Monac. 5. hanc una cum duobus aliis carminibus postea esse adiectam, certo certius est. Multa in hac prosa legi quae ex symbolo S. Athanasii sint traducta, non est quod moneamus. — 1. Ita Introitus Missae de Tr.: *Benedicta sit sancta Trinitas et indivisa unitas.* Scriptura a nobis recepta est Codd. 5. 6. in reliquis libris deitas scilicet unitas. Symb. Ath.: *aequalis gloria, coaeterna maiestas.* 2. Pm. sed una eadem. Nomen, vox in doctrina de Trinitate sollemnis. Ad.: *Quomodo hoc debet intelligi, ostenditur per illud vulgare dictum: Nix, glacies et aqua tria nomina, res tamen una. Sunt res distinctae, attamen confluunt in unam naturam aquaticam.* 3. Pm. Md. Rbch. socia. 4. Symb. Ath.: *Et tamen non tres Dii sed unus est Deus.* M. 5. vere unus fortasse ita poeta scripsit. Ad. filiusque sp. sct. M. 16. fil. sp. sct. Lud. spiritus dominus. Cl.: *Post hunc versum aliqui libri* (e. g. Pm.) *continuo hunc habent:* Ipse tamen filius deus verus a patre, praeclarus itaque spiritus ab utroque emanat (vel ut in Pm. emanans). Sapit glossa dissidium illud inter orientalem et occidentalem ecclesiam, utrum Spiritus a patre et filio procedat nec ne. 5. M. 16. Md. Pm. Pt. Torr. Lud. Rbch. est et. M. 16. honor quoque. Pm. trinitas est in personis. Praef. de Trin.: — — *in personis proprietas, et in essentia unitas et in maiestate adoretur aequalitas.* 7. M. 10. similiter et. Pm. continet. 8. Iac. II, 19. Ad.: *In toto universo triplex est locus qui cognoscit deum trinum et unum. Summus, sicut coelum: medius sicut terra, infimus sicut tartarus. Primus est bonus, quia ibi est summa laetitia. Secundus medio modo se habet, quia ibi est spes et timor. Sed tertius est pessimus, quia ibi est sum-*

ma tristitia. 9. M. 5. 16. Nb. Pt. Torr. Ad. Lud. Cl. laudant. M. 10. adorant angeli. Ex libris Clichtovaei nonnulli pluralitas angelica. Apud Torr. octava Stropha sequitur nonam. 10. 11. Exhibuimus locum uti exstabat in Codd. 5. 6. Reliqui: Et nos voce praecelsa (nunc) omnes modulemur organica cantica dulci melodia: Eia et Eia nunc simul iubilemus altithrono domino laudes in excelsis, ita tamen ut in singulis aliquantisper discrepent. M. 10. 12. 16. Nb. Md. Pm. Lud. Cl. om. nunc. M. 16. in excelso. Cl. notat singulos libros propter scriptionem altithroni etc. Cantica organica vel sunt simpliciter musica, ut apud Lucret. III. 133: *saltus organicus Heliconis*, vel ea quae organorum strepitu recitantur. 12. Ita M. 5. 6. 10. 12. 13. reliqui o. ad. tr. o. ven. un. Pm. o admiranda tr. 18. M. 12. Pm. prorsus omittunt.

XLVI. *In Octava Pentecostes.*

Benedicto gratias deo nos referamus etc.

XLVII.

Sabbato Septuagesimae.

1. Cantemus cuncti melodum nunc Alleluia.

1. In laudibus aeterni regis haec plebs resultet Alleluia.

3. Hoc deniqne coelestis chori cantent in altum Alleluia.

4. Hoc beatorum per prata paradisiaca psallat concentus Alleluia.

5. Quin et astrorum micantia luminaria iubilent altum Alleluia.

6. Nubium cursus, ventorum volatus, fulgurum coruscatio et tonitruum sonitus dulce consonent simul Alleluia.

7. Fluctus et undae, imber et procellae, tempestas et serenitas, cauma, gelu, nix, prunae, saltus, nemora pangant Alleluia.

8. Hinc variae volucres creatorem laudibus concinite cum Alleluia.

9. Ast illic respondeant voces altae diversarum bestiarum Alleluia.

10. Istinc montium celsi vertices sonent Alleluia.

11. Hinc vallium profunditates saltent Alleluia.

12. Tu quoque maris iubilans abysse dic Alleluia.

13. Nec non terrarum molis immensitates: Alleluia.

14. Nunc omne genus humanum laudans exultet: Alleluia.

15. Et creatori grates frequentans consonet: Alleluia.

16. Hoc denique nomen audire iugiter delectatur: Alleluia.

17. Hoc etiam carmen coeleste comprobat ipse Christus: Alleluia.

18. Nunc vos socii cantate laetantes: Alleluia.

19. Et vos pueruli respondete semper Alleluia.

20. Nunc omnes canite simul Alleluia domino, Alleluia Christo pneumatique Alleluia.

21. Laus Trinitati aeternae in baptismo domini quae clarificatur: Hinc canamus: Alleluia.

Praeclarissimum carmen, ad normam Psalmi centesimi quadragesimi octavi confectum, in Missalibus ac Sequentiariis satis est rarum. Descripsimus ex Codd. Mon. 6. et 11. neque ab his libris abhorret Codex Biblioth. Palat. Vindob. No. 1485. fol. 50. a. b. qui Wolfio sacrum dithyrambum suppeditavit. Invenit praeterea Vir Doctus in libro liturgico parvulorum usui accommodato qui prodiit Basileae 1516. atque in alio hymnario pervetusto. Ut videtur uterque liber clausulam 21. ita legunt: Laus Trinitati aeternae All. All. All. All. All. All. Cantabatur autem alleluiatica quam vocant Sequentia, Sabbato Septuagesimae priusquam Alleluia deponebatur vel sepeliebatur. Confer quae adnotavimus ad Hymn. CCLXIII. Alleluia dulce carmen, vox perennis gaudii.

XLVIII. *Sabbato in Albis.*

Carmen suo dilecto etc.

XLIX. *De Inventione S. Stephani.*

Christi domini militis martyrisque fortissimi proelia etc.

L. *In Octava Ascensionis.*

Christus hunc diem iucundum etc.

LI. *De S. Bartholomaeo (Pr.)*

Diem festum Bartholomaei Christi amici fratres excolite etc.

LII. *De Nativitate Mariae.*

Ecce sollemni hoc die canamus festa etc.

LIII. *Dominica post Ascensionem.*

En regnator coelestium, terrenorum etc.

LIV. *In Natali S. Dionysii et Sociorum.*

Exultemus in ista fratres sollemnitate, gaudeat pariter omnis ecclesia etc. — — Sed non minus Radaspona beata quae nutu supero translata nunc ossa habet eadem etc.

In Cod. 5. secunda manu adiectum est carmen. In margine annotatur: „In coenobium istud transtulerat mortalium rex invictissimus regum Arnolfus sanctissimi thesaurum corpus Dionysii.“ De famosa ista controversia quam de corpore S. Dionysii habebant inter se monachi S. Emmerani Ratisbonenses et claustrum S. Dionysii apud Lutetiam, adeas Raderum Bavar. Sanct. I. 119 sq. Hanc ossum sacrorum translationem vel ut rectius dicam hoc sacrum furtum cantat prosa saeculi XI. (ex Cod. Mon. Emmerac. E. CXIII.) cuius fragmentum legitur apud Wolfium p. 466:

Audite fideles populi causam rumoris maximi
Quae sub temporibus modernis Noricis contigit terris.

Beatissimus namque Dionysius, Athenis quondam episcopus,
Quem sanctus Clemens direxit in Galliam propter praedicandi gratiam
Ibidemque martyrio coronatus comperitur et tumulatus.

Hic idem sub tempore iam contiguo inde translatus est Norico
In Emmerami beati coenobium, satis celebre et famosum.
Sed hoc quali perpetratum constet modo, vobis breviter nunciabo.

Imperator fuit quidam eximius, nomine etiam Arnolfus
Ex illius prosapia gloriosi pontificis quondam Arnolfi
Clarissimam tenens carnis originem eiusdemque sequens virtutem.

Ille ergo invitatus confinia petiit occidentalia,
Commissurus bellum contra quasdam gentes iam gallica regna prementes.
Quas incolae non ipsius provinciae per se valebant superare.

Cumque per omnipotentis auxilium ita vim deleret hostium
Ut de exercitu eorum immenso non restaret unicus homo
Cum tanti triumphi gloria reversus venit ad urbem Parisina.

Qua tum per dies aliquot resedisset et de diversis tractavisset
Coepit hoc etiam secreta tractare omnimodisque explorare
Qualiter valeret corpus sanctissimi obtinere Dionysii.

Ad haec multi respondentes multa eaque varia dabant consilia;
Sed postremo quidam — — — — —

LV. *De S. Iacobo Ap.* (*Pr.*)

Gaude Christi sponsa, virgo mater ecclesia etc.

Nihil in hoc carmine legitur de Hispanico Iacobi itinere vel de ossibus eius Compostellam translatis. Ultimae strophae mentionem iniiciunt S. Christophori M. quem commemorare solebant ac solent catholici homines ipsa hac apostoli festivitate cf. H. CCCXLIX.

LVI. *In Octava Nativitatis Domini.*

Gaude Maria virgo Dei genitrix quae promissis Gabrielis spe devota credidisti etc.

LVII. *In Octava paschali* (*Pr.*)

Haec est sancta sollemnitas sollemnitatum etc.

LVIII. *Feria Sexta in Albis.*

Is qui prius habitum mortis induit etc.

LIX. *In Octava Epiphaniae.*

Iste dies celebris constat etc.

LX. *Dominica post Octavam Paschae.*

Iudicem nos inspicientem, crypta cordis rimantem etc.

LXXVI. *Diebus Dominicis.*

Stans a longe qui plurima perpetravit facinora etc.

LXXVII. *In Decollatione S. Ioannis.*

Summum praeconem Christi collaudemus laeti etc.

LXXVIII. *De Martyribus.*

Turbam bellicosam quam Dei non verentes servi etc.

F.

HILDEBERTUS TURONENSIS.

LXXIX. *De Nativitate Domini.*

Promissa mundo gaudia
Superna solvit gratia
Die ista:
In virgine fecunditas
In prole fulsit deitas
Die ista etc.

Continet carmen strophas novemdecim, et per totum recurrit hypopsalma illud: Die ista. Rarum est in Missalibus.

G.

PETRUS ABAELARDUS.

LXXX.

In Annuntiatione Beatae Virginis.

1. Mittit ad virginem
Non quemvis angelum
Sed fortitudinem
Suam, archangelum,
Amator hominis.

2. Fortem expediat
Pro nobis nuntium,
Naturae faciat
Ut praeiudicium
In partu virginis.

3. Naturam superat
Natus rex gloriae,
Regnat et imperat
Et zyma scoriae
Tollit de medio.

4. Superbientium
Terat fastigia,
Colla sublimium
Calcet vi propria
Potens in proelio.

5. Foras eiiciat
Mundanum principem,
Matremque faciat
Secum participem
Patris imperii.

6. Exi qui mitteris,
Haec dona dissere,
Revela veteris
Velamen literae
Virtute nuntii.

7. Accede, nuncia,
Dic Ave cominus,
Dic plena gratia,
Dic tecum dominus
Et dic Ne timeas.

8. Virgo suscipiens
Dei depositum,
In quo perficiens
Castum propositum
Et votum teneat.

9. Audit et suscipit
Puella nuntium
Credit et concipit
Et parit filium
Sed admirabilem.

10. Consiliarium
Humani generis
Et deum fortium
Et patrem posteris,
In fide stabilem.

[11. Cuius stabilitas
Nos reddat stabiles
Ne nos labilitas
Mundana labiles
Secum praecipitet.

12. Sed dator veniae
Concessa venia
Per matrem gratiae
Obtenta gratia
In nobis habitet.]

13. Qui nobis tribuat
Peccati veniam,
Reatus diluat
Et donet patriam
In arce siderum.

Duo huius Sequentiae eximiae in memoria mihi sunt laudatores, quorum elogia ut hic repetantur suadet et iudicum auctoritas et ipsum iudicium ad ingenium carminis accommodatum. Dico Clichtovaeum in Elucidatorio: *Haec prosa lege rhythmica eleganter et venuste est composita — auctor eius fuisse dicitur P. A. vir sua tempestate virtutis et doctrinae splendore ac gloria insignis. Et certe modulationis huius elegantia ac gratia facile prodit eum omnifaria eruditionis fuisse plenissimum.* Huic adiungas Rambachium Anth. I. 264: *A. schrieb zunächst zum Gebrauche des Klosters Paraclet mehrere Kirchengesänge (Henric. Gandav. de sc. eccl. app. c. 3.) unter welche auch der folgende gehört haben mag, der trotz des übeln Rufes, in welchen die Verketzerung seinen Verfasser gebracht hatte, in Frankreich sowohl als in andern Ländern ungemeinen Beifall fand, auch in den protestantischen Kirchen noch lange nach der Reformation am Verkündigungsfeste und zur Adventszeit häufig gesungen wurde. Eine Nachbildung desselben ist das vormals auch unter uns nicht unbekannte Lied der böhmischen Brüder;* Als der gütige Gott (Wackern. p. 301.) Iam antea germanicum fecit Ioannes Salisburg. Des Menschen liebhaber sand zu der maide her Hoffmann D. K. p. 143) *In dem hier wiederholten Abdrucke sind drei* (rectius duae, 11. 12) *überflüssige und zum Theil anstössige Strophen weggelassen* Et sane datum est Viro Docto habere nasum: odoratus est quod Cod. Mon. 10. satis antiqua auctoritate confirmatur: accedunt quoque Fr. Nb. Lud. Omnes enim illas strophas, utpote spurias et ab ingenio Abaelardi alienas omittunt. Cantata est Sequentia vel in festo Annuntiationis vel tempore Adventus vel in Missa de Dominica post Adventum: tamen non adeo crebra est in Missalibus Germaniae. — 1. M. 10. 17. Rbch. suum. M. 16. nuntium. Ad.: *Necessarium fuit ut iste angelus qui fortitudo dei interpretatur ad virginem mitteretur, de qua rex fortissimus nasceretur. Nam omne simile applaudit suo simili.* 2. Rbch. vertit satis libere: *Welchen im Fleisch zu sehn Himmel und Erd erstaunt.* 3. Lud. Rbch. superet — regnet — imperet. Ad. Clicht. Nb. ut zyma. Lud. Rbch. tollat. M. 10. tulit. Lud.: *Per zyma scoriae allegorice intelligitur peccatum originis.* 4. M. 16. terit. M. 16. Fr. Pt. e. a. fastidia. Obversabatur seriori aetati antiphona Ecclesiae: fastidiosos divites dimittis inanes. M. 16. calcans. 5. M. 10. nobis qui faciat secum participem virtute nuntii. 6. M. 16. discere. Lud. Rbch. dicere. M. 10. patris imperii.

8. Apud multos: suscipias — perficias — teneas. M. 16. Lud. casta. 9. Fr. deum et hominem. Ad.: *In his quinque verbis (fiat mihi secundum verbum tuum) creditur, beata virgo Maria filium eius concepisse.* 10. M. 10. Nb. in fine. Rbch. in pace. 11. 12. M. 16. humana labiles. M. 16. per matrem domini. 13. M. 16. 17. Nb. Cl. Ad. donat.

H.

S. BERNARDUS.

LXXXI.

De Nativitate Domini.

1. Laetabundus exultet fidelis chorus:
Alleluia.
2. Regem regum intactae profundit torus
Res miranda.
3. Angelus consilii natus est de virgine
Sol de stella.
4. Sol occasum nesciens, stella semper rutilans
Semper clara.
5. Sicut sidus radium profert virgo filium
Pari forma.
6. Neque sidus radio neque mater filio
Fit corrupta.
7. Cedrus alta Libani conformatur hyssopo
Valle nostra.
8. Verbum ens altissimi corporali passum est
Carne sumpta.
9. Isaias cecinit, synagoga meminit, nunquam tamen desinit
Esse caeca.
10. Si non suis vatibus credat vel gentilibus, Sybillinis versibus
Haec praedicta.

11. Infelix propera, crede vel vetera, cur damnaberis gens misera.

12. Natum considera, quem docet littera: ipsum genuit puerpera.

Hoc carmen, cui alius aliis in regionibus usus sacer erat, in dioecesibus Anglicanis et Gallicis usitatissimum fuisse videtur. Recedit a more solito, quod Brev. Sarisburiense velut hymnum secundis Vesperis in Assumptione Virginis assignat. Sequentiam nostram quae etiam μελωδίας suavitate excellit F. Wolfius in egregio suo libro pluribus locis tangit. Textum carminis vir doctus ex codice bibliothecae Viennensis (Mus. S. AN. 47. E. 7. c. sc. XV.), Graduali Pataviensi in comparationem adhibito accurate constituit: idem etiam p. 196 de carminis rhythmo recte iudicavit et optime docuit. Dubitare non possumus quin carmen pervulgatum fuerit, cum duo exstent carmina profana, ad irrisionem sequentiae scripta. Horum unum, quod antiquissimum carminum omnium in laudem cerevisiae compositorum est, apud Wolfium habes p. 439. idque cum rarissimum sit, lectoribus ingratum non fore speramus, quod infra Bacchi laudes istas apposuimus *). Morem illum, carmina sacra profanis irridendi veteribus temporibus maxime frequentatum iam in primo operis nostri tomo expo-

---

Or hi parra,
La cerveyse nos chauntera:
Alleluia!
Qui que aukes en, beyt,
Si tel seyt com estre doit,
Res miranda!

Bevez quant l'avez en poin;
Ben est droit, car nuit est loing,
Sol de stella.
Bevez bien e bevez bel,
Il vos vendra del tonel
Semper clara.

Bevez bel e bevez bien,
Vos le vostre et io le mien,
Pari forma.
De ço soit bien porvéu;
Qui que auques le tient al fu,
Fit corrupta.

Riches genz funt lur brut:
Fesom nus nostre deduit,
Valla nostra.
Beneyt soit li bon veisin
Qui nos dune payn e vin,
Carne sumpta;

E la dame de la maison
Ki nus fait chere real!
Là ne pusse-ele par mal
Esse ceca!
Mut nus dune volenters
Bon beiveres e bons mangers:
Meuz waut que autres muliers
Hec predicta.

Or bewom al dereyn
Par meitez e par pleyn,
Que nus ne séum demayn
Gens misera.
Ne nostre tonel wis ne fut,
Kar plein ert de bon frut,
Et si ert tut anuit
Puerpera.
Amen.

suimus (ad Hymn. 329): nostra aetas vix unum alterumve exemplum talis irrisionis offert. Mihi quidem hoc unum innotuit, quod Kohlius ille qui *πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω* narrat, Iudaeos Poloniae eodem quo psalmos in Synagogis garriunt et blaterant numero ac rhythmo, (si quis est) etiam carmina potatoria in cauponis decantare (Reisen im Innern von Russland etc. III. p. 51) — nisi quis forte etiam melodiam: Ein' feste Burg ist unser Gott, quam histriones Meyerbeeri Hugenottas agentes in scena decantant, huc referre volet. 3. Md. om. est. Cf. H. 250, 1. 2. De stella sol oriturus stellae matrem praefert purus. 4. Nb. valde clara. 5. 6. Md. nec — nec. Pt. Md. Nb. Torr. Ad. virgo filio. 8. Sb. Nh. Md. Torr. Lud. Rbch. corporari. Pt. Ad. corporali: eandem scripturam exhibent codices F. Wolfii, cui tamen altera lectio magis placet. Sane primo obtutu per *ταυτολογίαν* dictum esse videtur, quod caro appellatur corporalis, sed voluit poeta hac voce minime otiosa id efficere ut Christum Iesum vere et realiter, non ad speciem ut Docetae volunt passum esse demonstraret. Si legitur corporari, vel passionem significat, vel *ἐνανθρώπησιν*. Nam vox corporare utraque notione occurrit. Cf. Du Cange s. h. v. et qui subtilius ac doctius de hac re disputavit Barth. Advers. VII, 2. *Cum dominus et salvator noster unicus humanum corpus assumpsit, plurimum difficultatis christianis scriptoribus et olim et nunc subortum est, ut eum rem verbo uliquo nequirent exprimere. Ego autem in re tanta proprie loqui non negem et verbum corporatum vel Deum corporatum esse dicere non abhorream, auctorem habens elegantissimum scriptorem Lact. Instit IV, 26. Tertull. de carne. Chr. 4. 5.* 10. Ad.: credit. Clicht.: *Sybilla Hellespontica haec de Christo vaticinata dicitur: De excelso coelorum habitaculo humiles prospexit Deus et nascetur in novissimis diebus de Virg. Hebraea. Sybilla vero Cumaea hoc de Christi nativitate cecinit oraculum: Veniet ille et colles transibit et Olympi vertices regnabitque in paupertate et dominabitur in silentio et ex utero virginis veniet. Insuper S. Tiburtina suis carminibus haec de Christi praedixit: Nascetur Christi in Bethleem et annunciabitur in Nazareth. O felix illa mater cuius ubera illum lactabunt. Demum S. Persica ita de incarnationis mysterio texuisse dicitur oraculum: Ecce bestia conculcaberis et gignetur Dominus in orbe terraurm et gremium virginis erit salus gentium et pedes eius in valitudine hominum et invisibile verbum palpabitur.* 11. Pm. Quem docet litera ipsum considera. 12. Ramb. en genuit. Wolfius l. c.: *Man bemerke noch, dass diese Sequenz nicht wie gewöhnlich in den Drucken mit Amen, sondern mit Maria und in den aus andern Hss. mitgetheilten Varianten sogar noch mit Alleluia schliesst.* In libris quos equidem inspexi (praeter Miss. Nb. quod Mariae nomen in calce Sequentiae profert) neque Maria neque Alleluia investigavi.

I.

ADAM DE SCTO. VICTORE.

LXXXII.

De S. Stephano.

1. Heri mundus exultavit
Et exultans celebravit
Christi natalitia:
Heri chorus angelorum
Prosecutus est coelorum
Regem cum laetitia.

2. Protomartyr et Levita
Clarus fide, clarus vita,
Clarus et miraculis
Sub hac luce triumphavit
Et triumphans insultavit
Stephanus incredulis.

3. Fremunt ergo tanquam ferae
Quia victi defecere
Lucis adversarii:
Falsos testes statuunt
Et linguas exacuunt
Viperarum filii.

4. Agonista, nulli cede,
Certa certus de mercede
Persevera Stephane:
Iusta falsis testibus,
Confuta sermonibus
Synagogam Satanae.

5. Testis tuus est in coelis,
Testis verax et fidelis
Testis innocentiae.
Nomen habes coronati,
Te tormenta decet pati
Pro corona gloriae.

6. Pro corona non marcenti
Perfer brevis vim tormenti,
Te manet victoria.
Tibi fiet mors natalis,
Tibi poena terminalis
Dat vitae primordia.

7. Plenus sancto spiritu
Penetrat intuitu
Stephanus coelestia.
Videns Dei gloriam
Crescit ad victoriam
Suspirat ad praemia.

8. En a dextris Dei stantem
Iesum, pro te dimicantem
Stephane considera:
Tibi coelos reserari
Tibi Christum revelari,
Clama voce libera.

9. Se commendat salvatori
Pro quo dulce ducit mori
Sub ipsis lapidibus:
Saulus servat omnium
Vestes lapidantium,
Lapidans in omnibus.

10. Ne peccatum statuatur
Iis, a quibus lapidatur
Genu ponit et precatur
Condolens insaniae
In Christo sic obdormivit
Qui Christo sic obedivit
Et cum Christo semper vivit
Martyrum primitiae.

11. Quod sex suscitaverit
Mortuos in Africa,
Augustinus asserit,
Fama refert publica.

12. Huius Dei gratiâ
Revelato corpore,
Mundo datur pluvi
Siccitatis tempore.

13. Solo fugat hic odore
Morbos et daemonia,
Laude dignus et honore
Iugique memoria.

14. Martyr cuius est iucundum
Nomen in ecclesia:
Languescentem fove mundum
Coelesti fragrantia.

Adami a St. Victore Sequentias, quotquot supersunt, Clichtovaeus primus in lucem edidit, cuius potissimum auctoritatem in textu constituendo secuti sumus. Qua in re necessitati cessimus: nam pauca tantum Adami carmina (quod mireris) etiam extra Galliae fines usum sacrum obtinuerunt. Non autem amplius mirum hoc erit reputantibus nobis, Sequentias ex totius nationis ingenio, historia, literis tanquam suis radicibus ita prodiisse, ut suum quaeque natio Sequentiarum cyclum habeat. Carmen supra scriptum, quod praeter Clichtovaeum in vetusto Praemonstratensium Missali reperimus, optimum Adami ingenium redolet, quod bene depinxit Rambachius (Anth. I. p. 284. Nächst Notker und Damiani der fruchtbarste Dichter des Mittelalters für den Kirchengesang und in Absicht auf sinnreiche Behandlung der Gegenstände, lebendige Darstellung und Gewandtheit in der Sprache, wie in der Versification unstreitig der Erste von allen. Der einzige Vorwurf, den man ihm machen könnte, der aber doch im Grunde weniger ihn, als seine Nationalität trifft, ist der, dass er in manchen seiner Lieder seiner Phantasie und seinem Witz zu viele Freiheit verstattet und seine Kenntniss der typischen Theologie allzusehr zur Schau trägt). Strophas XI—XIV. non possum quin in suspicionem adducam.

Nam ut taceam, stropha decima carmen optime concludi, vero est simillimum strophas insequentes, ut carmen festo Inventionis S. Stephani adaptaretur, aliena manu serioribus temporibus additas esse. Notandum etiam est, in his strophis unum exemplum falsae et ab ipsa ecclesia Romana damnatae invocationis Sanctorum exstare. Docet enim ecclesia hominem non rerum subministratione, sed precum coniunctione a Sanctis iuvari, quod quidem ab eis non prorsus alienum esse eorumque invocationem hoc certe nomine ferri posse vel ipse Lutherus concessit (Gleich als du zu deinem Nächsten sagst: bitte Gott für mich! also magst du hier sagen: Lieber St. Peter bitte für mich! Du sündigest nicht, wenn du sie also anrufest, auch nicht, wenn du sie nicht anrufest. Wiewohl ich rathen wollte, du gäbest dich allein auf Christum. Ed. Lips. XIV. p. 597.): ita ut etiam hac in re utriusque ecclesiae dissensum tantum non esse appareat, quantum eum clamores fanatici caecorum aliquot volunt esse. — 1. Cf. Fulgentii Sermonem de S Stephano qui ex Brev. Romano legitur in secundo nocturno S. Stephani: *Heri celebravimus temporalem sempiterni regis nostri natalem; hodie celebramus triumphalem militis passionem* etc. 2. Diaconi saepissime cum Levitis comparantur: ut exemplum afferam, S. Laurentius in libris ecclesiasticis saepius vocatur Levita. 3. Tanquam ferae stridebant dentibus in eum Act. VII, 54. c. VI. 13. — — *et statuerunt falsos testes* Ps. CXXXIX, 3. *acuerunt linguas suas sicut serpentes.* Filios viperarum cum Ioanne inimicos illos appellat. 6. 1. Petr. 1, 4. 9. Saulus furore ac vesania omnes superans, voluntate ac desiderio in unoquoque ex turbis Stephanum lapidavit. 11 — 13. Enarrat Augustinus haec miracula, de Civ. Dei XXII, 8.

LXXXII. *De S. Ioanne Evangelista.*

Gratulemur ad festivum
Iocundemur ad votivum
Ioannis praeconium etc.

LXXXIII.

Dominica infra Octavam Nativitatis Domini.

1. Splendor patris et figura,
Se conformans homini
Potestate non natura
Partum dedit virgini.

2. Adam vetus tandem laetus
Novum promat canticum.
Fugitivus et captivus
Prodeat in publicum.

3. Eva luctum, vitae fructum
Virgo gaudens edidit,
Nec sigillum propter illum
Castitatis perdidit.

4. Si crystallus sit humecta
Atque soli sit obiecta
Scintillat igniculum:
Nec crystallum rumpitur
Nec in partu solvitur
Pudoris signaculum.

5. Super tali genitura

Stupet usus et natura
Deficitque ratio;
Res est ineffabilis,
Tam pia, tam humilis
Christi generatio.

6. Frondem, florem, nucem, sicca,
Virga profert et pudica

Virgo Dei filium.
Fert coelestem vellus rorem

Creatura creatorem

Creaturae pretium.

7. Frondis, floris, nucis, roris

Pietati salvatoris
Congruunt mysteria.
Frons est Christus protegendo
Flos dulcore, nux pascendo

Ros coelesti gratia.

8. Cur quod virgo peperit
Est Iudaeis scandalum
Cum Virgo produxerit
Sicca sic amygdalum.

9. Contemplemur adhuc nucem,
Nam prolata nux in lucem,
Lucis est mysterium.
Trinam gerens unionem
Tria confert: unctionem
Lumen et edulium.

10. Nux est Christus: cortex nucis
Circa carnem poena crucis:
Testa corpus ossium.
Carne tecta deitas
Et Christi suavitas
Signatur per nucleum.

11. Lux est caecis et unguentum.
Christus aegris et fomentum
Piis animalibus.
O quam dulce sacramentum
Foenum carnis in frumentum
Convertit fidelibus.

12. Quos sub umbra sacramenti
Iesu pascis in praesenti
Tuo vultu satia.
Splendor patri coaeterne
Nos hinc transfer ad paternae
Claritatis gaudia.

Hoc carmen, quod magis theologum sapit et allegoristam quam poetae prodit ingenium lucem accipit ex Hymnis ac Prosis Marianis, in thesaurum nostrum receptis. Audiamus tamen Clichtovaeum, imaginem de nuce desumptam ita exponentem: *Nux ipsa sensibilis tria in se complectitur in unam quodammodo compacta totam substantiam, utpote corticem exteriorem, testam cortice*

obtectam, et nucleum testa occlusum — — Per totam nucem insinuatur Chr. in se uno geminam complectens naturam. Per corticem quae aspera est et amarulenti succi signatur acerbitas passionis et mortis: per testam vero duriusculam et cortice circumseptam significatur humana Christi natura acerbis passionis doloribus exposita. Denique per nucleum delitescentem in testa repraesentatur augustissima Christi divinitas occultata in carne et circumdata illius velamine. Est enim in nucleo sapor admodum suavis et pergratus edentibus.

LXXXIV.

Sequentia Paschalis.

1. Mundi renovatio
Nona parit gaudia,
Resurgenti domino
Conresurgunt omnia:
Elementa serviunt
Et auctoris sentiunt
Quanta sint sollemnia.

2. Ignis volat mobilis,
Et aer volubilis,
Fluit aqua labilis,
Terra manet stabilis,
Alta petunt levia,
Centrum tenent gravia,
Renovantur omnia.

3. Coelum fit serenius,
Et mare tranquillius,
Spirat aura levius,
Vallis nostra floruit.
Revirescunt arida
Recalescunt frigida
Post quae ver intepuit.

4. Gelu mortis solvitur
Princeps mundi tollitur
Et eius destruitur
In nobis imperium,
Dum tenere voluit,
In quo nihil habuit
Ius amisit proprium.

5. Vita mortem superat,
Homo iam recuperat,
Quod prius amiserat
Paradisi gaudium:
Viam praebet facilem
Cherubim versatilem
Ut deus promiserat
Amovendo gladium.

Est cantus ex illorum numero qui etiam in Germaniam immigrarunt: exstat e. g. in Missali Frisingensi, Pataviensi, Cod. M. 10. et aliis. Quod attinet ad argumentum carminis, apte concordat cum illis quae iam exhibuimus: Salve festa dies vel Laudes salvatori. — 1. Apud Germanos: sit potentia. 2. In secunda stropha, quam cum quarta omisit Rbch., describit poeta elementorum servientium officia: volant, fluunt, manent in honorem resurgentis. Porro ex levibus et gra-

vibus ex Adami sententia consistit mundus universus. Omnibus vero hodie nova vis et, ut ita dicam, vitalis infunditur. 3. Pt. quia ver. cf. Io. XIV, 30. *venit princeps huius mundi et in me non habet quidquam.* 4. Pt. amovendi. Similia canit Nic. Herman. de Nativitate Domini: *Heut schliesst er wieder auf die Thür zum schönen Paradeis, Der Cherub steht nicht mehr dafür, Gott dir sei Ehr und Preis.*

LXXXV.

Sequentia Paschalis.

1. Zyma vetus expurgetur,
Ut sincere celebretur
Nova resurrectio:
Haec est dies nostrae spei,
Huius mira vis diei
Legis testimonio.

2. Haec Aegyptum spoliavit
Et Hebraeos liberavit
De fornace ferrea:
His in arcto constitutis
Opus erat servitutis
Lutum, later, palea.

3. Iam divinae laus virtutis
Iam triumphi, iam salutis
Vox erumpat libera:
Haec est dies quam fecit dominus,
Dies nostri doloris terminus
Dies salutifera.

4. Lex est umbra futurorum,
Christus finis promissorum,
Qui consummat omnia:
Christi sanguis igneam
Hebetavit rhomphaeam
Amota custodia.

5. Puer nostri forma visus,
Pro quo vervex est occisus,
Vitae signat gaudium,
Ioseph exit de cisterna,
Christus redit ad superna
Post mortis supplicium.

6. Hic dracones Pharaonis
Draco vorat, a draconis
Immunis malitia:
Quos ignitus vulnerat
Hos serpentis liberat
Aenei praesentia.

7. Anguem forat in maxilla
Christi hamus et armilla,
In cavernam reguli
Manum mittit ablactatus
Et sic fugit exturbatus
Vetus hospes saeculi.

8. Irrisores Helisaei,
Dum conscendit domum dei,
Zelum calvi sentiunt:
David aneptitius,
Hircus emissarius
Et passer effugiunt.

9. In maxilla mille sternit
Et de tribu sua spernit
Samson matrimonium,
Samson Gasae seras pandit
Et asportans portas scandit
Montis supercilium.

10. Sic de Iuda leo fortis
Fractis portis dirae mortis
Die surgit tertia
Rugiente voce patris
Ad supernae sinum matris
Tot revexit spolia.

11. Cetus Ionam fugitivum,
Veri Ionae signativum,
Post tres dies reddit vivum
De ventris angustia:
Botrus Cypri reflorescit,
Dilatatur et excrescit,
Synagogae flos marcescit,
Et floret ecclesia.

12. Mors et vita conflixere,
Resurrexit Christus vere
Et cum Christo surrexere
Multi testes gloriae.
Mane novum, mane laetum,
Vespertinum tergat fletum,
Quia vita vicit letum:
Tempus est laetitiae.

13. Iesu victor, Iesu vita,
Iesu vitae via trita
Cuius morte mors sopita,
Ad paschalem nos invita
Mensam cum fiducia.
Vive panis, vivax unda
Vera vitis et fecunda,
Tu nos pasce, tu nos munda,
Ut a morte nos secunda
Tua salvet gratia.

Recte Clichtovaeus: „In hac Seqnentia explicantur mira resurrectionis dominicae mysteria in veteri quidem testamento multis figuris praesignata et in novo nobis ex bonitate divina clarius exhibita. Et sane haec prosa admodum divina est, paucis multa complectens et tota ex sacris literis praeclare desumpta.“ In Germania parum divulgata fuisse videtur. 1. 1. Cor. V, 7. *expurgate vetus fermentum.* 2. Spoliavit. Clicht. intelligit de vasibus argenteis et aureis, quae secum portabant Iudaei: equidem cladem primogenitorum significatam puto. Hebr. liber. Dan. c. III. Later etc. Cl.: *sic genus humanum miserae daemonum servituti fuit subiectum et ab eis ad varias trahebatur concupiscentias carnis.* 3. Ps. CXIX, 24. efficit Antiphonam in hebdomade paschali quotidie ab ecclesia decantandam. 4. Col. II, 17. II. Cor. I. 20. Gen. III, 24. 6. Exod. VII, 12. Numer. XXI, 7. Iob. XL. *An extrahere poteris Leviathan hamo aut armilla perforabis maxillam eius.* Quem locum exponens Gregorius dicit, „quod humanitas Christi fuit ut esca provocans daemonem, ad devorandum eum pertrahendumque in mortem, divinitas autem eiusdem ut hamus sub esca latitans, qua daemon incautus in maxilla perforatus est“ cf. ad Hymn. XXXIX, 25. In cav. reg. Is. XI, 8. In cavernam reguli qui ablactatus fuerit manum suam mittet. 8. Cf. IV. Reg. II, 23. 24. Clicht.: Christum in cruce exaltatum irriserunt Iudaei, propter quae maledictio dei venit super illos et

post XLII. annos ab eius passione signatos per totidem pueros laceratos ab ursis, duo ursi de silva gentium exibunt, Titus et Vespasianus etc. Dav. anept. sc. Sauli regis, incolumis effugit 1. Reg. XXI. ita Christus verus Dei filius salvus evasit. Hirc. emiss. Levitic. XVI, 10. Passer. Ps. X, 1. Transmigra in montem sicut passer. 9. Sperm. matr. Ita Christus sibi ecclesiam collegit non de Iudaeis sed ex gentibus. 10. Cf. Hymn. CXCI. 5. 11. Botr. C. Cant. 1, 14. 12. Ut est in Seq. Victimae paschali. M. c. v. conflixere duello mirando Ps. XXIX, 6.

LXXXVI. *De eadem festivitate.*

Lux illuxit dominica,
Lux insignis, lux unica,
Lux lucis et laetitiae etc.

LXXXVII. *De eadem festivitate.*

Ecce dies celebris,
Lux succedit tenebris,
Morti resurrectio etc.

LXXXVIII.

De Festivitate Pentecostes.

1. Lux iucunda, lux insignis,
Qua de throno missus ignis
In Christi discipulos
Corda replet linguas ditat
Ad concordes nos invitat
Linguae, cordis modulos.

2. Christus misit quod promisit
Pignus sponsae, quam revisit
Die quinquagesima,
Post dulcorem melleum
Petra fudit oleum,
Petra iam firmissima.

3. In tabellis saxeis
Non in linguis igneis
Lex de monte populo;
Paucis cordis novitas
Et linguarum unitas
Datur in coenaculo.

4. O quam felix, quam festiva
Dies in qua primitiva
Fundatur ecclesia
Vivae sunt primitiae
Nascentis ecclesiae.
Tria primum millia.

5. Panes legis primitivi
Sub una sunt adoptivi
Fide duo populi:
Se duobus interiecit
Sicque duos unum fecit
Lapis, caput anguli.

6. Utres novi, non vetusti
Sunt capaces novi musti,
Vasa parat vidua:
Liquorem dat Helisaeus,
Nobis sacrum rorem deus
Si corda sint congrua.

7. Non hoc musto vel liquore,
Non hoc sumus digni rore,
Si discordes moribus:
In obscuris vel divisis
Non potest haec paraclisis
Habitare cordibus.

8. Consolator alme, veni:
Linguas rege, corda leni,
Nihil fellis aut veneni
Sub tua praesentia.
Tu es lumen et unguentum,
Tu coeleste condimentum,
Aquae ditans elementum
Virtute mysterii.

9. Nova facti creatura
Te laudamus mente pura
Gratiae nunc, sed natura
Prius irae filii.
Tu qui dator es et donum,
Tu qui cordis omne bonum,
Cor ad laudem redde pronum,
Nostrae linguae formans sonum,
In tua praeconia.

10. Tu nos purga a peccatis
Auctor ipse puritatis,
Et in Christo renovatis
Da perfecta novitatis
Plena nobis gaudia.

Praeclarissima Prosa, quam nulla inferiorem, permultis superiorem duxerim, nihil spirat nisi sacrae scripturae flores atque odores. Dolemus quod in Germania nota fuisse non videtur. — 1. Ut est apud Robertum: *sermone ditans guttura.* 2. Petrus apostolus; cuius nomen die Pentecostes et omen habebat, confertur cum petra melliflua in deserto. 4. Ex Iudaeis et gentibus ecclesia nata est. Cf. Ephes. II, 15 sq.

LXXXIX. *De eadem festivitate.*

Simplex in essentia
Septiformis gratia
Nos reformet spiritus etc.

XC.

De eadem festivitate.

1. Qui procedis ab utroque,
Genitore genitoque
Pariter, Paraclite,
Redde linguas eloquentes,
Fac ferventes in te mentes
Flamma tua divite.

2. Amor patris filique,
Par amborum et utrique
Compar et consimilis:
Cuncta reples, cuncta foves
Astra regis, coelum moves,
Permanens immobilis.

3. Lumen clarum, lumen carum,
Internarum tenebrarum
Effugas caliginem.
Per te mundi sunt mundati;
Tu peccatum et peccati
Destruis rubiginem.

4. Veritatem notam facis,
Et ostendis viam pacis
Et iter iustitiae.
Perversorum corda vitas,
Et bonorum corda ditas
Munere scientiae.

5. Te docente nil obscurum,
Te praesente nil impurum,
Sub tua praesentia
Gloriatur mens iucunda,
Per te laeta, per te munda
Gaudet conscientia.

6. Tu commutas elementa,
Per te suam sacramenta
Habent efficaciam:
Tu nocivam vim repellis,
Tu confutas et refellis
Hostium nequitiam.

7. Quando venis, corda lenis:
Quando subis, atrae nubis
Effugit obscuritas.
Sacer ignis, pectus ignis,
Non comburis, sed a curis
Purgas, quando visitas.

8. Mentes prius imperitas
Et sopitas et oblitas
Eradis et excitas.
Foves linguas, formas sonum,
Cor ad bonum facit pronum
A te data caritas.

9. O iuvamen oppressorum,
O solamen miserorum,
Pauperum refugium,
Da contemptum terrenorum,
Ad amorem supernorum
Trahe desiderium.
Pelle mala, terge sordes
Et discordes fac concordes
Et affer praesidium.

10. Tu, qui quondam visitasti,
Docuisti, confortasti
Timentes discipulos:
Visitare nos digneris,
Nos, si placet, consoleris
Et credentes populos.

11. Par maiestas personarum,
Par potestas est earum,
Et communis deitas: ●
Tu procedens a duobus,
Coaequalis æs ambobus,
In nullo disparitas.

12. Quia tantus es et talis,
Quantus pater est et qualis,
Servorum humilitas
Deo patri filioque
Redemptori, tibi quoque
Laudes reddat debitas.

Hoc quoque carmen in Germania officiis divinis non inseruit. Magis indiget admiratore quam interprete.

XCI. *De S. Trinitate.*

Profitentes unitatem
Veneremur Trinitatem
Pari reverentia etc.

XCII.

In Dedicatione Ecclesiae.

1. Hierusalem et Sion filiae,
Coetus omnis fidelis curiae
Melos pangat iugis laetitiae
Halleluia.

2. Christus enim desponsat hodie
Matrem nostram norma iustitiae,
Quam de lacu traxit miseriae
Ecclesiam.

3. In spiritus sancti clementia
Sponsa sponsi laetatur gratia
A reginis laudis cum gloria
Felix dicta.

4. Dos ut datur, crescit laetitia
Quae dos, quanta? triplex potentia
Tangens coelum, terram et stygia
Iudicia.

5. Mira loquor et sana credere
Foederatam tam largo munere
De proprio produxit latere
Deus homo.

6. Formaretur ut sic ecclesia
Figuratur in pari gloria
Adae costis formata femina
Hostis Eva.

7. Eva fuit noverca posteris
Haec est mater electi generis
Vitae portus, asylum miseris
Et tutela.

8. Pulcra, potens, partu mirabilis
Ut luna, sol fulget spectabilis
Plus acie multo terribilis
Ordinata.

9. Multiplex est, singularis, una
Generalis et individua
Omnis aevi sexus simul una
Parit turmas.

10. Haec signata Iordanis fluctibus
Haec quae venit a terrae finibus
Scientiam audire cominus
Salomonis.

11. Haec typicis descripta sensibus
Nuptiarum induta vestibus
Coeli praeest hodie civibus
Christo iuncta.

12. O solennes festum laetitiae
Quo unitur Christus ecclesiae
In quo nostrae salutis nuptiae
Celebrantur.

13. Coetus felix, dulce convivium,
Lapsis ubi datur solatium,
Desperatis offertur spatium
Respirandi.

14. Iustis inde solvuntur praemia
Angelorum novantur gaudia
Lata nimis quod facit gratia
Caritatis.

15. Ab aeterno fons sapientiae
Intuita solius gratiae
Sic praevidit in rerum serie
Haec futura.

16. Christus ergo nos suis nuptiis
Recreatos veris deliciis
Interesse faciat socios
Electorum.

Haec Sequentia, quam in Missalibus Germaniae nusquam inveni, rhythmica ratione a reliquis Adami carminibus haud parum discrepat. — 3. Ecclesia, in terris posita exultat coelesti sanctorum consortio et offert preces ac sacrificia pro defunctis. 8. Ex Cantico Canticorum deprompta.

XCIII. *In Dedicatione Ecclesiae.*

Quam dilecta tabernacula
Domini virtutum et atria etc.

XCIV. *De S. Andrea.*

Exultemus et laetemur
Et Andreae delectemur
Laudibus apostoli etc.

XCV. *De S. Nicolao.*

Congaudentes exultemus etc.

XCVI.

De S. Agnete.

1. Animemur ad agonem,
Recolentes passionem
Gloriosae virginis:
Contrectantes sacrum florem,
Respiremus ad odorem
Respersae dulcedinis.

2. Pulcra, prudens et illustris
Iam duobus Agnes lustris
Addebat triennium:
Proles amat hanc praefecti
Sed ad eius virgo flecti
Respuit arbitrium.

3. Mira vis fidei
Mira virginitas
Mira virginei
Cordis integritas.
Sic Dei filius
Nutu mirabili
Se mirabilius
Prodit in fragili.

4. Languet amans, cubat lecto,
Languor notus fit praefecto
Maturat remedia:
Offert multa, spondet plura
Periturus peritura
Sed vilescunt omnia.

5. Nudam prostituit
Praeses flagitiis
Quam Christus induit
Comarum fimbriis
Stolaque coelesti
Coelestis nuntius
Assistit proprius
Cella libidinis
Fit locus luminis,
Turbantur incesti.

6. Caecus amans indignatur
Et irrumpens praefocatur
A maligno spiritu
Luget pater, lugent cuncti,
Roma flevit pro defuncti
Iuvenis interitu.

7. Suscitatur ab Agnete
Turba fremit indiscrete
Rogum parant virgini:
Rogus ardens reos urit
In furentes flamma surit,
Dans honorem numini.

8. Grates agens salvatori
Guttur offert haec lictori
Nec ad horam timet mori
Puritatis conscia.
Agnes, agni salutaris
Stans ad dextram, gloriaris
Et parentes consolaris
Invitans ad gaudia.

9. Ne te flerent ut defunctam
Iam coelesti sponso iunctam
His sub agni forma suam
Revelavit atque tuam
Virginalem gloriam.
Nos ab agno salutari
Non permitte separari
Cui te totam consecrasti
Cuius ope tu curasti
Nobilem Constantiam.

10. Vas electum, vas honoris
Incorrupti flos odoris,
Angelorum grata choris
Honestatis et pudoris
Formam praebes saeculo.
Palma fruens triumphali
Flore vernans virginali
Nos indignos speciali
Fac sanctorum generali
Vel subscribi titulo.

Addas elegantissimae Prosae Hymnos LXXXIV. et CCCCXXXIV. in quibus enarratur S. Agnetis martyrium. Inter stropham quartam et quintam unum versum excidisse ipsa docet rhythmica carminis ratio. — 9. Constantia fuit filia Constantini gravi quidem morbo affecta. Quae auditis miraculis a Domino per beatam Agnetem factis, venit ad eius tumulum recuperandae sanitatis gratia. Neque eam spes fefellit.

XCVII. *De S. Vincentio.*

Ecce dies praeoptata,
Dies felix, dies grata,
Dies digna gaudio etc.

XCVIII. *De Conversione S. Pauli.*

Corde, voce pulsa coelos,
Triumphale pange melos
Gentium ecclesia etc.

XCIX. *De Purificatione B. V.*

Lux advenit veneranda,
Lux in choris iubilanda
Luminosis cordibus etc.

C.

De Sancta Cruce.

1. Laudes crucis attollamus
Nos, qui crucis exultamus
Speciali gloria:
Nam in cruce triumphamus,
Hostem ferum superamus
Vitali victoria.

2. Dulce melos tangat coelos,
Dulce lignum dulci dignum
Credimus melodia:
Voci vita non discordet
Quum vox vitam non remordet,
Dulcis est symphonia.

3. Servi crucis crucem laudent,
Per quam crucem sibi gaudent
Vitae dari munera;
Dicant omnes et dicant singuli:
Ave salus totius saeculi
Arbor salutifera.

4. O quam felix quam praeclara
Fuit haec salutis ara
Rubens agni sanguine;
Agni sine macula,
Qui mundavit saecula
Ab antiquo crimine.

5. Haec est scala peccatorum,
Per quam Christus rex coelorum
Ad se traxit omnia:
Forma cuius haec ostendit
Quae terrarum comprehendit
Quatuor confinia.

6. Non sunt nova sacramenta,
Nec recenter est inventa
Crucis haec religio:
Ista dulces aquas fecit,
Per hanc silex aquas iecit
Moysi officio.

7. Nulla salus est in domo,
Nisi cruce munit homo
Superliminaria:
Neque sensit gladium
Nec amisit filium
Quisquis egit talia.

8. Ligna legens in Sarepta
Spem salutis est adepta
Pauper mulierecula:
Sine lignis fidei
Nec lecythus olei
Valet nec farinula.

9. Roma naves universas
In profundum vidit mersas
Una cum Maxentio:
Fusi Thraces, caesi Persae,
Sed et partis dux adversae
Victus ab Heraclio.

10. In scripturis sub figuris
Ista latent, sed iam patent
Crucis beneficia:
Reges credunt, hostes cedunt
Sola cruce Christo duce
Unus fugat millia

11. Ista suos fortiores
Semper facit et victores,
Morbos sanat et languores,
Reprimit daemonia:
Dat captivis libertatem,
Vitae confert novitatem
Ad antiquam dignitatem
Crux reduxit omnia.

12. O crux lignum triumphale
Vera mundi salus, vale
Inter ligna nullum tale
Fronde, flore, germine:
Medicina christiana
Salva sanos, aegros sana
Quod non valet vis humana
Fit in tuo nomine.

13. Astistentes crucis laudi,
Consecrator crucis audi,
Atque servos tuae crucis
Post hanc vitam, verae lucis
Transfer ad palatia:
Quos tormento vis servire,
Fac tormenta non sentire,
Sed cum dies erit irae
Confer nobis et largire
Sempiterna gaudia.

Haec Prosa, quae mirum est quam suaviter sanctae crucis laudes canat, etiam in Germaniae dioecesibus maxime frequentata et cum alias tum Inventionis et Exaltationis diebus festis in usu erat. Habes eam etiam apud Ludecum, qui tamen pro ingenio suo etiam atque etiam monet, caveant homines Christiani, ne quae in Sequentia de cruce praedicentur, etiam de cruce intelligant, cum per *μετωνυμίαν* de Christo intelligenda sint. Hoc quidem praeceptum pertinet tantum ad homines, in quibus vel scintillulam sensus poetici, ne dicam sanae mentis frustra quaeras. Certe vetus ecclesia tales inutiles scrupulos sibi non movit. Testis est, ut hunc unum proferam, Augustinus, qui spreta ista Ludeci cautione, crucem ita allocutus est: „Crux Christi nobis totius causa beatitudinis est, haec nos a caecitate liberavit, haec a tenebris reddidit luci, haec debellatos reddidit quieti, haec alienos Deo coniunxit, longe constitutos proximos praesentavit, haec peregrinantes cives ostendit, haec discordiae amputatio est, haec pacis firmamentum, haec donorum omnium abundans largitio.“ Qua quidem in re ecclesia vetus, quae simplice atque infucata pietate crucem amplectebatur, miro modo a nostratibus distat, quorum poeta sine controversia maximus crucem inter res maxime fastidiosas refert, poeta sine controversia non maximus clamat: Reisst die Kreuze aus der Erden! Crimini

tamen nobis vertendum esset nisi Lutherum et omnes qui eius vestigia secuti sunt, crucem numquam impie derisisse neque perverse contempsisse agnoscerenus. Tamen praeclarum Adami *) carmen ex ecclesia eius una cum festivitatibus Crucis evanuit. Optime fecit carmen germanicum C. Fortlage, quem mira arte atque eruditione permulta ecclesiae veteris carmina in vernaculam linguam transtulisse nuper comperimus (Gesänge christlicher Vorzeit. Auswahl des Vorzüglichsten aus dem Griechischen und Lateinischen übersetzt von C. Fortlage. Berlin 1844) — 1. Apud solum Clichtovaeum haec clausula legitur tota et integra: reliqui praetermittunt partem alteram Nam in cruce etc., sed recte Cl.: *Hic versus in plerisque libris non habetur — qui tamen non est superfluus quin immo ad rhythmi integritatem necessarius.* 2. Fr. pulset. Pm. cum vox. Ramb. *In dem Preis des frommen Lebens schallt der lieblichste Gesang.* Fortasse poeta id expressit quod legitur in regula S. Benedicti: *mens concordet voci.* 3. Narrant, sacra cruce ab Helena inventa, omnes flexis genibus sacrum signum salutasse dicentes: *Ave salus totius saeculi.* Arbor vocatur crux saepissime apud antiquos: inde fluxit sine dubio fabula perpulcra, quam commemorat Adelphus: *Cum Adam moriturus esset misit filium suum Seth ad angelum custodem paradisi, ut daret ei lignum scientiae boni et mali de arbore vitae in quo peccasset. Et angelus dedit sibi ramum. Et cum filius portasset ad patrem, ipse erat mortuus. Qui cum eum reperisset vita functum plantavit ramum super sepulcrum patris. Et decursis multis retro temporibus cum Salomo aedificaret templum domini, abscisa fuit arbor illa, quae non potuit ad aliquam templi partem coaptari: quare ponebatur super flumen pro transitu. Et postea venit regina de Saba cum donis et muneribus: videns hoc lignum pedibus transire noluit quia cognovit redemptorem mundi passurum in hoc ligno. — — Post multum autem temporis Iudaei hoc lignum accipientes proiecerunt in lacum putridum, ubi facta fuit piscina; in quam angelus descendit secundum tempus et movebat aquas piscinae et sanabatur ibi qui primo ingressus erat, ut habetur Io. V. Et ibi remansit ad usque tempus dominicae passionis.* 4. H. CXL, 20. 21. *sanguis unda profluit terra pontus astra mundus quo lavantur flumine.* 5. Similiter canit poeta teuton.: *Du bist die gerade Leiter, Daran man fein steigt eben Zum unsterblichen Leben.* Typus crucis erat scala quam vidit Iacob in somnio. Ad: *Figura interfectionis duarum linearum in angulis rectis transit in infinitum et in extremita-*

*) Ramb. Anthol I. p. 285: Laudes crucis etc. was unter allen am bekanntesten geworden, wird nach De Moleon Voyages liturgiques p. 187. in einem doch nicht sonderlich alten Manuscript zu Orleans dem ehemaligen Scholasticus der dortigen Klosterkirche Hugo zugeschrieben.

libus quatuor partium ut patet ex proportione Euclidis et ergo Christus traxit ad se omnia (Ioan. XII, 32) quum ultra plagas mundi non datur alia plaga quae posset hunc quaternarium fugere. Et ergo dicunt doctores, quod Christus stetit in cruce extensis pedibus et brachiis, ad designandum, quod in amplexu totum mundum vellet liberare. 6. Pm. Pt. ipsa. Ad. Torr. per quam. Commemorat poeta miraculum ab Helisaeo perpetratum IV. Reg. II, 19 sqq. atque aquae ex silice virga percusso in deserto profluentis Exod. XVII: *Tange silicem virga* etc. Ut sentiunt theologi typici Helisaeus lignum in modum crucis positum iecit in aquam, Moses petram in modum crucis virga percussit. 7. Fr. si non. Pm. signat. Cl.: *Uterque postis et superliminaria domorum Israelitarum, aspersa sanguine agni immaculati typi fuerunt crucis conspersae sanguine agni immaculati.* 8. Duo ligna illa collecta a vidua III. Reg. XVII, 17. crucem repraesentant: ita per haec ligna fidei i. e. in modum crucis ex transverso posita domus viduae miraculis illis coruscavit. 9. Fr. Nb. cedit p. d. adv. Argumentum clausulae ex historiae notissimum. 10. Fr. quae iam. — hostis cadunt millia Pm. hostis f. m. Nb. pauci fugant millia. Ex Clichtovaei sententia exprimit poeta locum Levitici XXVI, 7. 8.: fortasse sermo est de bellis sacris sive cruciatis. 11. Ad. Torr. ista suos. Cf. Hymn. CX, 8 sq. 22. *fugiunt crucem tenebrae, tali dicata signo meus fluctuare nescit — — signum quod ipse nostri damnat tuam catervam.* Liberat crux captivos i. e. laqueo diaboli captos. 12. Pt. lignum. Hymn. CXL, 23. *Nulla silva talem profert fronde, flore, germine.* 13. Lud. in marg. insistentes. Fr. tormentis scis sentire. Md. Pt. tormentis vis sentire. Ad. quos nunc crucivis sentire. Nobiscum faciunt Cl. Torr. Nb. Lud. Sensum per verborum lusum subobscurum sic intellige: Nunc vis nos servire tormento i. e. cruci (dem Marterholze): si probati inventi sumus, pro praemio fac nos non sentire tormenta i. e. poenas inferni. Dies irae Sophon. I, 18.

CI. *De S. Ioanne Baptista.*

Ad honorem tuum, Christe
Recolat ecclesia
Praecursoris et baptistae
Fui natalitia etc.

CII. *De SS. Petro et Paulo.*

Roma Petro glorietur,
Roma Paulum veneretur
Pari reverentia etc.

CIII. *De S. Laurentio.*

Prunis datum admiremur,
Laureatum veneremur
Laudibus Laurentium etc.

CIV.

De Assumptione B. Virginis.

1. Salve mater salvatoris
Vas electum, vas honoris,
Vas coelestis gratiae,
Ab aeterno vas provisum,
Vas insigne, vas excisum
Manu sapientiae.

2. Salve verbi sacra parens,
Flos de spinis, spina carens
Flos, spineti gloria:
Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati,
Sed tu spinae nescia.

3. Porta clausa, fons hortorum,
Cella custos unguentorum,
Cella pigmentaria:
Cinnamomi calamum,
Myrrham thus et balsamum
Superas fragrantia.

4. Salve decus virginum,
Mediatrix hominum,
Salutis puerpera:
Myrtus temperantiae,
Rosa patientiae,
Nardus odorifera.

5. Flos campi convallium,
Singulare lilium,
Christus ex te prodiit:
Tu convallis humilis,
Terra non arabilis,
Quae fructum parturiit.

6. Tu coelestis paradisus,
Libanusque non incisus,
Vaporans dulcedinem:
Tu caudoris et decoris,
Tu dulcoris et odoris
Habes plenitudinem.

7. Tu thronus es Salomonis,
Cui nullus par in thronis
Arte vel materia:
Ebur candens castitatis,
Aurum fulgens caritatis,
Praesignans mysteria.

8. Palmam praefer singularem,
Nec in terris habes parem,
Nec in coeli curia:
Laus humani generis,
Virtutum prae ceteris
Habens privilegia.

9. Sol luna lucidior,
Et luna sideribus
Sic Maria dignior
Creaturis omnibus.

10. Lux eclipsin nesciens,
Virginis est castitas,
Ardor indeficiens,
Immortalis caritas.

11. Salve mater pietatis
Et totius Trinitatis
Nobile triclinium:
Verbi tamen incarnati
Speciale maiestati
Praeparans hospitium.

12. O Maria stella maris
Dignitate singularis
Super omnes ordinaris
Ordines coelestium.
In supremo sita poli
Nos assigna tuae proli
Ne terrores sive doli
Nos supplantent hostium.

13. [In procinctu constituti
Te tuente simus tuti,
Pervicacis et versuti
Tuae cedat vis virtuti,
Dolus providentiae:
Iesu verbum summi patris
Serva servos tuae matris,
Salva reos, salva gratis
Et nos tuae claritatis
Configura gloriae].

Raro invenitur in Missalibus Germaniae (e. c. Pataviensi). Cantus hic qui ex animi penitus commoti inflammatione emanans b. Mariae virginis dignitatem summis concelebrat laudibus, non una ex parte solum protestantium cogitandi rationem offendit, ita ut non mirum sit, inter alios Rambachium, nostrum notantem carmen hancce sententiam protulisse: „Es bildete sich in diesen Liedern eine Art religiöser Romantik, die sich bis zu den ungeheuersten Schwärmereien, ja zu wirklichen Gotteslästerungen verirrte“ (Anth. I. S. 14). Certe alii etiam ex protestantium numero aliter indicarent et Novalis id quod quondam versibus egregie cecinit, ex pectore repeteret: „Ich sehe dich in tausend Bildern, Maria, lieblich ausgedrückt.“ Metaphoras vero quae hoc cantu occurrunt fere omnes ex Cantico Canticorum desumptas esse eamque ob rem magnam cum Litaniis Lauretanis similitudinem effici facile quisque cognoscet. Id unum a nobis non probatur, quod Beata Virgo mediatrix hominum appellata sit, quippe quod facile a plebe falso et impie possit explicari. — 2. Pt. spina. 3. Pt. stella custos — superans. 6. Pt. habens. 7. Pt. aurum fulvum. 8. Pt. tenes pr. Stropha decima tertia legitur tantum in Miss. Patav.: sine dubio est spuria et fortasse ab Monacho ordinis servorum Mariae adiecta.

CV. *De S. Bartholomaeo.*

Laudemus omnes inclyta
Bartholomaei merita etc.

CVI. *De S. Ludovico Rege.*

Laetabunda
Psallat plebs cum mente munda
Christiana etc.

CVII. *In Decollatione S. Ioannis.*

Praecursorem summi regis
Et praeconem novae legis
Celebret ecclesia etc.

CVIII. *De Exaltatione S. Crucis.*

Salve crux arbor
Vitae praeclara,
Vexillum Christi
Thronus et ara etc.

CIX.

De S. Matthaeo (al. De SS. Evangelistis.)

1. Iocundare plebs fidelis,
Cuius pater est in coelis
Recolens Ezechielis
Prophetae praeconia.
Est Ioannes testis ipsi
Scribens in Apocalypsi:
Vere vidi vere scripsi
Vera testimonia.

2. Circa thronum maiestatis
Cum spiritibus beatis
Quatuor diversitatis
Astant animalia.
Formam primum aquilinam
Et secundum leoninam:
Sed humanam et bovinam
Duo gerunt alia.

3. Formae formant figurarum
Formas Evangelistarum
Quorum imber doctrinarum
Stillat in ecclesia.
Hi sunt Marcus et Matthaeus,
Lucas et quem Zebedaeus
Pater misit tibi, Deus,
Dum laxaret retia.

4. Formam viri dant Matthaeo,
Quia scripsit sic de Deo,
Sicut descendit ab eo
Quem plasmavit homine.
Lucas bos est in figura,
Ut praemonstrat in scriptura
Hostiarum tangens iura
Legis sub velamine.

5. Marcus leo per desertum
Clamans rugit in apertum:
Iter fiat Deo certum,
Mundum cor a crimine.
Sed Ioannes ala bina
Caritatis aquilina
Forma fertur in divina
Puriori lumine.

6. Quatuor describunt isti.
Quadriformes actus Christi:
Et figurat ut audisti
Quisque suam formulam.
Natus homo declaratur:

Vitulus sacrificatur:
Leo mortem depraedatur
Et ascendit aquila.

7. Ecce forma bestialis
Quam scriptura prophetalis
Notat, sed materialis
Haec est impositio.
Currunt rotis, volant alis,
Visus, sensus spiritalis,
Rota gressus est aequalis,
Ala contemplatio.

8. Paradisus his rigatur,
Viret, floret, foecundatur,
His abundat, his laetatur
Quatuor fluminibus.
Fons est Christus, hi sunt rivi,
Fons est altus, hi proclivi,
Ut saporem fontis vivi
Ministrent fidelibus.

9. Horum rivo debriatis,
Sitis crescat caritatis:
Ut de fonte Deitatis
Satiemur plenius.
Horum trahat nos doctrina
Vitiorum de sentina,
Sicque ducat ad divina
Ab imo superius.

Est Sequentia elegans atque erudita, expressa ex cap. I. Ezechielis prophetae: quam etsi saepius legerim nunquam sine voluptate relego. In Germania passim erat in usu. — 1. Ad. testis Christi. 2. Pm. ante thronum. Cl. Torr. primam — secundam. Cf. Apoc. I, 19. IV, 6 sqq. 4. Br. Pm. Lud. Ad. Torr. hominem. Ad. agens iura. 5. Br. claritate aq. Cl.: *Binas alas caritatis vocat auctor amorem in Deum et in proximum.* Similia protulit S. Bernardus, Adamo aequalis (serm. 13. de bene viv.). *Nullus cum una ala poterit volare in coelum; quare? quia nec sola dilectio Dei sine dilectione proximi nec sola dilectio proximi sine dilectione Dei valet ad aeternam beatitudinem.* 6. Lud. formula. Br. et figurant — quemque sua formula. Eiusdem argumenti vetustum apophtegma:

Est Lucas vitulus, Leo Marcus, avisque Ioannes
Et homo Matthaeus: quattuor ista Deus.

Et homo nascendo, vitulus mortem patiendo
Est leo surgendo, volucris quoque summa petendo.

7. Ad. Torr. lux est decretalis (Torr. discretalis) rota sensus literalis. 8. Br. mons est — ministret. 9. Cl. Horum fonte — quorum trahat — a sentina. Lud. in marg. sic perducat. Adelphus quorundam librorum scripturam affert: debibatis.

CX.

De S. Michaele.

1. Laus erumpat ex affectu,
Psallat chorus in conspectu
Supernorum civium:
Laus iucunda, laus decora,
Quando laudi concanora
Puritas est cordium.

2. Michaelem cuncti laudent,
Nec ab huius se defraudent
Diei laetitia.
Felix dies, qua sanctorum
Recensetur angelorum
Sollemnis victoria.

3. Draco vetus exturbatur,
Et draconis effugatur
Inimica legio.
Exturbatus est turbator
Et proiectus accusator
A coeli fastigio.

4. Sub tutela Michaelis
Pax in terra, pax in coelis,
Laus et iubilatio.
Quum sit potens hic virtute,
Pro communi stans salute
Triumphat in proelio.

5. Suggestor sceleris,
Pulsus a superis,
Per huius aëris
Oberrat spatia.
Dolis invigilat,
Virus insibilat:
Sed hunc adnihilat
Praesens custodia.

6. Tres distinctae hierarchiae
Iugi vacant theoriae
Iugique psalterio.
Nec obsistit theoria
Sive iugis harmonia
Iugi ministerio.

7. O quam mirae caritatis
Est supernae civitatis
Ter trina distinctio:
Quae nos amat et tuetur,
Ut ex nobis restauretur
Eius diminutio.

8. Sicut sunt hominum
Diversae gratiae,
Sic erunt ordinum
Distinctae gloriae
Iustis in praemio.
Solis est alia
Quam lunae dignitas,
Stellarum varia
Relucet claritas:
Sic resurrectio.

9. Vetus homo novitati,
Se terrenus puritati
Conformet coelestium.
Coaequalis his futurus,
Licet nondum plene purus,
Spe praesumat praemium.

10. De secretis reticentes
Interim coelestibus,
Erigamus puras mentes
In coelum cum manibus:

11. Ut superna nos dignetur
Cohaeredes curia,
Et divina collandetur
Ab utrisque gratia.
[Capiti sit gloria
Membrisque concordia.]

In Missalibus Galliae atque Angliae rara: Germani in vetustis Notkeri de illo archangelo Sequentiis acquievere. — 1. Ps. CXXXVII, 1. *In conspectu angelorum psallam tibi.* 2. Victoria, quam depingit Ioannes in Apocalypsi XII, 7 sqq. 5. Ephes. II, 2. 6. Semper adspiciunt (θεωροῦσι) sancti angeli Deum omnipotentem et adspiciendo erumpunt in laudes et cantica: tamen non otiosi sunt sed ministerium eorundem idem est iuge atque caritatis fervore flagrantissimum. 7. Numerus bonorum angelorum diminutus est lapsu diaboli qui cum exercitu suo eiectus est ex coelesti regione: suppletur animis pie defunctorum, quae erunt ἰσάγγελοι. Matth. XXII, 30. Simili ratione ex vetere opinione diabolorum στρατόπεδον damnatis hominibus augetur. Ioseph de bell. Iud. 6, 3. τὰ γὰρ καλούμενα δαιμόνια ταῦτα δὲ πονηρῶν ἀνθρώπων πνεύματα. Iust. Apol. II, p. 65. 8. I. Cor. XV, 41. — Verba uncis inclusa et quoad sensum et ad metricam carminis rationem apocrypha esse videntur.

CXI. *De S. Dionysio.*

Gaude prole Graecia,
Glorietur Gallia
Patre Dionysio etc.

CXII.

De S. Luca. (*Al.: De SS. Evangelistis.*)

1. Plausu chorus laetabundo,
Hos attollat per quos mundo
Sonant evangelia:
Voce quorum salus fluxit,
Nox praecessit et illuxit
Sol illustrans omnia.

2. Curam agens sui gregis
Pastor bonus, auctor legis
Quatuor instituit:
Quadri orbis ad medelam
Formam iuris et cautelam
Per quos scribi voluit.

3. Circa thema generale
Habet quisque speciale
Sibi privilegium;
Quos designat in propheta
Forma pictus subdiscreta
Vultus animalium.

4. Pellens nubem nostrae molis
Intuetur iubar solis
Ioannes in aquila
Supra coelos dum conscendit
Sinu patris deprehendit
Natum ante saecula.

5. Os humanum est Matthaei
In humana forma, Dei
Dictantis prosapiam,
Cuius genus sic contexit
Quod a stirpe David exit
Per carnis materiam.

6. Rictus bovis Lucae datur
In qua forma figuratur,
Nova Christus hostia;
Ara crucis mansuetus
Hic mactatur sic et vetus
Transit observantia.

7. Est leonis rugientis
Marco vultus resurgentis
Quo claret potentia:
Voce patris suscitatus
Surgit Christus laureatus
Immortali gloria.

8. His quadrigis deportatur
Mundo Deus, sublimatur
Istis arca vectibus
Paradisi haec fluenta
Nova fluunt sacramenta
Quae irrorant gentibus.

9. Non est domus ruitura
Hac subnixa quadratura,
Haec est domus domini:
Glorietur in hac domo
Qua beatus vivit homo,
Deus iunctus homini.

En tibi alterum Adami carmen pulcherrimum quod et ipsum in evangelistarum laudibus versatur. Cuius argumentum etsi ei quam exhibuimus prosae pluribus nominibus non absimile sit tamen eius est propria dulcedo atque elegantia, sic ut non vereamur, ne quis nobis crimini vertat, quod hunc etiam praeclarum poetae cantum thesauro nostro interseruimus. — Dedimus carmen ex Cod. Mon. 10 et Miss. Pataviensi in

comparationem adhibito Clichtovaei libro, in quo carmen sic incipit: Psallat chorus corde mundo. — 4. Moles corporis aggravat animam (Sap. IX, 15.) et nubis instar impedit quominus Deum intentis ac claris oculis inspiciamus. Hac nube pulsus divus Ioannes, solem ut aquilarum est clarissima oculorum acie contemplabatur. 7. M. 10. excitatus.

CXIII. *De Omnibus Sanctis.*

Supernae matris gaudia
Repraesentet ecclesia etc.

CXIV. *De beato Martino.*

Gaude Sion quae diem recolis
Qua Martinus eompar apostolis etc.

CXV. *De S. Catharina.*

Vox sonora nostri chori
Nostro sonet conditori
Qui disponit omnia etc.

L.

SEQUENTIAE CIRCA SAECULUM XII. VEL XIII. COMPOSITAE.

CXVI.

De S. Kiliano.

1. Adoranda,
Veneranda,
Trinitatis
Est usia.

2. Trinitatis
Sub figura
Sacramenta
Latent plura.

3. Quod iam dudum
Praesignavit,
Qui tres videns
Adoravit
Monadem.

4. In fornace
Tres intacti
Sacramenta
Sunt adepti
Eadem.

5. O quam mira
Virtus Dei,
Quae nos certos
Reddit spei.

6. Per tres viros
Ad quercum, quos
Tamen fertur
Transmisisse.

7. Hi ferebant
Trina dona,
Per quae datur
Huic corona.

8. Trinae viae
Recto pede,
Qui probatur
Institisse.

9. Arbor dicta
Benedicta
Salvatoris
Passione.

10. Nostras quoque
Umbras fugae
Dedit procul
A regione:

11. Nobis viros
Tres mittendo,
Trinitatis qui docendo
Veram fidem
Instaurarent.

12. Et erroris
Caecitate
Victa lucis
Claritate
Comprobarent.

13. Servi Christi
Sunt tres isti:
Colonatus
Et Totnanus
Et beatus Chilianus.

14. Salve vera
Spes sincera,
Trinitatis
Sub figura
Nostri tam expressa cura.

15. Odor quorum
Cum doctrina,
Tam remota
Quam vicina
Replet loca,
Et divina
Ope adhibita.

16. Laude digna
Venerantur
Et eorum
Celebrantur
Gesta, Festa
Orientis
In Franconia.

17. Aucta quoque
Ex favore
Est praecelsa
Et honore
Herbipolis
Civitas nunc
Eximia.

18. Sanguinis namque
Effusione
Et hoc loco
Sepulturae
(Horum) Est famosa
Et decorata.

19. Triumphantes
Ergo viros
Sanctitate
Hos tres miros
Haec et tota
Recolat ecclesia.

20. Isti enim
In agone
Spe mercedis
Et coronae
Servierunt
Trinitati.

21. Cui et nos
Serviendo,
Laudes, preces
Effundendo
Eius mirae
Bonitati.

22. Exoremus
Donis eius
Nos tam bonis
His patronis
Combeari
Et sociari
In aeterna requie.

Hanc Sequentiam et sensu et rhythmica dispositione sat difficilem dignam censuere quam lectoribus communicarent Bollandistae „ex vetustissimo missali quod forma literarum Teutonicarum seu Gothicarum antiquitatem non modicam redolet.“ (Act. S. Iul. II, p. 608). Quod testimonium me movit, ut saeculo duodecimo saltem adsignandam esse opinatus sim. Recepi vero non solum ob reverentiam beati Kiliani, hoc qui labitur anno singulari et saeculari festivitate celebrati, sed ductus etiam mira carminis oeconomia, sententiarum obscuritate metro a reliquarum sequentiarum more haud parum alieno. In auxilium vocavi libros ecclesiae Numburgensis ac Pataviensis, illud b. Kiliani praeconium in festivitate eiusdem exhibentes. Veruntamen vereor, ne textus carminis adhuc scateat corruptelis, nec in Stropharum formatione, quanquam in multis locis vehementer sudavi, ipse mihi satisfacio. Videant alii quid in spinoso campo illo proficiant. — 1. De Trinitate in carmine sermo fit quia, ut ita dicam trinitas apostolorum, Kilianus, Colonatus et Totnanus Franconiam evangelii luce collustravit. 3. Hymn. XXVIII, 16—20. *Hoc et beatus tempore Abrahamus fideliter Peritus in mysterio Tres vidit, unum credidit.* 6. Nb. Pt. Thabor. Pt. transivisse. Hanc clausulam, fortasse prorsus vitiosam ita intelligo: Abrahamus per tres

viros ad quercum cognovit mysterium trinitatis: nobis quoque tres viri ad quercum i. e Trinitatis doctores non desunt: nobis tamen illos misit Deus trans mare ex Anglia. 7. Trina dona i. e. patrem, filium et spiritum sanctum. A. S. hinc cor. 8. Nb. probantur. 9. Ex quorundam opinione ex illa quercu crux Christi erat fabricata. 12. A. S. et. 16. Nb. Pt. Francia. 20. Similia leguntur in Sequentia de Communi Martyrum: Spe mercedis et coronae stetit martyr in agone.

CXVII.

De Beata Virgine.

1. Ave Maria, gratia plena,
Dominus tecum, virgo serena:

2. Benedicta tu in mulieribus,
Quae peperisti pacem hominibus
Et angelis gloriam.

3. Et benedictus fructus ventris tui
Qui cohaeredes ut essemus sui
Nos, fecit per gratiam.

4. Per hoc autem Ave
Mundo tam suave,
Contra carnis iura
Genuisti prolem,
Novum stella solem
Nova genitura.

5. Tu parvi et magni
Leonis et agni
Salvatoris Christi
Templum extitisti
Sed virgo intacta:
Tu floris et roris,
Panis et pastoris
Virginum regina
Rosa sine spina
Genitrix es facta.

6. Tu civitas regis iustitiae,
Tu mater es misericordiae
De lacu fecis et miseriae
Theophilum reformans gratiae.

7. Te collaudat coelestis curia,
Qui mater es regis et filia:
Per te reis donatur venia,
Per te iustis confertur gratia.

8. Ergo maris stella,
Verba Dei cella
Et solis aurora:
Paradisi porta
Per quam lux est orta
Natum tuum ora:

9. Ut nos solvat a peccatis
Et in regno claritatis,
Quo lux lucet sedula
Collocet per saecula.

Saeculum duodecimum vel decimum tertium sedem facimus huius Sequentiae, utpote quae legitur in Cod. M. 14. In Missalibus non admodum frequens: rhythmus carminis haud legitimus et mire inter diversa metrorum fluctuans genera. — 1. Sereni vocantur reges et principes, serena appellatur M. quoque regina coeli. 2. Gloria in excelsis Deo et in terra pax. 4. M. 16. enim ave. Genitura hoc loco est Nom. subst. 5. P. Gerhardt.: *Bist klein und machst doch Alles gross. — Als Gottes Lamm und Leue.* Ad. Torr. mater int. Roris, rore enim immaduit vellus Gideonis, Mariam significans. 6. Nonnulli omittunt ante mater vocem tu, quam flagitat metrum. Mariam intellexerunt theologi in Ps. LXXXVI, 2. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* M. 16. reformas, Torr.: *Theoph. erat procurator vel dispensator cuiusdam episcopi in Sicilia, probus et diligens. Sed tandem ab episcopo depositus ab officio, graviter doluit et consulens quemdam. maleficum, illius hortatu christianam fidem abnegans, diabolo se servum fecit ut illius auxilio rediret in pristinum statum. Tandem tamen admonitus a virgine Maria, poenituit et illius ope rediit in gratiam cum Deo.* Suspicamur hanc historiunculam inter homines medii aevi fuisse pervulgatissimam. 7. Md. regis don. 8. Solis aurora, quae soli praecessit. Cf. Cantic. VI, 9. 9. M. 16. salvet.

CXVIII. *De S. Ottone.*

Exultemus regum regi,
Qui fidelem suo gregi
Pastorem constituit etc.

Invenit hanc prosam Polyc. Leyser in membrana saec. XIII. quae exstat in Bibl. Paul. Lipsiensi. Cf. Altdeutsche Blätter etc. Tom. II. fasc. 2. p. 201 sqq.

CXIX.

De Beata Virgine.

1. Verbum bonum et suave,
Personemus illud Ave
Per quod Christi fit conclave
Virgo, mater, filia:
Per quod Ave salutata
Mox concepit fecundata
Virgo David stirpe nata
Inter spinas lilia.

2. Ave veri Salomonis
Mater, vellus Gideonis
Cuius magi tribus donis
Laudant puerperium:
Ave, solem genuisti
Ave, solem protulisti
Mundo lapso contulisti
Vitam et imperium.

3. Ave sponsa verbi summi,
Maris portus, signum dumi,
Aromatum virga fumi,
Angelorem domina:
Supplicamus: nos emenda,
Emendatos nos commenda
Tuo nato, ad habenda
Sempiterna gaudia.

Haec beatae Virginis laudatio, huic aetati ex Cod. M. 14. norma adscripta, cum et publicae et privatae devotioni inserviret, in libris liturgicis et asceticis satis est crébra. Translationem Germanicam ex Hortulo animae Basileensi a 1520 descriptam habes apud Wackernag. p. 663: Das Wort Ave lond uns singen das gut ist und süss thut klingen etc. *) Carmen irrisorium, in vini laudem compositum: *Vinum bonum et suave* etc. vide in tom. I. p. 282. — I. H. X, 12.: *versatur in templo Deus.* Ad.: *In uno et eodem instanti postquam Maria consensum adhibuit verbis angeli, facta est in ea statim per spiritum sanctum sanguinis congregatio et ipsius consolidatio et corporis Christi formatio.* Ad. lilium, reliqui lilia. Ex illa licentia, quam illius aevi homines sibi sumpsisse novimus, poeta propter ὁμοιοτέλευτον novam atque inauditam vocem sibi finxit. Tr. germ.: *durch welches Ave gruss empfangen hat die iunchfraw rein empfangen, von dem stamm David aufgangen, lilg in dörnen minnicklich.* 3. M. 14. regis summi. Moses vidit dumum ardere, non exuri, quod significavit Ma-

---

*) Memoratu dignum est carmen, quod Wackernagelius p. 660. ex MS. Argentoratensi sc. XV. lectoribus communicavit. Est Sequentia supra posita, sed latino et germanico sermone mire consuta et consarcinata.

1. Ein verbum bonum vnd suaue
sand dir got, dz heisset aue,
zehande wert du gotz conclave,
muter, mag et filia.

2. Da mitte wurdest saluata,
vom helgen geiste fecundata,
von herr dauitz stammen nata,
on dorne sind din lilia.

3. Aue, muter salomonis,
maget, schaper gedeonis,
die dryg künge tribus donis
lobent puerperium.

4. Aue, dsunnen protulisti,
aue, jhesum genuisti,
diser welte contulisti
leben vnd imperium.

5. Aue, sponsa verbi summi,
aromat ... ... fumi,
port des meres, signum dumi
vnd der engel domina.

6. Nun bittend wir dich, vns emenda,
dar nach, muter, vns commenda,
dinem kinde adhabenda
yemer ewig gaudia.

riam illaesa virginitate Christum parituram. Omnes has similitudines de vellere Gideonis, de virga Aaronis etc. iam saepissime legimus: in illam de rubo incombusto vehementius furit Lutherus: *Wenn nun einer gefraget hätte den, der solches vorgegeben und gedeutet hätte: Wie reimt es sich dass der Busch soll die Jungfrau Maria sein, die da stehe mit ihrer Jungfrauschaft und mit schwangerm Leibe? gieb mir dess Ursachen: so stünde er, als ein Pfeifer. Denn sprichst du: Wie reimt es sich hier? führet es auch hin zu Christo? Da muss man sagen: Nein, denn es gehet allein auf die Jungfrau Maria: dort reimt es sich dem also hin, gleichwie eine Faust aufs Auge* (Walch. III, 1038). Hac Rhadamantea asperitate tota evertitur theologia typica, quam alias non aspernatur et ipse Lutherus.

CXX.

Sequentia Paschalis.

1. Victimae paschali laudes immolent Christiani:
2. Agnus redemit oves, Christus innocens patri reconciliavit peccatores.
3. Mors et vita duello conflixere mirando: dux vitae mortuus regnat vivus.
4. Dic nobis Maria: Quid vidisti in via?
5. Sepulcrum Christi viventis et gloriam vidi resurgentis.
6. Dic nobis Maria: Quid vidisti in via?
7. Angelicos testes, sudarium et vestes.
8. Dic nobis Maria: Quid vidisti in via?
9. Surrexit Christus spes mea, praecedet vos in Galilaea.
10. Credendum est magis soli Mariae veraci quam Iudaeorum turbae fallaci.
11. Scimus Christum surrexisse ex mortuis vere: tu nobis victor rex miserere.

Rambachius Prosam de victima paschali collocat in carminibus saeculo XI. conscriptis neque ego diffiteor totius Sequentiae indolem haud modicam prodere antiquitatis speciem. At vero, quo iure illi saeculo tribuerit cantum cum non patefecerit Vir Doct. vel argumentis munierit, illorum mihi stat codicum auctoritas saeculi duodecimi et decimi tertii, qui primi hanc prosam praebebant. Accedit quod in omnibus fere Missalibus

Germaniae non cantabatur in triduo Paschatis, Notkerianis Sequentiis ornato sed infra Octavam (praesertim fer. V. cuius Evangelium Ioan. XX. Mariam Magdalenam introducit) vel Dominica in Albis vel alio die; *) nisi fallor, tanquam seriore tempore in Sequentiarum suarum numerum ab ecclesia relata. Quodsi Germani Sequentiam nostram aliquantulum neglexisse videntur, vitium emendarunt Itali. Miramur libros Romanos, Venetos e. a. qui perpaucas Prosas exhibere solent, supra scriptam cantionem dare ad unum omnes. Diiudicent alii, verosimilis sit an inepta opinio, Italum poetam carmen confecisse. Utcunque est, iunxit ecclesia saeculo decimo sexto prosam nostrarum Sequentiarum quadrigis, quibus officium divinum legitime ac rite vehitur: cantatur in Resurrectione Domini et infra Octavam eiusdem. **) De rhythmo carminis F. Wolfius p. 292. haec habet „Die Ostersequenz Victimae hat, so wie mehrere alte noch nicht strophisch abgefasste Prosa-Sequenzen das Eigenthümliche, dass die erste Langzeile einen besondern Choral hat, der nicht wiederholt wird, während von den übrigen Langzeilen, nach der aufgestellten Regel je zwei nach demselben Choral gesungen werden.“ Verum silentio praetermisit quaestionem satis lubricam. In recentioribus libris semel tantummodo quaeritur: Dic nobis Maria etc., sed superant codices ac libri vetusti, quaestionem illam hypopsalmatis modo ter repetentes, ut Cod. M. 12. 17. Rm. Vn. Aug. 1. Aug. 2. Quapropter vetustiorum scripturam ut fas est sequendam statuimus, et stropharum cyclos ita composuimus. 1. Victimae — Christiani. II. Str. 2. 3. quarum utraque syllabas habet quatuordecim. III. Str. 4. 5. 6. IV. Str. 7. 8. 9. Et tertia et quarta cantio continet syllabas quadraginta ter vel quatuor. V. Str. 10. 11. quae sunt syllabarum viginti quatuor. Ceteroquin sermo Prosae „dramaticus et interrogativus“ (ut Adelphi verbis utar) movet suspicionem, eam inserviisse ludis sacris vel mysteriis, quae ipsa Paschatis festivitate ad sepulcrum Christi in ecclesiis agebantur. Tunc cantus I. II. III. a choro recitatos esse dixerim, IV. et Vtam cantilenam hominibus personas Mariae Magdalenae atque apostolorum exprimentibus fuisse adsignatam. — 1. Cf. Sedul. Carm. V, 356. *Victima quae dabitur quum victima pastor habetur.* 3. Lutherus: *Es war ein wunderlicher Krieg Da Tod und Leben rungen, Das Leben das behielt den Sieg Und hat den Tod verschlungen.* 9. Ad.

*) Notamus quod prorsus singulare est, Cod. M. 10. hanc prosam ponere „in festivitate S. Georii.“

**) Significavimus textum Missalis Romani ut hodie est literis MR.

Torr. Md. Nb. Pt. suos. Ad. Torr. Md. MR. Galilaeam 10. Om. in MR. M. 10. perperam: solae. Turba Iudaeorum fallax. cf. Matth. XXVIII, 11 sq. 11. Torr. Ad. MR. a mortuis. Tangit poeta Invitatorium Paschale: *Surrexit Dominus vere* (Luc. XXIV, 34.) — M. R. in calce prosae ponit Amen, Alleluia.

M.

S. THOMAS AQUINAS.

CXXI.

De venerabili Sacramento in festo Corporis Christi.

1. Lauda Sion salvatorem,
Lauda ducem et pastorem
In hymnis et canticis:
Quantum potes, tantum aude,
Quia maior omni laude,
Nec laudare sufficis.

2. Laudis thema specialis
Panis vivus et vitalis
Hodie proponitur,
Quem in sacrae mensa coenae
Turbae fratrum duodenae
Datum non ambigitur.

3. Sit laus plena, sit sonora
Sit iucunda, sit decora,
Mentis iubilatio:
Dies enim sollemnis agitur
In qua mensae prima recolitur
Huius institutio.

4. In hac mensa novi regis
Novum pascha novae legis
Phase vetus terminat.
Vetustatem novitas,
Umbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat.

5. Quod in coena Christus gessit
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.
Docti sacris institutis,
Panem, vinum in salutis,
Consecramus hostiam.

6. Dogma datur Christianis,
Quod in carnem transit panis
Et vinum in sanguinem.
Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides
Praeter rerum ordinem.

7. Sub diversis speciebus,
Signis tantum et non rebus,
Latent res eximiae.
Caro cibus, sanguis potus:
Manet tamen Christus totus
Sub utraque specie.

8. A sumente non concisus,
Non confractus, non divisus,
Integer accipitur
Sumit unus, sumunt mille,
Quantum isti, tantum ille,
Nec sumptus consumitur.

corpus meum, hic sanguis meus etc. *Potest autem hic locus sic emendari:* quod cum pane datur caro *et* cum vino sanguis Christi. Quod Ludecus annotavit in margine apud L. Losium receptum est in textum: Dogma sacrum Christiano etc. et infra: sub diversis elementis pane et vino retentis. In sequentibus M. 10, V. 7. 8 Fr. Es. Pt. quod non sapis. — Praeter rer. ord. Gregorius: *In sacramento altaris aliud est quod creditur aliud quod cernitur.* Magis ad verba poetae accedit locus Ambrosii de Sacr.: *Quid quaeris naturae ordinem in Christi corpore cum praeter naturam sit ipse partus ex virgine.* 8. Ad. Torr. Nh. nec divisus. Cl. *Perinde atque vox eadem a proferente edita omnium auribus integra excipitur, ut quam unus haurit adstantium, eandem hauriant et mille praesentes. Sic eundem solis orbem videt unus, vident et mille, nec sol visus aut sui visione aut continua luminis effusione aut consumitur aut imminuitur. Sic denique primitivi sigilli formam suscipit una cera, suscipiunt et mille* etc. Ad. Torr. absumitur. Cf. Gratian. de Consecr. Dist. II. Can. 58. *Per partes manducatur et manet integer totus.* Const. Ap. VIII, 57. *ὁ μελιζόμενος καὶ οὐ μεριζόμενος καὶ τοῖς πίστοις μεταδιδόμενος καὶ μὴ δαπανώμενος.* 10. Hanc Stropham omisit Ramb. neque infitior in hac scholasticum doctorem superare poetam. 11. Nonnulla Missalia iubent: *Ad hunc versum Celebrans cum ministris flectit genua in ora supremi gradus, chorus autem stat versus altare usque ad finem prosae.* Pan. angel. Cl.: *quoniam illo non quidem tecto velamine specierum sed nudo atque aperto tanquam invisibili cibo et indeficienti reficiuntur in regno coelorum spiritus angelici.* Hymn. CCLX, 21. *panis angelicus fit panis hominum* et quae ibi sunt adnotata. Matth. XV, 26. *Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.* In canticis ecclesiae Lutheranae fere eaedem similitudines de sacra coena recurrunt. Rist.: *Hier ist das rechte Himmelbrod — dies ist der Christen Unterhalt, dies macht die Seelen wohlgestalt, dies macht die Seelen wohlgestalt, dies ist der Engel Speis und Trank — — O Gottesfleisch, o heilig Blut, das auch die Engel ehren.* Ioh. Frank. *Weil in allen Bergwerksgründen, kein solch Kleinod ist zu finden, das die blutgefüllten Schaalen und dies Manna kann bezahlen* et sexcenties. 12. Ps. XXVI, 13. *Credoidere bona domini in terra viventium.* V. 8. tu nos ibi — sanctorum omnium.

N.

S. BONAVENTURA.

CXXI.

Laudemus de S. Cruce.

1. Recordare sanctae crucis,
Qui perfectam viam ducis,
Delectare iugiter.
Sanctae crucis recordare
Et in ipsa meditare
Insatiabiliter.

2. Quum quiescis aut laboras,
Quando rides, quando ploras,
Doles sive gaudeas,
Quando vadis, quando venis,
In solatiis, in poenis
Crucem corde teneas.

3. Crux in omnibus pressuris
Et in gravibus et duris
Est totum remedium.
Crux in poenis et tormentis
Est dulcedo piae mentis
Et verum refugium.

4. Crux est porta Paradisi,
In qua sancti sunt confisi,
Qui vicerunt omnia.
Crux est mundi medicina,
Per quam bonitas divina
Facit mirabilia.

5. Crux est salus animarum,
Verum lumen et praeclarum,
Et dulcedo cordium.
Crux est vita beatorum
Et thesaurus perfectorum
Et decor et gaudium.

6. Crux est speculum virtutis,
Gloriosae dux salutis,
Cuncta spes fidelium.
Crux est decus salvandorum
Et solatium eorum
Atque desiderium.

7. Crux est arbor decorata,
Christi sanguine sacrata,
Cunctis plena fructibus;
Quibus animae eruuntur,
Cum supernis nutriuntur
Cibis in coelestibus.

8. Specialem fer amorem
Et praecipuum honorem
Cruci salutiferae.
Cum fervore medullarum,
Nixu virium tuarum
Velis hanc diligere.

9. Diligenter pone mentem
Super Christum patientem,
Et ei condoleas.
Christi mortem, Christiane,
Plange sero atque mane,
Et in planctu gaudeas.

10. Quam despectus, quam deiectus
Rex coelorum est effectus,
Ut salvaret seculum?
Esurivit et sitivit,
Pauper et egenus ivit
Usque ad patibulum.

11. Quum deductus est immensus
Et in cruce tunc suspensus,
Fugerunt discipuli.
Manus pedes perfoderunt,
Et aceto potaverunt
Summum regem seculi:

12. Cuius oculi beati
Sunt in cruce obscurati,
Et vultus expalluit.
Suo corpori tunc nudo
Non remansit pulchritudo,
Decor omnis aufugit.

13. Propter hominum peccata
Sua caro cruciata
Fuit inter verbera.
Membra sua sunt distenta
Propter aspera tormenta
Et illata vulnera.

14. Inter magnos cruciatus
Est in cruce lacrymatus
Et emisit spiritum.
Suspiremus et fleamus,
Toto corde doleamus
Super unigenitum.

15. Crucifixe, fac me fortem,
Ut libenter tuam mortem
Plangam, donec vixero.
Tecum volo vulnerari,
Te libenter amplexari
In cruce desidero.

Quamquam tulimus legem eandemque servavimus, ut illa carmina tantum in thesaurum nostrum reciperentur quae ecclesiastica auctoritate pollerent, habuit. ac habebit tamen illa regula exceptiones in honorem et favorem poetarum, quos praetermisisse plus crimini nobis verteretur quam ipsa legis violatio. Igitur locum teneat quoque S. Bonaventura, sanctae crucis laudes effundens. Dedimus carmen prout invenimus in Ramb. Anthol. l. p. 315 sq. Iuvat conferre cum hoc laudismo cantum Adami: nec te fugiet ultimam stropham mire convenire cum Prosa Iacoponi.

N.

THOMAS DE CELANO.

CXXIII.

Prosa de Mortuis.

vel: De Die Iudicii.

vel: In Commemoratione Defunctorum.

I.

Marmor Mantuanum.

Cogita (Quaeso) anima fidelis
Ad quid respondere velis
Christo venturo de coelis.

Cum deposcet rationem
Ob boni omissionem
Ob mali commissionem.

Dies illa, dies irae,
Quam conemur praevenire
Obviamque Deo ire.

Seria contritione
Gratiae apprehensione
Vitae emendatione.

Dies irae, dies illa
Solvet saeclum in favilla
Teste Petro cum Sybilla.

Quantus tremor est futurus
Quando iudex est venturus
Cuncta stricte discussurus.

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulcra regionum
Coget omnes ante thronum.

Mors stupebit et natura
Cum resurget creatura
Iudicanti responsura.

II.

Cantus Haemmerlini.

Dies irae, dies illa
Solvet saeclum cum favilla
Teste David cum Sybilla.

Tantus tremor est futurus
Quando iudex est venturus
Cuncta stricte discussurus.

Tuba mira sparget sonum
Per sepulcra regionum
Cogens omnes ante thronum.

Mens stupescit et natura
Cum resurgit creatura
Iudicanti responsura.

Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur
Unde mundus iudicetur.

Iudex ergo cum sedebit
Quidquid latet apparebit
Nil inultum remanebit.

Quid sum miser tum dicturus
Quem patronum rogaturus
Quum nec iustus sit securus.

Rex tremendae maiestatis
Qui salvandos salvas gratis
Salva me fons pietatis. *)

Recordare Iesu pie
Quod sim causa tuae viae
Ne me perdas illa die.

Quaerens me venisti lassus,
Redemisti cruce passus
Tantus labor non sit cassus.

Iuste iudex ultionis
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.

Ingemisco tanqnam reus
Culpa rubet vultus meus
Supplicanti parce Deus.

Qui Mariam absolvisti
Et latronem exaudisti
Mihi quoque spem dedisti.

Preces meae non sunt dignae
Sed tu bone fac benigne
Ne perenni cremer igne.

Inter oves locum praesta
Et ab haedis me sequestra
Statuens **) in parte dextra.

Liber scriptus tunc docetur,
In quo totum continetur
Unde mundus iudicetur.

Iudex ergo cum sedebit
Quidquid latet comparebit
Nil inultum remanebit.

Quid sum miser tunc dicturus
Quem patronum rogaturus
Dum vix iustus sit securus.

Rex tremendae maiestatis
Qui salvandos salvas gratis
Salva me fons pietatis.

Recordare Iesum pie
Qui sum causa tuae viae
Ne me perdas illa die.

Quaerens me fuisti lapsus
Redemisti cruce passus
Tantus labor non sit lassus.

Iuste iudex ultionis
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.

Ingemisco tanquam reus
Culpa rubet vultus meus
Supplicanti parce Deus.

Qui Mariam absolvisti
Et latronem emendasti
Mihi quoque spem dedisti.

Preces meae non sunt dignae
Sed tu bonas fac benigne
Ne perenni cremer igne.

Inter oves locum praesta
Et ab haedis me sequestra
Statuens in parte dextra.

---

*) Cant. Reg. bonitatis.

**) Cant. Reg. me loces.

Confutatis maledictis
Flammis acribus addictis
Voca *) me cum benedictis.

Consors ut beatitatis
Vivam cum justificatis
In aevum aeternitatis. **)

Ne confunger maledictis
Flammis morbis et addictis
Voca me cum benedictis.

Oro supplex a ruinis
Cor contritum quasi cinis
Gere curam mei finis.

Lacrimosa die illa
Cum resurget ex favilla
Tanquam ignis ex scintilla.

Judicandus homo reus
Hinc ergo parce Deus
Esto semper adiutor meus.

Quando coeli sunt movendi
Dies adsunt tunc tremendi
Nullum tempus poenitendi.

Sed salvatis laeta dies
Et damnatis nulla quies
Sed daemonum effigies.

O tu Deus maiestatis,
Alme candor trinitatis,
Nunc coniunge cum beatis.

III.	IV.
Missale Romanum.	Interpretatio Hildneri.
1. Dies irae, dies illa,	1. Ὦ ὀργῆς ἐκείνη ἡμέρα,
Solvet saeclum in favilla,	Καθ' ἣν τέφρα γίνῃ σφαῖρα.
Teste David cum Sibylla.	Δὲν ἐρρέθη φρικτωτέρα.

*) Cant. Reg. loca.

**) Cant. Reg.

Ubi malorum levamen
In te Iesu, mi solamen,
Per saeclorum saecla. Amen.

2. Quantus tremor est futurus,
Quando iudex est venturus,
Cuncta stricte discussurus?

2. Πόσος τρόμος θὰ*) πιάσει
Πάντας, ὁ Κριτὴς, ᾽σαν φθάσῃ
᾽Ακριβῶς νὰ ἐξετάσῃ,

3. Tuba mirum spargens sonum,
Per sepulcra regionum,
Coget omnes ante thronum.

3. Θελ᾽ ἡ σάλπιγξ του βροντήσειν,
Κι᾽ ὅλους θαυμαζῶς ἀθροίσειν
᾽Εκ τῶν τάφων εἰς τὴν Κρίσιν.

4. Mors stupebit et natura,
Cum resurget creatura,
Iudicanti responsura.

4. Θάνατος καὶ γῆ καὶ φύσις
Τρέμουν, ὅταν πᾶσα κτίσις
᾽Εγερθῇ, νὰ γίν᾽ ἡ κρίσις.

5. Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus iudicetur.

5. Νὰ Βιβλίον ἠνοιγμένον,
Μὲ πᾶν πταῖσμα γεγραμμένον
Πάντων τῶν κριθησομένων.

6. Iudex ergo cum sedebit,
Quidquid latet, apparebit,
Nil inultum remanebit.

6. Κάθετ᾽ ὁ Κριτὴς καὶ κρίνει
Πᾶν κρυφὸν· οὐδὲν ἀφίνει
᾽Ατιμώρητον να μείνῃ.

7. Quid sum miser tunc dicturus,
Quem patronum rogaturus,
Cum vix iustus sit securus?

7. Τί οἱ πταῖσαι θὰ ἐκφράζουν;
Καὶ μεσίτην τίνα κράζουν;
Φεῦ! κ᾽ οἱ δίκαιοι τρομάζουν.

8. Rex tremendae maiestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me fons pietatis.

8. Βασιλεῦ, τὸ πάν δεσπόζων,
Δωρεὰν τοὺς πάντας σώζων!
῾Ρῦσαί με, ὦ οὕτω σώζων!

---

*) Hanc Hildneri interpretationem, de qua infra sermo erit subieci candido iudicio Voigtii, collegae doctissimi quem linguae Neograecae novi peritum. Nec defuit iudicis assensus atque laudatio. Deprehendit tamen in Stropha secunda sphalma procul dubio typographicum. Legitur in Tholuckii Ephem. *πόσος τρόμος θὰ πιάσει* et qui Hildneri carmen glossis adspersit illud *θὰ* pro vetere *ἔνθα* positum esse opinatus est. Sed extra dubitationis aleam positum est Hildnerum scripsisse: *θὰ πιάσει.*

9. Recordare, Iesu pie,
Quod sum causa tuae viae:
Ne me perdas illa die.

9. Ἰησοῦ μοῦ, ἐνθυμήσου.
Ἤμουν τέλος τῆς ζωῆς σου.
Λύτρωσόν με τῆς ὀργῆς σου.

10. Quaerens me sedisti lassus.
Redemisti crucem passus:
Tantus labor non sit cassus.

10. Ἤσουν κεκοπιασμένος,
Δι' ἐμέ, κ' ἐξαυρωμένος.
Κόπος μὴ ματαιωμένος!

11. Iuste iudex ultionis,
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.

11. Πρὸ τῆς κρίσεως, Κριτά μου,
Πλῦνον τ' ἀνομήματά μου,
Ἐλεήμων Λυτρωτά μου.

12. Ingemisco tanquam reus,
Culpa rubet vultus meus:
Supplicanti parce Deus.

12. Ἔνοχος ποινῆς γενάζω,
Κατηφὴς ἐρυθριάζω,
Καὶ, ἱλάσθητί μοι, κράζω.

13. Qui Mariam absolvisti,
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti,

13. Ἔδειξες εἰς τὴν Μαρίαν,
Κ' εἰς φονέα εὐσπλαγχνίαν.
Προσδοκῶ κ' ἐγῶ ὁμοίαν.

14. Preces meae non sunt dignae,
Sed tu bonus fac benigne,
Ne perenni cremer igne.

14. Φαύλη εἶν' ἡ δέησίς μου,
Σὺ δὲ ἔσο ἡ ἐλπίς μου,
Κ' ἡ ἐξ ᾅδου λύτρωσίς μου,

15. Inter oves locum praesta,
Et ab hoedis me sequestra,
Statuens in parte dextra.

15. Βάλε με ᾽στὰ πρόβατά σου,
Κι' ὄχι εἰς τ' ἀριστερά σου,
Μᾶλλον δὲ ᾽στὰ δεξιά σου.

16. Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis;
Voca me cum benedictis.

16. Ὄχι ᾽στοὺς κατηραμένους
᾽Απὸ δὲ μεμαυρυσμένους,
᾽Αλλ' εἰς τοὺς εὐλογημένους.

17. Oro supplex et acclinis,
Cor contritum, quasi cinis:
Gere curam mei finis.

17. Δεομαί σε, τὸν Κριτήν μου,
Τέφραν βλέπεις τὴν ψυτήν μου·
Σωσόν με᾽ στὴν τελευτήν μου!

18. Lacrimosa dies illa,
Qua resurget ex favilla,
Iudicandus homo reus:
Huic ergo parce Deus!
Pie Iesu Domine
Dona eis requiem.
Amen.

18. Ὦ ἡμέρα θρήνου πλήρης.
Πάντας νὰ κριθοὺν ἐγείρεις.
Χάριν δεῖξε, ὅσις κρίνεις,
Ἀντὶ τῆς δικαιοσύνης.
Ἰησοῦ καλὲ Ποιμήν
Δὸς ἀνάπαυσιν ἡμῖν.
Ἀμήν.

V.

1. Tag des Zorns, du Tag der Fülle
Kehrst die Welt in Staubgerülle —
So zeugt David und Sibylle.

2. Welch Entsetzen bei der Kunde:
Dass der Richter kommt zur Stunde
Markdurchschneidend Schwert im Munde. *)

3. Die Posaun' im Wundertone
Dröhnend beut sie hin zum Throne,
Was nur in den Gräbern wohne.

4. Tod und Hölle bebt! die Fluren
Regen sich von Creaturen
Die herauf zur Antwort fuhren.

5. Und ein Buch wird aufgeleget,
All' es eingeschrieben träget,
Um die Gott Gericht geheget.

VI.

1. David und Sibylla spricht:
Erd und Himmel bleiben nicht
Wenn der jüngste Tag anbricht.

2. Schrecklich wenn es heisst: Genug!
Des Gerichtes Stunde schlug.
Nun vorbei mit Lug und Trug.

3. Der Posaune Wunderton
Sammelt alle Todten schon
Vor des Weltenrichters Thron.

4. Tod du bebst! Rings auf der Flur
Geht zum Spruch die Creatur
Die aus ihren Grüften fuhr.

5. Dann ein Buch wird aufgelegt
Das die Namen alle trägt
Um die Gott Gericht gehegt.

---

*) Apoc. XIX, 15.

6. Dass vom Thron er Urtheil fälle,
Tritt das Heimlichste in's Helle:
Ungerächt bleibt nichts zur Stelle.

7. Find Elender, ich Entschuldung
Einen Anwalt für Verschuldung,
Wo Gerechte flehn um Duldung?

8. König schrecklicher Gewalten,
Frei ist deiner Gnade Schalten,
Gnadenquell lass Gnade walten!

9. Auch für mich, o Iesu milde
Tratst du in der Sünder Gilde —
Sei mir jenen Tag zum Schilde!

10. Hast dich müd um mich gegangen,
Hast am Kreuz für mich gehangen,
Nicht umsonst sei Müh' und Bangen.

11. Richter der gerechten Lohnung,
Gnade schenke mir und Schonung,
Eh' zerfällt des Leibes Wohnung.

12. Ach vor Scham muss ich erröthen,
Schuldbeladen vor dich treten,
Reuig: Sei mir gnädig! beten.

6. Wenn die Welt dem Richter steht
Wird das Heimlichste erspäht
Ungerochen nichts entgeht,

7. Wen ruf ich mir dann zur Hut,
Wer macht meine Sache gut,
Wo Gerechten sinkt der Muth?

8. König, schrecklich wunderbar
Gnade schenkst du deiner Schaar
Gnädig nimm auch meiner wahr!

9. Auch für mich, o Iesu mild,
Warst zu leiden du gewillt —
Den Tag sei mir Sonn und Schild!

10. Gingst für mich voll Liebes-Drang
Zu des Kreuzes Marterbank,
Nicht verloren sei dein Gang.

11. Richter auf gerechtem Thron,
Tilge meine Schuld hier schon,
Eh' des Zornes Tage drohn.

12. Scham mir im Gesichte steht,
Reue durch die Seele geht,
Gnade! lautet mein Gebet.

13. Du der frei sprach einst Marien
Und dem Schächer noch verziehen,
Hast auch Hoffnung mir verliehen.

14. Zwar mein Flehn ist zu geringe,
Deine Huld alleine bringe,
Dass mich Satan nicht verschlinge.

15. Wollst mich von den Böcken trennen,
Und den Schafen zuerkennen,
Platz zu deiner Rechten gönnen.

16. Wenn Verfluchte in dem Sprühen,
Grimmer Lohe peinlich glühen,
Sprich: Du sollst zum Himmel ziehen.

17. Sieh ich flehe so demüthig,
Aus dem Staube ehrerbietig:
Machs mit meinem Ende gütig.

13. Du der frei sprach einst Marien
Und dem Schächer noch verziehn,
Hast auch Hoffnung mir verliehn.

14. Zwar mein Flehn es nicht erringt,
Deine Huld alleine bringt,
Dass die Glut mich nicht verschlingt.

15. Von den Böcken lass nich gehn
Dahin wo die Schafe stehn,
Und zur Rechten Platz mich sehn.

16. Wenn Verfluchte in dem Sprühn,
Grimmer Lohe peinlich glühn,
Sprich: Du sollst zum Himmel ziehn.

17. Sieh zerknirschten Herzens mich,
Sieh voll Aengsten schreie ich:
Meiner Seel' erbarme dich!

VII.

Translatio Domini ab Seld.

1. Zorn und Zittern bange Klag' ist,
Wenn der letzte aller Tag ist,
Wie die alte heil'ge Sag ist.

2. Welches Schrecken überfällt dann,
Wenn der Richter klagt die Welt an;
Jeder Lug und Trug zerschellt dann.

3. Und mit mächtiger Betonung
Dröhnet durch der Gräber Wohnung
Dann der Ruf zur Sündenlohnung.

4. Tod und Schöpfung füllt Erstarrung,
Wenn in Richterspruchs Erharrung
Leichen zieh'n aus Grabumbarrung.

5. Wenn das Buch der ew'gen Wahrheit
Kündet dann in nackter Barheit
Unsrer Sündenmenge Klarheit;

6. Und vor seines Blickes Richtung
Lug wird offenbar und Dichtung,
Wer entgeht dann der Vernichtung?

7. Welchem Schützer dann vertrau ich,
Und auf welche Wohlfahrt bau ich,
Da nicht einen schuldlos schau ich?

8. Herr in deiner hehren Hoheit,
Zu begnaden ist dir Frohheit,
O vergieb der Sünden Roheit.

9. Frommer Iesu deine Weihung,
Und des alten Bund's Erneuung,
Schaff' an jenem Tag Verzeihung.

10. Ach um mich so mühsam warbst du,
Und für mich am Kreuze starbst du,
Todes Macht dadurch verdarbst du.

11. Richter jeder Rechtsverhöhnung,
Gnadenvoll schaff' mir Versöhnung,
Vor dem Tag der Sündenlohnung.

12. Schuldbewusst und reuig litt ich,
Und mit Schaamerröthen bitt ich,
Decke mich mit deinem Fittig.

13. Gabst Marien mild Vergebung,
Stilltest selbst des Schächers Bebung,
Mir auch gab dein Wort Erhebung.

14. Nicht auf unwerth Bitten bau ich,
Aber deiner Huld vertrau ich,
Dass des Vaters Antlitz schau ich.

15. Wirf mich nicht zu Böcken grimmig,
Zu den Schafen hold bestimm' mich,
Und an deine Rechte nimm mich.

16. Nicht verdamme, übe Schonung,
Wahr mich vor der Hölle Lohnung,
Nimm mich auf in deine Wohnung.

17. Tief zerknirscht in Asche beb' ich,
Auf zu dir die Hände heb' ich,
Herr dir sterb' ich und dir leb' ich!

Venimus ad eum hymnum qui uno omnium consensu sacrae poeseos summum decus et ecclesiae latinae κειμήλιον est pretiosissimum. Nam etiam illi quibus latini ecclesiae hymni prorsus ignoti sunt hunc certe norunt et si qui inveniuntur ab humanitate tam alieni ut carminum sacrorum suavitatem nihil omnino sentiant, ad hunc certe hymnum, cuius quot sunt verba tot pondera, immo tonitrua, animum advertunt. In quem quid sit, quod omnium oculos convertat, facile intelligitur. Primum enim ipsum carminis argumentum tale est ut illud quasi arrectis auribus nemo non audiat. Rex quidam Bulgariae quum Christum extremum iudicium de mortuis et vivis habentem in pictura conspiceret, ea ipsa re ita tactus atque commotus esse perhibetur ut illico religionem Christianam amplecteretur: quid igitur mirum quod hymnus noster, cum extremi iudicii imaginem tam vere depingat, ut tuis tibi oculis intueri videaris, etiam nunc homines Christianos totos ad se rapiat et in summam excitet admirationem? Profecto carmen ita est comparatum ut Christum in throno sedentem eiusque terribili voce coelum et terram concussam conspicere, ut tubae vel sepulcra recludentis et mortuos resuscitantis miros sonos audire, denique ut temetipsum quasi per aerem rapi et conscientiae terroribus actum divinam gratiam cum toto mundo implorare tibi videaris. Porro quis est qui non sentiat, quanta maiestas ex lingua latina (cuius quidem haec indoles propria est) hymno accedat, quam apte totum carmen concinnatum sit, quam bene rhythmicae rationes argumento conveniant, quam mirabiliter et quasi fluctuantis maris in modum versus ferantur, denique quantum hymno ex ternaria in quaque stropha vocum similitudine et dignitatis et gravitatis nascatur.*) Ex his omnibus satis, opinor, apparebit qui factum sit ut hunc hymnum quotquot Christi nomen gerunt et noverint et admirentur, nec ea tantum quae prosae genitrix veneranda est ecclesia, sed etiam evangelica suis honoribus omni tempore dignum censuerit. Inde etiam factum est, ut carmen homines christiani in pium usum variis modis nullo non tem-

---

*) „Dessen dreifacher Reim wie mit drei Hammerschlägen die tiefste Seele zittern macht." — Guericke in Hist. Eccl. Tom. I. p. 534. (Ed. quinta).

pore adhiberent, sed etiam quicunque non nomine sed re erant poetae exemplo sibi proponerent et in suos usus convertere studerent. Sic in Iustini Kerneri noto poëmate (Die wahnsinnigen Brüder) quatuor fratres impii qui ad sacra irridenda aedem ingressi erant hymno nostro puncti in meliorem se frugem recipiunt, et, ut alterum exemplum afferam, Göthius Margaretam in ecclesia cathedrali huius Sequentiae quasi fulminibus tactam facit et conturbatam. Denique ex eadem carminis praestantia fluxit, quod permagnum numerum cum eorum qui in linguam vernaculam diligentissime transtulerunt tum eorum qui in eo exponendo et illustrando accuratius versati sunt, nactum est: qua quidem in re Germania nostra procul dubio plurimum operae collocavit et maximam laudem sibi comparavit. Ut eos qui in hoc genere maxime excelluerunt, nominatim proferamus, primo loco Mohnikius et Lisco collocandi videntur: quorum ille, praematura morte literis ereptus, doctissimam de hymno commentationem scripsit, hic fere omnes quae exstant prosae versiones accuratissime collectas cum in lucem ediderit optime meritus est. Addas quae scripsit G. W. Finkius in Encyclopaedia quae vocatur Erschii et Gruberi: quorum virorum disputationibus liceat nostram adiungere commentationem, quam habes in Tholuckii Ephemeridibus theologico-literariis. *)

Sequentiae qui sit auctor quaestionem valde implicitam ac paene indissolubilem etsi huc non pertineat tamen attingamus oportet: quoniam, cui aetati carmen tribuendum sit, nobis definiendum est. Iam vero nostratium de Sequentiarum natura elucubrationes nobis haec clarius ostendunt, ne uno quidem verbo illorum opiniones defendendas esse qui poema supra scriptum ante saeculum XIII. compositum esse censent. Ipsius nimirum carminis natura indicat, illud multo magis post quam ante Thomae Celanensis aetatem in lucem prodiisse. Dein id quoque minime praetermitti debet, quod iam a ca-

*) Gottl. Christ. Friedr. Mohnike's Kirchen- und literarhistorische Studien und Mittheilungen 1. Bd. 1. Heft. Beiträge zur alten kirchlichen Hymnologie. Stralsund 1824. I. Thomas von Celano oder Geschichte des kirchlichen Hymnus Dies irae dies illa. — Encyclopädie von Ersch und Gruber. Sect. I. Bd. 16. S. 7—10. Thomas von Celano v. G. W. Fink. — H. A. Daniel. Eine neue Uebersetzung des Dies irae, dies illa. Tholucks Litt. Anz. 1839. No. 67. 68. — Dies irae, Hymnus auf das Weltgericht, als Beitrag zur Hymnologie herausgegeben von F. G. Lisco. Berlin 1840. — Stabat Mater, Hymnus auf die Schmerzen der Maria. Nebst einem Nachtrage zu den Uebersetzungen des Hymnus Dies irae. Zweiter Beitrag zur Hymnologie her. von Friedr. Gust. Lisco. Berlin 1843.

tholicis scriptoribus inculcatum est, in veteri ecclesia Missis pro defunctis Sequentiam nullam insertam fuisse quippe quod canticum esset exultationis et concelebrationis Dei, alterumve Alleluia. Ita Bona Cardinalis haec habet: „Notat Petrus Cirvelus in Exposit. Missalis lib. II. c. 115. improprie dici Sequentiam in Missis Defunctorum quia hoc officium nec Alleluia nec Sequentiam debet habere quae sunt cantica laetitiae; — — atque inde deducitur hanc nulli antiquorum tribuendam esse sed alicui recentiori cum ritus ecclesiastici mutari coeperunt.“ Accedit quod F. Wolfius hos versus non Sequentiae indolem prae se ferre affirmat sed Tractus: *) certe hoc constat non nisi posteriore aetate qua proprium Sequentiarum consilium iamiam obsolevit, hunc cantum usurpari et divulgari potuisse. Sin vero quispiam dicat carmen antequam usu ecclesiastico consecraretur compositum esse; videat an verisimile sit talem thesaurum diu occultatum latuisse, vel aliud exemplum in medium producat, ab ecclesia carmen multo serius quam ab auctore conditum esset, esse receptum. Prima vero Prosae mentio loco fit illo notissimo Bartholomaei Pisani († 1401.) in Libro Conformitatum: „Locum habet Celani de quo fuit frater Thomas qui mandato apostolico scripsit sermone polito legendam primam beati Francisci et prosam de mortuis quae cantatur in Missa Dies irae dies illa etc. dicitur fecisse.“ Neque id hac in re negligendum esse mihi videtur, quod textus tunc in ecclesia usitati eandem praebent initii rationem quam hodiernus. Sequenti saeculo nota illa nobis occurrit qua Sixtus a Siena in Bibl. Sancta de carminis praestantiam detractare conatus est. „Haec Augustinus ad cuius sententia perspexisse videtur auctor eius inconditi Rhythmi quem ecclesia in sacris defunctorum mysteriis decantat: Liber scriptus proferetur, In quo totum continetur Unde mundus iudicetur.“ Praeterea id quod in omnibus Italicis Missalibus, quotquot inspicere potui, totus hymni textus fere ad verbum idem firmissimus ac certissimus legitur, scripturam ab ecclesia receptam primariam fuisse magis atque

*) p. 291. Dies irae ist eigentlich ein Tractus und daher nicht aus dem Responsoriengesang hervorgegangen; er besteht aus dreizeiligen schon gleichmässiger gebauten Strophen, die z. B. nach dem Graduale Romanum (Venetiis ap. Aug. Gard. 1591. fol. 205. r.) nach vier verschiedenen Chorälen gesungen werden und zwar nach folgender Anordnung:

Strophe 1 ~ 2 7 ~ 8 13 ~ 14 nach einem Chorale
3 ~ 4 9 ~ 10 15 ~ 16 nach dem zweiten
5 ~ 6 11 ~ 12 17 — nach dem dritten
und 18 ~ 19 nach dem vierten.

magis comprobat ac confirmat. Is autem qui canticum: Dies irae in Germanicis, Gallicis, Anglicis Missalibus ante saeculi XV. finem vel saec. XVI. initia editis investigaret, praemio dignissimus videtur. Immo illo ipso tempore hymnus tam raro reperitur ut non prius quam Missale Romanum omnibus ecclesiis praescriberetur, in his regionibus esset receptus. *) His igitur omnibus comprehensis satis certe concludere licet, auctorem Italum hymnumque ipsum ab ecclesia ad XVI. saeculum usque non ubique esse sanctum. Atque Thomam a Celano carmen cecinisse quum prorsus evidenter demonstrari nequeat, tamen haec opinio maxime probabilis videtur esse eamque iure Mohnikius, Rambachius, Finkius ac Lisco sequuntur. Habes pro hac sententia testimonium vetustissimum Bartholomaei Pisani, habes vituperium Sixti Senensis, quod odio Praedicatorum in fratres Minores bene congruere videtur. Neque ingenium et mores Thomae qui ex historia constant carminis indoli repugnant. Itaque quum Missalia Ordinis S. Francisci pervulgatissima essent in Italia, hanc sequentiam eodem modo qua prosam: Stabat mater transmigrasse ad totam Italiam, dein, ad orbem Christianum non est quod dubitemus; confer praeterea commentationem, a viris doctis adhuc non laudatam, ad quam nec mihi aditus patebat: Giornale de Litterati d'Italia Tom. XIII. Artic. 11. Scio tamen in hac quoque dissertatione carmen Thomae esse adscriptum. Igitur quod ad auctorem, spectatissimorum virorum sententiam libenter probo: quod ad textus primitivi rationem ab iis discedo. Utrumque enim carmen et marmoris Mantuani et Haemmerlinii, (cf. sub I. et II.) textu ab ecclesia probato opinantur vetustius. Primum quid de priore illa cantilena censuerit Mohnikius audiamus: „Es frägt sich aber, wie lautete denn der Hymnus ursprünglich? Was hatte er nicht, was sich in dem seit wenigstens dreihundert Jah-

*) In Missalibus Bibliothecae manuscriptis quae perlustravi unum mihi Prosam praebuit Missale monasterii Tegernseensis anno 1499 exaratum (Cod. 17.) Praeterea investigavi in Missali Brandenburgensi et Havelbergensi. Ut refert Mohnikius, Rambachius invenit Sequentiam in Officio Defunctorum Hammoniensi, quod tamen saeculum decimum quintum haud superare ipse suspicatur. Porro in tribus dioeceseos Suerinensis Missalibus Mohnikius Prosam desideravit. Addo alia e. g. Moguntinum, 1482 Frisingense 1487, Eichstaedtense 1487, Pataviense 1491, Cisterciense 1504, Pragense 1507, Mindense 1513, Numburgense 1517, Praemonstratense 1530. Accedit quod summi ponderis est. Libri Clichtovaei, Adelphi et Torrentini omnes continent Prosas quae tunc temporis in Germania, Gallia, Hungaria erant divulgatiores: sed nullus ex tribus libris Thomae carmen exhibet.

ren kirchlich gewordenen Texte findet? Oder enthielt der Urtext auch noch Manches, was man jetzt in dem Kirchentext der Sequenz vergeblich sucht? Die von Rambach, so viel ich weiss, zuerst nachgewiesene Nachricht, welche sich in einem alten Königsberger Gesangbuche *) findet, nämlich die: „dass diese alten Reime bei einem Crucifix zu Mantua in S. Francisci Kirche gefunden würden," gab der Hoffnung Raum, dass der Urtext wohl ausgemittelt werden könne, falls die das Lied aufbewahrende Platte (dass es eine Marmorplatte ist, werden wir bald sehen) in der gedachten Kirche sich bis auf unsere Zeit noch erhalten hätte; denn es ist wohl mehr als wahrscheinlich, dass diese Platte, deren Alter sicher höher denn dreihundert Jahre hinaufgeht, den Urtext des Liedes liefert. Zufälligerweise befinde ich mich im Besitze einer schon im siebenzehnten Jahrhundert genommenen Abschrift von dieser Platte: — — (Sequitur textus a nobis supra sub I. propositus. Inscriptum erat: Meditatio vetusta et venusta de novissimo Iudicio, quae Mantuae in aede S: Francisci legitur). — Der so eben mitgetheilte Text des Hymnus steht in einer in meinem Besitze befindlichen handschriftlichen Sammlung, Todesgedanken überschrieben, deren Inhalt ein in der Stralsundischen Stadtgeschichte sehr bekannter Mann, Christian Ehrenfried Charisius, Bürgermeister zu Stralsund, im Jahr 1676 zu seiner eigenen Erbauung theils selbst abgefasst, theils aus andern Erbauungsbüchern seiner Zeit zusammengetragen hat. Ob er das Lied aus einem zu seiner Zeit schon gedruckt vorhandenen Buche, oder aus einer ihm zum Gebrauch gestandenen handschriftlichen Quelle genommen hat, darüber sagt Charisius kein Wort; er selbst war auf seinen Reisen nicht bis nach Italien gekommen, wohl aber hatte ein um einige Jahrzehende früheres Mitglied des Stralsundischen Magistrats, der Rathsherr und nachherige Bürgermeister Nicolaus von Elver, in seinen Jünglingsjahren Italien und Frankreich bereist, und möglich wenigstens ist es, dass dieser während seines Aufenthalts zu Mantua sich eine Abschrift des Liedes genommen hatte, und dass diese Abschrift in die Hände des, wie es seine hinterlassenen zahlreichen Collectaneen beweisen, auch als Sammler von mancherlei frühern Notizen

*) New Preussisches vollständiges Gesangbuch Lutheri und anderer geistreicher Männer, sambt den Fest-Begräbniss-Liedern und Kirchen-Collecten, für die Kirchen, Schulen und Häuser im Herzogthumb Preussen etc. Mit einer Vorrede H. D. Iohann Behmen, weiland wolverdienten Preuss. Hoffpredigers. Zu Königsberg druckte und verlegts Iohann Reussner. Anno 1650. 8. S. 360. Supra varias lectiones huius Cantionalis Regiomontani in notis dedimus.

und Urkunden ungemein mühsam und umsichtig gewesenen Charisius gekommen war. Es kann indess auch leicht sein, dass in irgend einer alten Reisebeschreibung von Italien aus dem sechzehnten und siebenzehnten Jahrhunderte das Lied nach der Mantuanischen Marmorplatte schon gedruckt steht; die Kunde von dem Dasein dieser Platte war wenigstens schon im Jahre 1643 dem Herausgeber des oben genannten Königsberger Gesangbuchs geworden. Reyssler sagt in seiner bekannten Reisebeschreibung, welche viele Inschriften enthält, von dieser Platte kein Wort, auch habe ich ihrer in andern ältern und neuern Reiseberichten aus Italien nicht erwähnt gefunden. — Bei diesem Mangel irgend eines Gewährmannes kann ich also auch nicht das Mindeste über das muthmaseliche Alter dieser Platte sagen; aus innern Gründen scheint es mir aber nicht zweifelhaft zu sein, dass sie sehr alt ist, und dass der auf ihr befindliche Text unsers Liedes der Urtext ist, oder demselben doch am nächsten kommt. Wenn man geneigt ist, zu vermuthen, dass die Platte schon früher verfertigt worden sei, als der Hymnus kirchliche Auctorität erhielt, so liegt der Gedanke nicht fern, dass der ursprüngliche Text zur Inschrift wird gewählt worden sein. Wäre diese Inschrift aber gemacht worden, wie der Hymnus schon allgemein anerkannte kirchliche Auctorität als Sequenz bei dem Feste aller Seelen und auch wohl bei der Todtenmesse überhaupt erhalten hatte, so würde er sicher in derjenigen Gestalt, in welcher die Kirche sich seiner bediente, eingegraben worden sein. Gegen den Schluss des vierzehnten Jahrhunderts fing der kirchliche Text sich aber schon mit den Worten: „Dies irae, dies illa“ an, mithin ist es wahrscheinlich, dass das Alter der Platte höher hinaufreicht. Des Dichters frommer Zweck bei dem Liede war wohl kein anderer gewesen, als durch die Betrachtung und Schilderung des Weltgerichts und der Schrecknisse desselben sich und Andere zu einem bussfertigen Wandel zu erwecken. Mit dieser Absicht stehen die beiden Doppelstrophen zu Anfange, welche in dem Kirchentext fehlen, in der innigsten Beziehung, so wie auch die in dem kirchlichen Text gleichfalls weggelassene Schlussstrophe deutlich hierauf hinweist. Was für ein Grund aber die Kirche, welche durch die Aufnahme des Liedes zum liturgischen Gebrauche doch nichts Anderes beabsichtigte, als was der Dichter selbst gewollt hatte, leiten mochte, diese Anfangsstrophe und die die zehn Doppelstrophen des Liedes beschliessende einzelne Endstrophe wegzulassen, ist jetzt schwerlich auszumachen; vielleicht schien dem Ueberarbeiter der Anfang: „Dies irae, dies illa“ für den kirchli-

chen Gebrauch feierlicher und wärdevoller zu sein, als der in den vorhergehenden Strophen enthaltene Ton der ruhigen Contemplative, vielleicht mochte auch bloss eine Abkürzung des Liedes der Grund zur Weglassung jener Strophen sein. So wie es auf der Marmorplatte zu Mantua beginnt und schliesst, scheint das Lied aber wirklich erst völlig geändert zu sein, statt dass es, der offenbar neu hinzugekommenen Schlussstrophen hier nicht zu gedenken, in dem kirchlichen Texte Manchem etwas zu stürmisch zu beginnen scheinen könnte. Erst wenn die Worte: „Dies irae, dies illa" u. s. w. vorangegangen sind, erhält die Strophe: „Dies irae, dies illa," wenigstens wie es mir scheint, ihre rechte Stelle und wahre Bedeutung. Die einzelnen abweichenden Lesarten der Mantuanischen Marmorplatte sind wenigstens von der Art, dass sie insgesammt denen in dem gewöhnlichen Texte sich zur Seite stellen können, einigen möchte wohl der Vorzug nicht streitig zu machen sein. Mit demjenigen Grade von Ueberzeugung, mit welchem man über Dinge dieser Art reden kann, halte ich also dafür, dass der Mantuanische Text des Liedes der Urtext ist, wiewohl es auch mir nicht hat entgehen können, dass die vier Anfangsstrophen vielleicht späterhin könnten hinzugedichtet worden sein, was mir jedoch aus den oben angeführten Gründen nicht wahrscheinlich ist; auch weiss man bei dieser Annahme den gleichfalls abweichenden Schluss sich nicht wohl zu erklären." Ego vero in his vim probandi invenio nullam. Quo anno illa inscriptio (quam in fabularum regione versari dicent sceptici *) confecta sit nescimus; cantirum ecclesiae iam circa annum 1400 incepisse, certissime certius est. Nonne simpliciter id sequitur, quod ne caecum quidem fugit: textum Mantuanum seriore aetate confectum. Quod ad scripturae discrepantiam, Mohnikium in laudibus suis Mantuanis non turbamus: poetam vero scripsisse perspicue teste Petro et postea hanc lectionem abiisse in obscurius illud et difficilius: teste David, credat Iudaeus Apella. Sed etiam addamus argumenta. Quatuor illae priores strophae poetico numero carent asperioremque ostendunt modum quam quae sequuntur. Stropha tertia ex prima Thomae misere con-

*) Luce meridiana clarius est, Charisium carmen suum descripsisse ex Florilegio Magno Francoft. ad Moenum 1621 p. 1562. Ibi enim sine titulo sive inscriptionis Mantuanae (si quae est) mentione carmen Charisii invenies. Addamus locos in quibus a textu supra proposito discrepat Florilegium 1. Quaeso omnia. 2. Ah quid. 4. a te poscet rationem. 5. remissionem. 6. et mali. 15. teste David. 23. quam res. 33. vix iustus. 38. quod sum. 40. sedisti. 46. vere reus. 57. statuens me in.

suta et recocta, Str. III. et IV. displicent ac propter ieiunam dogmatum enarrationem et terminos scholae magis claudicare quam cantare videntur. Valde autem errant ii, qui dicunt verba: dies illa necessitate quadam ad antecedens quoddam esse trahenda. Ne afferam locum Sophoniae c. 1. (quamquam hoc certe debellatum est) formula Dies irae quam solam spectat pronomen illa, ita erat usitata et omnibus nota si de rebus novissimis sermo fiebat, ut nullo indigeret interpretationis additamento. Ita Adamus in Sequentia: Laudes crucis canit: cum dies erit irae nobis confer et largire sempiterna gaudia. *) Nosmet igitur arbitramur Mantuanam illam Meditationem carmini, quatenus sit ab ecclesia sanctum nihil aliud nisi amplificationem magis, ut ita dicam subiectivam afferre eamque ob causam nihil in Sequentiae huius textu constituendo valere. **)

De altero veteri textu Haemmerlini (II.) Mohnikius haec prodit: Unter den Hottingerschen Handschriften auf der Carolinischen Bibliothek zu Zürich finden sich auch einige Gedichte, welche der schon oben genannte, anfänglich zu Gottlieben, einem Schlosse des Bischofs von Costanz, darauf zu Costanz selbst, und endlich zu Luzern eingekerkert gewesene Felix Hämmerlin (Malleolus), († c. 1457) gewesener Probst zu Solothurn und Chorherr, und zwar Cantor an dem grossen Münster zu Zürich, während seiner Gefangenschaft gedichtet

*) Adde II. Tim. IV, 8.: Reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Hieronym. ad Heliodor. veniet dies illa, veniet, in qua corruptum hoc et mortale induet incorruptionem. Bernardus sup. Cantic. Veniet dies illa in qua plus valebunt pura corda quam astuta verba.

**) Finkius l. l. „Hätte es mit dieser Platte seine völlige Richtigkeit, so würde sie fast unbezweifelt den Grundtext enthalten. Wie hätte man sich sonst wohl in einer Kirche und noch dazu in einer Kirche des heiligen Franz Abweichungen vom gewöhnlichen Kirchentexte erlauben sollen? Auch würde das Alter der Platte (?) dieser Meinung nicht entgegen sein. Aus dem so gestellten Gedicht sieht man augenscheinlich genug, dass es in dieser Gestalt seines betrachtenden Tones wegen mehr für stille als für öffentliche Andacht geeignet ist. Nun scheint es denkbarer, dass ein frommes Gemüth durch die Trefflichkeit des Gedichtes veranlasst wurde, es für einen kirchlichen Gebrauch umzuwandeln; wenigstens dürfte es nicht leicht Jemandem eingefallen sein, eine für das Haus gemachte Veränderung in einer Kirche in Stein hauen zu lassen.“ Sed viam, quam ecclesia in Missali et Breviario constituendo ingressa est et semper tenuit Vir doctus praetermisit, ne dicam ignoravit. Contra plurima docent exempla, cantica ecclesiae in privatum usum esse mutata et accommodata.

hat, und unter diesen Gedichten ist auch unsere Sequenz, aber mit bedeutenden Abweichungen, sowohl in einzelnen Worten, als in ganzen Strophen, von der Recension des römischen Missals, welche letztere natürlich die geltende geworden ist. Leonhard Meister hat in seinem Leben des Felix Hämmerlin in den von ihm herausgegebenen „Berühmten Zürichern" einige dieser Lieder mitgetheilt, und namentlich S. 65 bis 67 auch unsern Hymnus; es ist aber entweder die Hottingersche Handschrift sehr schlecht, oder Meister hat auf die Entzifferung derselben sehr wenig Mühe verwandt, denn mehrere der aufgenommenen Lesarten sind völlig falsch, ja sogar sinnlos, wie das oben gelieferte Variantenverzeichniss ausweist. Der Schluss, den Leonhard Meister, dem, wie aus der Art, wie er von dem Hymnus spricht, zu schliessen ist, derselbe bis dahin, dass er ihn unter den Hämmerlinschen Gedichten fand, völlig unbekannt gewesen sein muss, macht: Felix Hämmerlin sei der Verfasser desselben, ist viel zu voreilig, denn alsdann müsste das Lied erst in der Mitte des funfzehnten Jahrhunderts gedichtet worden sein, wogegen, wie schon oben bemerkt ist, frühere Erwähnungen desselben streiten. Da der Hämmerlinsche Text als eine ganz verschiedene Recension angesehen werden kann, so darf er hier nicht fehlen." Nemo non videt strophis quae ecclesiasticum carmen excedunt nihil inesse nisi languorem ac priorum versuum repetitionem. Ecclesiam Hammerlinum quoque in scriptura prosae suae definienda minime in auxilium vocasse, infra ut spero luculenter evincam.

Ut hodie iubet ecclesia Romana, canitur grandis illa de extremo iudicio Sequentia in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum: alias in missis pro defunctis ad libitum sacerdotis. Missa illa vero pro mortuis (ab Introitu Requiem dicta) cum persaepe modis musicis apud Catholicos exprimi soleat id summo carmini contigit quod gloriam eius haud minus adauxit, ut summa artis musicae lumina laudatissimam prosam ingenii sui radiis collustrarent. Sufficiat nominare illum, qui ipse in Missa de Requiem mira tuba miros spargebat sonos, Amadeum Mozartium. *) Ne plebi praeclarissi-

*) De modorum compositionibus, nostro carmini adaptatis adeas huius rei iudicem candidum et peritum G W. Finkium in commentatione inserta ephemeridibus theologicis quae sub H. G. Tzschirneri auspiciis quondam in lucem prodierunt (Magazin für christl. Prediger 1826. Tom. IV. p. 59 sqq.). Porro Liscovium l. l. p. 146 sq. De Mozartii opere haec refert: Ein Freund von mir, ein inniger Verehrer Mozarts, schreibt mir über den Schluss des Requiems folgendermaassen: Ich wüsste nicht, was mich je mächtiger ergriffen

mus cantus delitesceret, in vernaculum sermonem translatus saepe occurrit in Catholicorum hymnariis, populi usibus accommodatis. Neque protestantium Cantionalia ipsum spreverunt. Omnino nullum novi carmen, in quo tam diligenter atque indefesse sudaverint interpretes. Lisco in libro saepius commemorato enumerat translationes quadraginta quatuor. Accesserunt in appendice praeclari libri quem hoc anno edidit (Ueber den Hymn. Stabat Mater) septemdecim: neque his mare exhaustum credas. Nam unus ex poetis, quorum mentionem iniicit Liscovius, Robertus Lecke (qui praeter proprios foetus nullam interpretationem adhuc vidisse nude profitetur) in libro typis impresso Monachii 1842 prosam non semel sed duodecies Germanicam fecit. Sed magis evomuit atque ebulliit versiones quam subtiliter atque artificiose effinxit. Ex sexaginta illis translationibus una est Gallica, una Neograeca, reliquae Germanicae. Ex omnibus vero nulla prorsus satisfacit et nulla ex illis, quas procul dubio posteri gignent, prorsus satisfaciet. Nam cantus Thomae non tantum verbis sed ingenio etiam et maiestate est latinissimus et ab alia quavis lingua alienus. Recte igitur in illas interpretationes cadit illud poetae: In magnis voluisse sat est. Quod attinet ad translationes germanicas ego primus, nisi fallor conatus sum servare literarum vocalium triplicem concentum: *) secuti sunt Lisco,

---

hätte, als die Composition dieser Zeilen von Lacrimosa an und steht mir da Mozarts liebes und kindliches Gemüth ganz vor Augen. — — Es beginnt das Lacrimosa in tiefster Zerknirschung auf den Knien, hebt sich mit dem resurget nach und nach empor und steigt mit iudicandus homo reus in den dringendsten Accorden, (mit gen Himmel gestreckten Armen), welche über dem reumüthigsten Geständniss seiner Sündhaftigkeit auch das parce involviren, selbst in den Himmel.

*) Daniel l. l. So viel treffliche Meister sich auch an der deutschen Fassung dieses strahlenden Kleinodes versucht haben, so haben doch weder sie noch Andre an ihrer Arbeit volle Genüge gefunden. Oft war man sich nicht recht bewusst, was noch vermisst werde, aber die Kraft und Würde des Originals schien sich oft vor allen Versuchen immer mehr in idealen Hintergrund zu ziehen. Die Ursache mag zum guten Theile in der Differenz der deutschen und lateinischen Sprache beruhen; dann ist es aber auch mit Bestimmtheit darin zu suchen, dass, so viel ich weiss, die so unübertrefflich gewählten Vokal-Assonanzen des Gigantenhymnus nicht beachtet sind. Hier liegt der Hauptschlüssel zu dem imposanten, auch ohne Musik musikalischen Werke. Das u in Vs. 2., das o in Vs. 3., der ergreifende Wechsel der a. und i — Assonanz in Vs. 9. muss in der Uebersetzung bleiben, wenn diese nicht völlig hinter dem Original zurückbleiben soll: wo möglich müssen in jedem deutschen Verse dieselben Vokale vorherrschen wie im Lateinischen. Die Schwierigkeit die-

Conard atque Anonymus. Novam viam ingressus est Crelle (Die Hymnen Dies irae und Stabat Mater deutsch Berlin, Reimer 1841). Habent in lingua germanica ὁμοιοτέλευτα quae vocantur debilia (Weibliche Reime), quia persaepe desinunt in E mutum, imbecillitatis quid et languoris, tremendae maiestati prosae minime congruum: quapropter Crellius ὁμοιοτελεύτοις utebatur fortibus vel masculis. Sed iudicent ipsi lectores. Etenim excusat carminis dignitas singularis quod a solito more recessimus. Apposita est supra quarto loco versio Neograeca Hildneri. *) Sequitur altera germanica quae id eluctatur ut servet triplicem vocalium consonarum harmoniam. Sexta retenta vocalium trina serie, ὁμοιοτέλευτοις fortibus est composita. Agmen claudit translatio Domini ab Seld, anno 1841 confecta: neque laude caret nova auctoris methodus quamquam in non nullis longe quaesita praebere et artificiose collecta ne dicam corrasa, (Grabumbarrung, Froheit etc.) ipse concedet. Neque tamen his prolegomenis non amplius lectorem moremur sed ad ipsam Prosam festinemus.

Stropha Prima. 1. Dies irae est dies illa quam norunt omnes sacrorum bibliorum periti. Act. XVII, 31. Prae ceteris accurate expressit poeta Sophoniam prophetam

---

ser Aufgabe an sich (man denke nur an unsere Armuth im u!) verbunden mit der Pflicht der möglichsten Treue, verkennt Niemand.

*) Cf. Ephemerides Theologicas Tholuckii 1842. No. 13. p. 103. 104. Hildnerus haec interpretationi suae praemittit: „Seit beinahe 12 Jahren bin ich hier in Syra als Missionar der Englisch-Bischöflichen Missionsgesellschaft angestellt, und habe mich in ihren Diensten seit jener Zeit unter andern, ja hauptsächlich, mit der Errichtung und obersten Leitung einer Schulanstalt für griechische Knaben und Mädchen beschäftigt. Ich hatte nun gerade die Revision eines Liederbüchleins für die griechische Jugend in Händen, als mir vom Jahrgang 1840 die 77ste Nummer Ihres litterarischen Anzeigers zukam, worin die neueste Uebersetzung des erwähnten Hymnus aufgenommen ist. Diese hat mich als eine vorzüglich gelungene ausnehmend angesprochen. Ich nahm um so mehr Interesse daran, als mir dieses mächtige Lied immer sehr theuer und werth gewesen, aber in noch höherem Grade geworden ist, seit ich es in Rom in der Sixtinischen Kapelle singen hörte. Es wurde daher der Wunsch in mir rege, dass doch auch von Jemand eine griechische Uebersetzung gemacht werden möchte, zumal da von guten geistlichen Liedern in dieser Sprache fast gar nichts existirt. Ich versuchte nun selbst, ob sich nicht der Anfang mit einiger Treue gut wiedergeben liesse. So entstand der erste Vers der ersten Strophe, wie sie inliegend angegeben ist. Endlich, da ich auch Niemand sah, der sich daran wagen würde, bekam ich Lust, mich noch weiter zu versuchen, und so ist die Uebersetzung entstanden, wie ich sie Ihnen hier inliegend überschicke."

capite primo: „Iuxta est dies Domini magnus, iuxta est velox nimis. Vox Diei Domini amara, turpiter ibi eiulabit fortis. Dies irae, dies illa, dies tribulationis et angustiae — dies turbae et clangoris.“ Conferas praeterea Adamum a St. Victore: *Quos tormento vis servare fac tormenta non sentire sed cum dies erit irae nobis confer et largire sempiterna gaudia.* Huc pertinet quoque versus a quibusdam S. Bernardo tributus: *Cum recordor moriturus Quid post mortem sim futurus Terror terret me venturus, Quem exspecto non securus. Terret dies me terroris, dies irae ac furoris, dies luctus ac moeroris, dies ultrix peccatoris, dies irae, dies illa.* Lud. *Dies irae, sc. impiis. Piis enim erit dies gratiae.* 2. Hämm. Lud. cum fav. Hanc saeculorum ruinam ardentissimis coloribus expingit Schillerus in fabula cui inscriptum est: Die Räuber. Dico somnium grande ac terrificum, quo scelus et pestis illa iudicii extremi poenas tremens praesentit ac praesentiendo desperat: *Da war's mir als sähe ich aufflammen den ganzen Horizont in feuriger Lohe und Berge und Städte und Wälder wie Wache im Ofen zerschmelzen und eine heulende Windsbraut fegte von hinnen Meer, Himmel und Erde, — da erscholls wie aus ehernen Posaunen* etc. Haud scio an poeta maximus in his Thomae vestigia presserit. 3. Marm. Mant. teste Petro: idem legit auctor cantici Germanici: Es ist gewisslich an der Zeit. Cecinit enim: *Da wird das Lachen werden theur wenn Alles wird vergehn durchs Feur wie Petrus davon schreibet.* (II. Petr. III, 10. *et elementa solventur, terra autem et quae in ipsa sunt opera exurentur — coeli ardentes solventur et elementa ignis ardore tabescent.*) Fink.: *Dass der Mann, der das Gedicht in ein für öffentliche Andacht Bestimmtes veränderte, die vier ruhiger Betrachtung gewidmeten Einleitungsstrophen (Marm. Mantuani) wegliess und gleich mit dem mächtig ergreifenden Dies irae, dies illa begann, giebt einen Beweiss, wie tief er das menschliche Gemüth kannte und das Haus von der Kirche zu unterscheiden wusste. Es hätte nicht schöner gedacht werden können. — Wenn die verschiedene Lesart in der ersten Strophe nicht zufällig entstanden, sondern wie es scheint, gleichfalls mit Vorbedacht gewählt ist, so giebt auch diesen einzige veränderte Wort einen abermaligen Beweis, wie sehr der Mann die Sache verstand. Denn der Apostel Petrus kann der Lehre Iesu Christi vom jüngsten Tage kein grösseres Gewicht geben, als sie durch das Wort des Erlösers bereits hat. Wird aber David mit der Sibylle genannt: so gewinnt wenigstens der Gedanke an Allgemeinheit, indem er nicht allein als ein christlicher, sondern sogar als ein von Juden und Heiden schon als Ahnung ausgesprochen dargestellt wird; er erhebt sich dadurch zum Weltgedanken.* Sed ut alia taceam, iam supra rostro et ungulis contendi, scriptionem David esse genuinam: Petrum substituit qui ubi David de iudicio extremo vaticinatus sit laboravit et dubitavit.*) Nam profecto quae-

*) Praeterea vidit, versiculum secundum ex epistolis Petri esse desumptum.

stionem spinosam tetigimus. Mohnikius ex psalmis affert Ps. X, 6. *Pluet super peccatores laqueos ignis et sulphur et spiritus procellarum pars calicis eorum.* Ps. XLIX, 4.: *Ignis in conspectu eius exardescet et in circuitu eius tempestas valida.* Hos locos quin poeta in mente habuerit ipse cum Mohnikio dubito: sed quod tertio ordine affert effatum Dominicum, certe in hac Stropha expressum est: Ps. CI, 27. Coeli peribunt et omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut operterium mutabis eos et mutabuntur. — Transgrediamur a Propheta et rege ad Sibyllam. Permulta de Sibylla et de Sibyllarum oraculis a veteribus Christianis in usum suum conversis disputavit Mohnikius: putat Vir Doctus Thomam se adplicuisse ad oraculum Sybillae Erythraeae notissimum: Iudicii adventu tellus sudore madescit etc. cf. August. de Civ. Dei XVIII, 23. Sed magis mihi adhuc ad Sequentiam nostram accedere videntur quae leguntur in alio vaticinio (Sybillin. Oracula ed. Sebastianus Castalio Helmst. 1673. p. 16 sq.)

Vae quas illa dies deprendit ventris onustos
Pondere: quaeve suo lactabunt ubere natos
Aut qui propter aquas habitabunt! Vae quibus illam
Contigerit vidisse diem. Nam totus ab ortu
Solis ad occasus austroque aquiloneque mundus
Tetrae involvetur noctis caligine caeca.
Tunc ardens fluvius coelo manabit ab alto
Igneus, atque locum consumet funditus omnem
Terramque oceanumque ingentem et caerula ponti
Stagna, lacus, fluvios, fontes Ditemque severum
Coelestemque polum coeli quoque lumina in unum
Fluxa fluent, forma delcta prorsus eorum.
Astra cadent etenim de coelo cuncta revulsa
Humanaeque animae frendebunt dentibus omnes.
Fluminis ardentis, ignisque et sulphuris aestu
In fervente solo cinis obteget omnia quando.

— — — — —

Iuraque dicturus mortalibus aequa sedebit
Et tunc infernis animas fletumque sonumque
Coelestis tribuet compactaque convenienter
Artubus ossa suis. — —
Vocabit
Ad solium cunctas: nec non quas igneus auctor
Absorpsit flammis, ad iudiciale tribunal
Coget adesse Dei.

— —

Eo veniet in nube aeternus et ipse
Christus ad aeternum magno splendore bonisque
Cum geniis solioque sedebit dexter in alto.

— — —

Eheu me miseram quid me illo tempore fiet?
Tu me servator tortoribus eripi diris
Quanlibet infamem conspurcatique pudoris
Obsecro te porro paullisper desine carmen
Sancte, potens rerum magni rex maxime regni.

Sed unde Saul inter prophetas? Quid Sibylla in carmine ecclesiae? Optime hoc explicuit Staudenmaier cum famosam Michaelis Angeli picturam exponeret (Geist des Christenthums etc. II. p. 483). *Wie aber die Welt gleichsam in zwei Theile sich theilte, in die Welt der besondern göttlichen Offenbarung und in die Welt der natürlichen Offenbarung; so verkündigt sich der Geist nun auch beim Volke Gottes durch die Propheten, bei den übrigen Völkern durch die Sibyllen. In grossen und erhabenen Gestalten treten sie alle auf, wahre Meisterstücke der Kunst; ihr ernstes Antlitz zeugt von dem hohen tiefen Geiste, der sie erfüllt, sie sprechen in starken erschütternden Worten von einer göttlichen Regierung der Welt, sie weissagen die Schicksale der Menschen, jeder auf seine Weise zwar, aber doch so, dass die Weissagungen zuletzt nur Ein grosses göttliches Orakel werden. Selbst dieses aber wird zu einem solchen jetzt erst dadurch, dass sich die Väter des jüdischen Volkes und der christlichen Kirche anschliessen an jene, denn nun ist in ihnen, denen die Zukunft zur Gegenwart geworden, die ganze Zeit gedeutet und dargestellt, sie stellen die ganze Menschheit dar in ihren Leiden und Freuden, in ihrer Tiefe und Höhe, in ihrem lügenhaften und in ihrem wahren Leben, nach dem ersten und nach dem zweiten Adam. Das aber, was über das Ganze entscheidet, das, dem alles entgegeneilt, das Böse wie das Gute, das ist das Weltgericht, die Scheidung des Reiches der Finsterniss und des Lichtes. Und diess ist das letzte erhabene und tiefsinnige Gemälde des Michel Angelo. Jesus Christus, der Sohn des lebendigen Gottes, den die Propheten verkündet, den auch die Sibyllen geweissagt nach alter Vorstellung, erscheint als Weltenrichter.* Tamen cum multis Sibylla displiceret, orta est scriptura alia recentiorum hominum: crucis expandens vexilla cf. Matth. XXIV, 30. Invenit eam Mohnikius in precario Parisiensi (Le petit Paroissien complet contenant l'office des dimanches et fêtes etc. Paris 1771): mihi obvia erat in Missali Metensi (Metis 1778). Nunc rursus evanuit: nec video cur Thomae vertatur in opprobrium quod in S. Bernardo nemo nisi fallor vituperavit? Et ipse in cantico: Laetabundus cecinit: *Si non suis vatibus, credat vel gentilibus, Sibyllinis versibus haec praedicta.*

Stropha Secunda. Haemm. tantus. Lutherus: *Wo dann Christen werden sein, die haben einen Trost; die aber keinen Glauben haben und gottlos sind, denen wird es ein solch grosses Schre-*

cken sein, dass ihnen auch die Welt zu enge wird. Denn wenn sie jetzt essen, trinken, ohne Sorgen sind, so werden sie in einem Hui den schrecklichen Richter sehen und den Himmel voll Feuer; alsdann wird sich ihre Pein ewiglich anheben. 3. Cf. Gregor. Moral. XXI. Sic Deus vias nostras considerat et gressus dinumerat, ut ne minimae quidem cogitationes ac verba minutissima eius iudicio indiscussa remaneant.

Stropha Tertia. 1. Haemm. tuba mira. Br. Aug. 2. sparget. Prudent. Hamartig. 916. 917. — — *raucos et percipit aure Mugitus gravium mundi sub fine tubarum* H. CLXI, 5. *clangor tubae per quaternas terrae plagas concinens, Vivos una mortuosque Christo ciet obviam.* 3. Apud Follenium legitur ciet: dubito an aliqua auctoritate haec scriptura nitatur Lud.: *Omnes, cum vivos h. e. quos in glorioso reditu ad iudicium adhuc vivos in hoc mundo repererit, tum mortuos, a morte resuscitatos.*

Stropha Quarta. 1. Haemm. mens stupescit: In Cantic. germ. *Da wird der Tod erschrecken sehr, wenn er wird hören neue Mähr, dass alles Fleisch soll leben.* Prorsus diversa ratione hic versus potest accipi. Mors et natura (*κόσμος*), personarum partes agentes designant *τὸν ἄρχοντα τοῦ κόσμου τούτου, τοῦ θανάτου τοῦ δευτέρου.* Obstupescit Satanas ac frendit quoniam adest dies iudicii ac resurgunt corpora quae in aeternum esse dissoluta crediderat. Ita Mephisto: *Wie Viele hab' ich schon begraben Und immer circulirt ein neues frisches Blut! So geht es fort, man möchte rasend werden.* Vel mors et natura, per figuram *ἓν διὰ δυοῖν* dicta designant *τὴν κτίσιν ἐν τῇ δουλείᾳ τῆς φθορᾶς* (Rom. VIII.). Obstupescit et levat quasi caput suum quia appropinquat redemptio. Vel non ex theologi sed ex poetae ingenio mors et natura velut numina usurpantur. 2. Haemm. resurgit.

Stropha Quinta. 1. Haemm. tunc docetur. Mohnike: *Die Stelle des Augustinus, auf welche, nach Sixtus Senensis der Verfasser unsers Hymnus hingedeutet haben soll, steht in der Schrift: De civitate Dei, cap. XIV. lib. 20. und heisst: „Et vidi, inquit Ioannes (Apocal. XX. 12.), mortuos magnos et pusillos: et aperti sunt libri: et alius liber apertus est vitae uniuscuiusque, et iudicati sunt mortui ex ipsis scriptis librorum, secundum facta sua. Libros dixit esse apertos et librum; sed librum, cuiusmodi sit, non tacuit. Qui est vitae, inquit, uniuscuiusque. Ergo illi libri, quos priore loco posuit, intelligendi sunt sancti et veteres et novi, ut in illis ostenderetur, quae Deus fieri sua mandata iussisset: in illo autem: Qui est vitae, quid horum quisque non fecisset, sive fecisset. Qui liber si carnaliter cogitetur, quis eius magnitudinem aut longitudinem valeat aestimare? aut quanto tempore legi poterit liber, in quo scriptae sunt universae vitae universorum? An tantus angelorum numerus aderit, quantus hominum erit, ut et vitam suam quisque ab angelo sibi adhibito audiat recitari? Non ergo unus liber erit omnium, sed singuli singulorum. Scriptura vero ista unum volens intelligi, et alius, inquit, liber apertus est. Quaedam igitur vis est intelligenda divina, qua fiet, ut cuique opera sua, vel bona, vel mala,*

cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur: ut accuset, vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul et omnes et singuli iudicentur, quae nimirum vis divina libri nomen accepit: in ea quippe quodammodo legitur, quicquid a faciente recolitur.“ Sixtus Senensis fügt hinzu: „Haec Augustinus, ad cuius sententiam respexisse videtur auctor eius inconditi Rhythmi, quem ecclesia in sacris defunctorum mysteriis decantat: Liber scriptus proferetur etc.“ Ohne mich weder auf den heiligen Augustinus Rücksonnement, noch auf des Sixtus Senensis Vermuthung weiter einzulassen, halte ich dafür, dass der Dichter des Hymnus nur an die Worte der Apokalypse: καὶ βίβλια ἀνεῴχθησαν (et libri aperti sunt) u. s. w. gedacht hat.

Stropha Sexta. 1. Aug. 1. 2. cum censebit, verum exprimi poeta **Matth. XXV, 31.** *Cum autem venerit filius hominis in maiestate sua, tunc sedebit super sedem maiestatis suae.* **cf. Hymn. Apparebit 13. 14.** *Gloriosus in sublimi rex sedebit solio, Angelorum tremebunda circumstabunt agmina.* **De tribunali Christi Rom. XIV, 10. II. Cor. V, 10. 2. Haemm. comparebit. Trillerus:** *Da gilt nicht falsche Kunst, nicht Freundschaft oder Gunst, kein frech Verneinen: Was man hier noch versteckt wird dort ganz aufgedeckt im Licht erscheinen.*

Stropha Septima. 1. Marm. Mant. Follen. tum. 3. Aug. 1. 2. M. 18. Br. Lud. Haemm. Mar. Mant. Mohn. dum. Marm. Mant. nec. Quod in favorem huius scripturae affert Mohnike: *Der Lesart nec gebe ich ohne Bedenken vor der Lesart vix den Vorzug. Auch nicht einmal der Gerechte ist sicher sagt der Dichter, wohl mit Hinweisung auf die erhabenen Stellen im Hiob 4, 18. und c. 15, 15. wo es von den Engeln heisst: Siehe unter seinen Knechten ist keiner ohne Tadel und in seinen Boten findet er Thorheit — und: Siehe unter seinen Heiligen ist keiner ohne Tadel und die Himmel sind nicht rein vor ihm —* **eodem iure in patrocinium vocandum est lectioni vix. Sensus enim non mutatur vel legas nec vel vix. Sed habes rixam de lana caprina: habes exemplum, interpretem veterum hymnorum turpiter labi si in Vulgata versione non bene versatus sit. Versiculus tertius sine dubio est Petri apostoli Ep. I. c. IV, 18. Etsi iustus quidem vix salvabitur impius et peccator ubi comparebunt. (Cf. Bernard. in Epist.** *Quid faciet de iniustis iudicium qui ipsas quoque iustitias iudicabit et cuique merita recitabit).* **Neque negligas in hac stropha locum Iobi:** *Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Deus? et cum quaesierit quid respondebo?* **neque ac Isaiam c. X, 3.** *Quid facietis in die visitationis et calamitatis de longe venientis? Ad cuius confugietis auxilium?* **— Praeterea in stropha VI. et VII. vestigia premit Anselmi de similit. mundi: „A dextris erunt peccata accusantia, a sinistris infinita daemonia, subtus horrendum chaos inferni, desuper index iratus, foris mundus ardens, intus conscientia urens. Ibi vix iustus salvabitur. Heu**

miser peccator sic deprehensus quo fugies? latere enim est impossibile, apparere intolerabile. Cf. Ioel. II, 11. *Magnus enim dies Domini et terribilis valde et quis sustinebit eum?*

Stropha Octava. Etiam iusti non salvantur per iustitiam sibi inhaerentem sed per gratiam. Gratis enim i. e. non propter opera donat Deus coelorum beatitudinem. In primo ac secundo versiculo attendas ad vim quam habent epitheta sibi opposita regis tremendi ac salvifici. Nec sine causa appellatur Deus iudex saecli venturus, rex: nam, ut est in Gnomo Bengelii: rex est appellatio maiestatis plena. 2. Vn. salvando. 3. Cant. Reg. bonitatis.

Stropha Nona. 1. Hämm. Iesum. 2. Marm. Mant. quod sim. Haemm. qui sum. Offic. Hammon. Ramb. quid sum. M. 18. Vn. quia sum. Hanc scripturam duco genuinam: quia, ut saepe est, monosyllabum. Similia leguntur in Commendatione animae: *Liberet te a morte Christus qui pro te mori dignatus est — Commendamus tibi animam famuli tui precamurque te Domine Iesu Christe salvator mundi ut propter quam ad terram misericorditer descendisti patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuds.* Neque a re est percipere sublimia verba S. Hieronymi ad Heliod.: *Iudicaturo Domino lugubris mundus immugiet et tribus ad tribum pectora ferient. Potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Exhibebitur tunc cum prole sua igneus Iupiter, adducetur cum suis stultus Plato discipulis, Aristotelis argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus et pauper exultabis et dices: Ecce iudex qui involutus pannis in praesepio vagiit, hic qui matris gestatus sinu, hic pungentibus spinis coronatus. Cerne manus Iudaea quas fixeras, cerne latus Romane quod foderas, videte idem sit quod dicebaris.*

Stropha Decima. 1. Marm. Mant. venisti Haemm. fuisti. Procul dubio tangit poeta locum Ioann. IV, 6.: *Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem* — neque a vero alienum esse videtur quod suspicatur Mohnikius obversatum esse poetae Augustinum in Ioan. Tract. 15. *Non frustra fatigatur Iesus, non enim frustra fatigatur virtus Dei, non enim frustra fatigatur per quem fatigati recreantur — — fatigatur tamen Iesus et fatigatur ab itinere et sedet — — tibi fatigatus est ab itinere Iesus.* Tuetur idem Vir Doctus scripturam venisti „*lassus kann hier sehr wohl für schwach überhaupt stehn, so dass der Dichter auf den ganzen Stand der Erniedrigung Christi hingedeutet hat.*“ Sed male, nam reliqui libri ad unum omnes sedisti. 2. Aug. 1. 2. Marm. Mant. Cant. Reg. Haemm. cruce. Mohnikius: *Der Ablativ ist völlig so gut und richtig als der Accusativ in dem kirchlichen Texte.* 3. Haemm. lassus. Follen. ne sit c. — Conferas cum hac stropha, quae cecinit poeta gallicus medii aevi (cf. Heures à l'usage etc. Tom. I. Proll. p. XIV.)

Iesus ta croix, tes cloux, ta lance,
Tes courgees, ta penitence,
Ta coronne poignante et dure,

Ta mort, ton sang en abondance
Me soient a la mort delivrance
De la peine qui tousjours dure.

Stropha Undecima. 1. Utrum iuste an iustae legendum sit, ex codicum et veterum librorum iudicio nullo modo potest discerni: nam ae sola voce E constanti usu exprimitur. Duo huc pertinere videntur loci scripturae Ps. XCIII, 1. 2. *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit. Exaltare qui iudicas terram.* Deut. XXXII, 41.: *Si arripuerit iudicium manus mea reddam ultionem hostibus meis et his qui oderunt me retribuam.* Idem atque haec stropha precatur Wülfflerus: *Wer sich besinnt, zu Gott so spricht: Hier brenn, hier schneid, hier straf und richt, hier handle nach Gerechtigkeit: Verschon mich nur in Ewigkeit!*

Stropha Duodecima. 1. Lud. vere reus, nisi fallor ut magis elucesceret natura hominis prorsus vitiosa atque corrupta. Est dogmatici non critici hominis scriptura. 3. Lectio l. in Officio Defunct. incipit: Parce mihi.

Stropha Decima Tertia. 1. Missale Metense ac Precarium Lutetiense supra laudatum: peccatricem absolvisti (Luc. VII, 37. *erat magna peccatrix* etc.) Ita mutarunt editores, non codicum auctoritate freti, sed ut pravas interpretationes et errores evitarent, eorum scilicet qui in sacris scripturis minime versati essent. Tandem hoc notandum, illo tempore de Mariis in Novo testamento commemoratis Galliae theologos multum disputasse et disceptasse. 2. Haemm. emendasti.

Stropha Decima Quarta. 2. Aug. 2. Marm. Mant. Cant. Reg. Foll. tu bone. Placet Haemmerlini lectio: bonas.

Stropha Decima Quinta. 3. Cant. Reg. me loces. Marm. Mant. statuens me.

Stropha Decima Sexta. 1. Haemm. Ne coniunger mal. Confutatis Matth. XXV, 4 sqq. 2. Haemm. flammis acerbis et addictis. 1. 2. Patrum ac theologorum de inferni disputationes mittamus. Adiungatur Thomae aluis poeta inter Germanos facile princeps, Göthius:

Eckzähne klaffen; dem Gewölb des Schlundes
Entquillt der Feuerstrom in Wuth,
Und in dem Siedequalm des Hintergrundes
Seh' ich die Flammenstadt in ew'ger Gluth.
Die rothe Brandung schlägt hervor bis an die Zähne,
Verdammte, Rettung hoffend, schwimmen an,

Doch kolossal zerknirscht sie die Hyäne,
Und sie ernennen ängstlich heisse Bahn.

3. Cant. Reg. loca, sed attendas ad Matth. XXV, 34.

Stropha Decima Septima. Hinc incipit textus prosae magis magisque fluctuare. Hac re motus, Rambachius iam haec stropha num a Thoma profecta sit addubitavit. Reliquas vero spurias vel ex Haemmerlini cantilena esse compositas omnibus est persuasissimum. Ita cum Mohnikio facit Finkius l. l. „*Aus diesen Strophen (Hümmerlin's) scheint der kirchliche Bearbeiter seine Schlusssätze zusammengereiht zu haben. Dass aber der kirchliche Schluss später hinzugethan ist, ergiebt sich aus dem Mangel des dreifachen Reims, der diesem Gedichte so nothwendig ist. — — Destomehr ist es zu beklagen, dass der sonst so treffliche Bearbeiter des kirchlichen Textes aus Bequemlichkeit es sich erlaubte den dreifachen Reim am Ende wegzulassen. — So viel aber übrigens der Gedanke höher steht als der Reim, wie sehr er auch sonst die gute Wirkung verstärkt, so viel höher steht doch auch wieder, besonders wenn man ihn als zum Feste aller Seelen gehörig betrachtet vor den Hümmerlinschen Versen der kirchliche Schluss. Hier löst sich Alles nicht nur in ein frömmeres Gebet auf, das Kraft hat, die trauernde Seele vor Gott zu beruhigen, sondern es wird auch so allgemein wie es für die Kirche nothwendig ist.*“ Quae de cantici ecclesiastici peroratione praeclarissima protulit Vir Doctus sagaciter prolata sunt et ingeniose: reliqua ipso mucrone critico iugulanda. Vetusta enim Italorum Missalia, quae ab Haemmerlinii aetatem prope absunt, ad unum omnia et ad finem usque cum textu hodierno consentiunt: inde non fieri potuit, quin ecclesia ultimas strophas ex crambe illa Turicensi concoxerit. Quod ad argumentum ab ὁμοιοτελεύτων mutatione depromptum, ipse peccavi et lapsus sum. Scribebam enim in Ephemer. Literar. Tholuckii: *Ich bin mit Rambach schon über die Aechtheit dieser Strophe in Zweifel, die sich aber doch in allen mir vorliegenden Exemplaren findet. Was nachher folgt ist bestimmt unächt, was nicht bloss aus dem Wechsel des Versmasses, sondern auch aus dem Umstande hervorgeht, dass sich hier so sehr viele Varianten finden. So schiebt Miss. Br. zwischen* 17. *und* 18. *ein:* Ne gehennae ignis laedat Tuum plasma sed te edat, Digne semper in te credat *und Ludecus schliesst mit folgenden Versen:* Tibi Christe me committo, Toto corde te exoro, Hora mortis tecum ero.“ Haec scribere poteram quum Sequentiarum naturam nondum accuratius investigassem et perspexissem. Persaepe enim occurrit in fine Prosarum Stropha metro a praecedentibus dissona (Abgesang), nec scripturae varietas tanti momenti est. Nam Ludecum, quem multa ex arbitrio mutasse novi, ne tantilli quidem facio: id quod legitur in Missali Brandenburgensi in praesidium vocamus illius disputationis, quam supra egimus. Vides enim praeter cantum

Haemmerlinii alias quoque in Germania exstitisse prosae Italae amplificationes et quasi explanationes.

1. In nonnullis libris mendose acclivis. Haemm. a ruinis. 2. Ps. L., 19. *Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* In Officiis Mozarabum de Def.: *Expandi manus meas ad te Domine: anima mea velut terra sine aqua, cito exaudi me.* 3. Ut in cantico eccl. evang. *Mein Gott ich bitt' durch Christi Blut, Mach's nur mit meinem Ende gut.*

Stropha Decima Octava. 1. Haemm. Precar. Lutet. lacrimosa die. 2. M. 18. Vn. quae resurget.

Pie Iesu Domine, dona eis requiem. Scripsi in Ephemeridibus saepius laudatis: *Der letzte Zusatz ist auf jeden Fall erst zu dem Gesange gekommen, als derselbe als Sequenz in die Missa Defunctorum aufgenommen wurde, in welcher sich diese Formel häufig wiederholt.* Nunc mihi persuasum est poetam initio carmen condidisse ut in Missa Defunctorum adhiberetur. Exstat suspirium in vetustis Italiae Missalibus omnibus.

P.

IACOBUS DE BENEDICTIS.

CXXIV.

Sequentia de Septem Doloribus Beatae Virginis.

al.: De Compassione Beatae Virginis.

al.: Planctus Beatae Virginis. *)

I.

Georgius Stella.

1. Stabat mater dolorosa
Iuxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat filius.
Cuius animam gementem,
Contristantem et dolentem
Pertransivit gladius.

2. O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!
Quae moerebat et dolebat,
Et tremebat, dum videbat
Nati poenas inclyti.

*) Quae apud Rambachium legitur inscriptio: Mater Dolorosa in ecclesiasticis libris mihi nusquam obvia erat. Neque, si rem ad vivum resecamus, de septem Doloribus est compositum carmen, ex quibus unum tantum commemorat. Confer Hymn. DI. Tom. I. p. 347.

3. Quis non potest contristari,
Matrem Christi contemplari
Dolentem cum filio.
In me sistat dolor tui,
Crucifixo fac me frui
Dum sum in exilio.

4. Hunc dolorem fac me moestum,
Nec me facias alienum
Ab hoc desiderio.
Illum corde, illum ore,
Semper feram cum dolore
Et mentis martyrio.

5. Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio?
Quis tam fortis degustaret
Poenas matris, cum clamaret
In tanto iudicio?

6. Pro peccatis suae gentis
Vidit Christum in tormentis,
Et flagellis subditum;
Vidit suum dulcem natum,
Morientem, desolatum,
Cum emisit spiritum.

7. Eia mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac, ut ardeat cor meum
In amando Christum deum,
Et sibi complaceam.

8. Sancta mater, istud agas
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Poenas mecum divide.

9. Alma salus, advocata
Morte Christi desolata,
Miserere populi;
Virgo dulcis, virgo pia,
Virgo clemens, o Maria,
Audi preces servuli.

10. Fac me vere tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Iuxta crucem tecum stare,
Te libenter sociare,
Cum planctu desidero.

11. Virgo virginum praeclara,
Iam non mihi sis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac, ut portem Christi mortem
Passionis eius sortem
Et plagas recolere.

12. Fac me plagis vulnerari,
Cruce fac inebriari
Et cruore filii.
Inflammatus et accensus
Per te, virgo, sim defensus
In die iudicii.

13. Fac me cruce custodiri
Morte Christi praemuniri
Confoveri gratia.
Quando corpus morietur,
Fac, ut animae donetur
Paradisi gloria.

II.

Missale Romanum.

1. Stabat mater dolorosa
Iuxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat filius,
Cuius animam gementem
Contristatam ac dolentem
Pertransivit gladius.

2. O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!
Quae moerebat et dolebat
Et tremebat, cum videbat
Nati poenas inclyti.

3. Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari,
Piam matrem contemplari
Dolentem cum filio.

4. Pro peccatis suae gentis
Vidit Iesum in tormentis
Et flagellis subditum,
Vidit suum dulcem natum
Morientem, desolatum,
Dum emisit spiritum.

5. Eia Mater, fons amoris!
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac, ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum
Ut sibi complaceam.

6. Sancta mater, istud agas
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.
Tui nati vulnerati
Tam dignati pro me pati
Poenas mecum divide.

7. Fac me tecum vere flere
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Iuxta crucem tecum stare
Te libenter sociare
In planctu desidero.

8. Virgo virginum praeclara
Mihi tam non sis amara,
Fac me tecum plangere,
Fac ut portem Christi mortem
Passionis fac consortem
Et plagas recolere.

9. Fac me plagis vulnerari
Cruce hac inebriari
Ob amorem filii.
Inflammatus et accensus
Per te, virgo, sim defensus
In die iudicii.

10. Fac me cruce custodiri
Morte Christi praemuniri
Confoveri gratia.
Quando corpus morietur
Fac ut animae donetur
Paradisi gloria.

III.

Interpretatie Vanderlic.

1. Iesus met bekreete Moeder
Stont bij 't Kruis, daer aen Verhoeder
Haer beminde Zoon, aen hing:
En haer docht, terwijl ze steende,
Hem betreurde, en drukkigh weende,
Dat een zwaert door 't harte ging.

2. Och! hoe drukkigh, hoe vol rouwe
Was die zegenrijkste vrouwe,
Moeder van Godts eenigh Kind?
Die met een weemoedigh harte
Beerende arnnagh al de smerte
Van haer vrucht, bij Godt bemint.

3. Och! wie zou in 't hart niet snijden
Zoo hij, in dat deerlijk lijden
Kristus lieve Moeder zagh?
Och! wie zou zich niet bedroeven
Zagh hij 't hart beklemt van schroeven
Om den Zoon die 'er onder lagh?

4. Zij zagh Iesus pijn en striemen
Lijden om ons al te zamen
En hem sterven met geschal;
Toen die waerde en uitverkozen
Treurigh, als een trostelozen,
Zijnen Geest aen Godt beval.

5. Bron van moederlijke minne
Stort me 't gevoelen inne
Van medoogen en gelijk:
Doe mijn harte haer verlangen
Om mijn Heilant aen te hangen,
Dat ik hem behagen magh.

6. Heilige Moeder, allerkuischte.
Druk de wonden des Gekruiste
Krachtelijk in mijn gemoedt:
Laet ik ook met u beuren
Uw gewonden Zoons quetzuren
Die mij vrijkocht met zijn bloet.

7. Dat ik ijvrigh u gelei
En 't gekruiste Lam beschreie
Al de dagen die ik leef.
'K Wensch uw kruis te helpen dragen
En bij 't kruis met u te klagen,
Schoon een ander u begeef.

8. Puik der Maeghdelijke looten,
Wil mijn bede nit verstooten:
Laet mij aen uw zijde staen,
Kristus doot mijn ziel genezen:
Laet ik die deelachtigh wezen;
Laetze in 't hart geschildert staen.

9. Laet zijn hartquetsuur mij vaken,
En zijn bloet mij dronken macken,
In de liefde van Godts Zoon.
Reine Maeght, gij doetme blaken;
Uw gebedt zal voor mij waken,
En mij vrijen voor Godts troon.

10. Laet het kruis mijn ziel bedekken,
Kristus doot mijn schilt verstrekken,
En mij koestren met genâ.
Als dit lichaem komt te sterven
Laet mijn ziel met blijschap erven
't Hemelsch Paradijs hier na.

IV.

1. Voller Thränen, voller Schmerzen,
Stand die Mutter, wund im Herzen
An dem Kreuz, da Iesus hing;
Durch die Seele grammumhüllet
Seufzerschwer und Qualerfüllet
Eines Schwertes Schärfe ging.

2. Ach wie elend, wie gebeuget
War, die Gottes Kind gesäuget,
Einst vom Engel benedeit:
Nun voll Beben sieht sie schweben
Dort ihr Leben, hingegeben
In des bittern Todes Leid.

3. Wer ist Mensch, der nicht beweinet
Christi Mutter, die erscheinet
So voll Schmerzen, Schmach und Hohn?
Ohne Leid, wer könnte sehen,
Diese fromme Mutter stehen
Die da leidet mit dem Sohn?

4. Für die Sünden seiner Brüder
Sieht sie ihres Iesu Glieder
Wie die Geissel sie zerreisst:
Sieht ihr süsses Kind erblassen,
Sieht den Sohn von Gott verlassen,
Und verhauchen ihn den Geist.

5. Fromme Mutter! Quell der Liebe,
Gieb dass innigst mich betrübe
All dein Leid und deine Pein.

Christo lass mein Herz entbrennen,
Lass mich Herr und Gott ihn nennen,
Mich ihm wohlgefällig sein.

6. Heilge Mutter! alle Wunden,
So dein Sohn am Kreuz empfunden,
Drücke tief sie in mein Herz.
Wundgeschlagen hat voll Zagen
Für mich Plagen Christ getragen —
Gieb mir Theil an seinem Schmerz.

7. Lass im Weinen uns vereinen,
Den Gekreuzigten beweinen
Will auch ich mein Leben lang.
An dem Kreuz mit dir zu stehen,
Mich im Leid dir Eins zu sehen
Sehnt der Seele Liebesdrang.

8. Aller Jungfraun Krone! brünstig
Fleh ich: lafs mich hold und günstig
Mit dir klagen um den Sohn;
Lass mich erben Christi Sterben,
Seine Marter mich erwerben,
Schmecken seine Passion.

9. Wundenmale lass mir fliessen,
Mich in Liebesrausch ergiessen
Zu dem Kreuz mit deinem Sohn:
Und um solchen Eifers Flammen
Lass mich Jungfrau nicht verdammen
Vor des Weltenrichters Thron.

10. Christi Kreuz lass mich beschützen
Christi Tod als Schild mir nützen,
Schirmen seine Gnädigkeit:
Und zerfällt der Leib hienieden,
Lass der Seele sein beschieden
Paradieses Herrlichkeit.

Ea qua excellunt evangelistae pia veritate atque admirabili simplicitate Ioannes, cum Mariam dolentem cum filio depingere vellet, in hoc uno acquievit: Stabat iuxta crucem mater eius. Quae verba numero paucissima, re gravissima sunt: nam quidquid desiderii, doloris atque moestitiae in pectore latuit, in lucem proferunt et ut brevissime ita

optime exprimunt. Cumque inter mortales plurimi inveniantur, quos casus infelices ita percellant atque frangant, ut ipsorum animis dolor tanquam gladius infixus haereat, mirum esse non potest tam multos tanto pietatis ardore Matrem Dolorosam precibus adiisse, imo etiam nunc in ecclesia Romana adire. Testes sunt tam frequentes in templis ac viis matris doloresae imagines, *) testes lucernae ante ipsas die noctuque ardentes, testes qui in eius honorem constituti sunt dies festi, testes denique sodalitates, conciones sacrae, hymni, preces ac laudes. Inter omnia autem carmina, quae in matris lacrimosae laudibus versantur, quod supra scriptum legitur omnium consensu palmare est. Quae in initio recitantur verba lectorem paullisper ad historiam revocant: dein vates ore mellifluo ad dolores Mariae quasi nativis coloribus depingendos totum se confert. Ex hoc intelligitur nostrum carmen et illud alterum: Dies irae, etsi forte quaedam similitudo intercedat, **) tamen diversissimi generis esse. Nam eorum unum in ea re quae quasi intuentibus nobis agitur describenda versatur, alterum non quid actum sit, sed quid pectus senserit exprimit: illud lectori quasi scenam quandam ante oculos ponit, hoc quasi animi intimos recessus aperit. Carmina igitur ita

*) Multa ex his simulacris vel arte vel devota simplicitate animos movent: neque tamen desunt, quae inelegantia vel inepta haud immerito dixeris. In haec cadit quae affert Rosenkranzius (Königsberger Skizzen I. S. 13.) „Eine wohlaufgeputzte stattliche Frau, im Halbzirkel mit 7 brillanten Galanteriedegen umgeben, wie wir in katholischen Kapellen und Gasthöfen gesehen, stimmt uns freilich mehr zum Lachen als zur Andacht."

**) Pulcherrima similitudo et maxime opportuna in hoc cernitur, quod viri docti qui carmen antecedens illustrarunt, et huic operam navarunt. Cf. Mohnike Kirchen- und litterarhistorische Studien und Mittheilungen Bd. 1. Heft 2. S. 407 ff. Geschichte der Sequenz Stabat mater dolorosa. — F. G. Lisco Stabat Mater Hymnus auf die Schmerzen der Maria. Berlin 1843. Mohnike l. l. Ausser dem Umstande, dass auch dieses Stabat mater einen rituellen Gebrauch in der katholischen Kirche gefunden hat, hat es mit dem Dies irae noch manches Andere gemein. Auch über seinen Verfasser walten verschiedenartige Meinungen ob; es fällt hinsichtlich der Zeit seiner Entstehung mit dem Dies irae ziemlich zusammen, welcher Ansicht über den Dichter man auch beistimmen mag; der wohl nicht zu bezweifelnde Verfasser gehörte demselben Orden an, dessen Mitglied Thomas von Celano war; es hat das Lied in den neuern Zeiten, und zwar noch etwas früher als das Dies irae einen Componisten gefunden, dessen Name so berühmt als Mozart's Name ist; nicht zu gedenken, dass auch dieses Stabat mater, wenn gleich nicht so oft, wie das Dies irae, doch auch mehrmals, und mitunter auch von protestantischen Dichtern, theils ins Deutsche übersetzt, theils frei nachgebildet worden ist.

comparata sunt ut inter se comparari nequeant: eadem vero etiam omnibus numeris et partibus ita sunt absoluta, ut nullum par, ne dicam superius inveniatur. Tamen si quaeritur, utrum horum carminum usui sacro magis conveniat, libere fateor, me Thomae a Celano palmam concedere: quae quidem sententia vereor ne offensioni futura sit eis qui nisi cordis gemitus, suspiria, gaudia, desideria non sine lacrimis efferantur in poematibus quoque ecclesiasticis nihil probant neque laudant. Sed ut hos mittamus, Prosa Iacoponi summis laudatoribus insignis est. Sufficiant Wielandii et Tieckii nomina. *) Jam vero eandem viam ingrediemur, in qua in

*) Cf. Teutscher Merkur 1781. Febr. p. 98. 99. „So gar elend können sie doch wohl nicht sein, (diese, von Einigen zu sehr verachteten lateinischen Reime) da sie fähig waren, eine Seele wie Pergolesi's in die erhabenste Begeisterung zu versetzen, und ihr jene in einem so ausserordentlichen Grade psychagogischen Melodien und Harmonien einzugeben, von welchen jemand irgendwo gesagt hat:

Es hören, wenn du das Schwert im tiefzerrissenen Busen
Der göttlichen Mutter beweinst, mitweinende Engel dir zu.

Die Wahrheit von der Sache ist, dass der fromme Mönch, der, in einem der finstersten Jahrhunderte, dieses Lied in der Einfalt seiner Seele, aber gewiss aus Drang des wahrsten Gefühls, in inniger Theilnehmung, Wehmuth und Bussfertigkeit, mit einem Herzen, das von Glauben und Liebe überwallte — aber freilich im barbarischen Latein (er kannte kein besseres) und oft in platten Reimen — hervorstammelte, gewiss keinen Anspruch an die Lauream Apollinarem macht, noch zu machen hatte: aber dass seine Strophen, bloss als stammelnde Seufzer eines einfältigredlichen büssenden Mönchs, der, in frommer Entzückung, das Kreuz des Erlösers wirklich zu umfassen glaubt, die Schmerzen der göttlichen Mutter wirklich sieht und theilt u. s. w., eine Wahrheit, eine Wärme und ein Sublimes in sich haben, wobei jeder nicht gefühllose oder nicht durch Ueberverfeinerung ekelgemachte Zuhörer (denn es muss gesungen und gehört werden) das barbarische Latein und die schlechten Reime gerne vergisst. Man fühlt ganz eigentlich, dass der Mann es an einem Charfreitag, in seiner kleinen düstern Zelle, vor einem grossen Crucifix knieend, ejaculirt hat; und man sieht in der Strophe:

Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari
Ob amorem filii — —

wie er wirklich, in der heiligen Trunkenheit der Liebe und des flammenden Eifers, auch mit dem Gekreuzigten und seiner Mutter zu leiden, die Geissel ergreift und gleichsam nicht satt werden kann, sich blutrünstig zu machen und zu zerfleischen. Dubitat Mohnikius num ipse Wielandius haec verba scripserit, (nam nomen auctoris silentio praetermissum est) sed prodit et manifestat scriptorem scribendi ac sentiendi ratio. — Tieckius (Phantasus II. p. 458. ed. 1812) cum Pergolesii modos nostrae prosae adaptatos

carmine antecedente incessimus. Nostrum non est explorare auctorem, sed explorare tempus ex quo carmen in ecclesiasticum usum receptum sit. — Primum testimoniis sat luculentis Mohnikii diligentia comprobavit, Prosam a fanaticis illis grassatoribus decantatam esse qui sub Dealbatorum nomine circa finem saec. XIV. per Italiam potissimum vagabantur. Narrat Antoninus Florentinus († 1450) in Summa Historiali ad annum 1389 haec: „Incredibilis devotionis ardore longa horum dealbatorum agmina ad varias urbes commeabant, processionaliter bini pergentes, pacem, misericordiam, supplici clamore saepe clamantia ac laudes et hymnos in latina vel vulgari lingua decantantia, praecipue sequentiam illam, quam dicunt Gregorium edidisse: Stabat mater dolorosa.“ Similia leguntur in Georgii Stellae († c. 1420) Annalibus (Muratori Script. Ital. XVII, 1170 sqq.): „Populus autem civitatum quarundam et locorum Lombardiae — — tegimen album accepit; sub eo namque vestimento homines pro parte maiori facie velata perambulant, quosdamque canunt Psalmos et devotos Rhythmos, quos edidisse fertur Ioannes vigesimus secundus, quando summus erat Pontifex.“ Simul Prosam ipsam lectoribus communicat scriptura ita comparatam ut habes supra, primo loco positam. Neque ab his Italis historicis abhorret Detmarus Lubecensis (Ioh. Henr. a Seelen Select. litter. etc. p. 153. 154.) „In den suluen jare (1399) vorhoff sik eyn secte der manne vnde winn in witten clederen, vnde hadden sik vormeret bouen achtentich dusent, vnde wanderden in Ytalien van der enen stad to der anderen. So war se quemen vor ene stad, dar ghink man en mit processien vntieghen (entgegen). So wan se quemen in de stad, so regen se: Misericordia et pax, vnde sunghen van unser vrowen lidende, dat se hadde vnder dem cruce: Stabat mater dolorosa iuxta crucem lacrimosa. Prosam igitur circa 1380 vel 1390 notissimam fuisse, ne

---

laudet, sic iudicat: Die Lieblichkeit der Wehmuth in des Schmerzes Tiefe, dies Lächeln in Thränen, diese Kindlichkeit, die den höchsten Himmel anrührt, ist mir noch niemals so licht in der Seele aufgegangen. Ich habe mich abwenden müssen, um meine Thränen zu verbergen, vorzüglich bei der Stelle: Vidit suum dulcem natum. Wie sinnvoll, dass das Amen, nachdem Alles schon beschlossen ist, noch in sich selbst klingt und spielt, und in herzlicher Rührung kein Ende finden kann, sich gleichsam vor dem Trocknen der Thränen fürchtet und sich im Schluchzen noch fühlen will. Das Gedicht selbst ist rührend und tief eindringlich, gewiss hat der Dichter diese Reimspiele: quae moerebat, et dolebat cum videbat mit beweglichem Gemüth gesungen.

tantillum quidem superest dubitationis: multum tamen admirationis. Miramur enim, ab ecclesia carmen primo ab haereticis et fanaticis receptum, postea in suum usum vocasse. Sed res ita se habet. Non accepit ecclesia carmen ab haereticis, sed haeretici ex ecclesia prosam depraedati sunt. Iam saeculo decimo tertio medio vel ineunte in libris liturgicis locum habebat. Contigit nobis Prosam investigare in Missali Bibliothecae Monacensis (Cod. Emm. G. VII. apud nos 10. cf. Proleg.) quod ut supra probavimus, sub Clementis sexti pontificatu (1342 — 1356) absolutum est. Circa idem fere tempus Monachus Salisburgensis Sequentiam fecit germanicam: *) neque vero simile est, cum alias carmina publico usu sancita in vernaculum sermonem converterit, in hoc a more suo recessisse. Accedit ad haec argumenta aliud, quod ab ipsius carminis eloquiis proficiscitur. Omni tempore homines Christianos crucem ardentissima pietate et caritate maxima esse amplexos in vulgus notum est: notum vero etiam est eandem pietatem quasi incrementum quoddam nactum esse ex quo tempore S. Francisco stigma illud mirabile impressum esse dicitur, de quo exstat illud vatis Florentini:

Wo zwischen Tiberstrom und Arno ragen
Felshöhn, gab Christus ihm das Schlussgepräge,
Das seine Glieder zween Jahr' getragen.

Quod propter mirabile factum B. Franciscus primus est inter eos, quorum animi eius, qui apud theologos ecclesiae catholicae „vulnus divinum“ vel „plaga domini“ audit, amoris

*) Lisco l. l. „(Hermann?) Mönch von Salzburg, der in der zweiten Hälfte des vierzehnten Jahrhunderts lebte, ist der Verfasser der höchst wahrscheinlich ältesten Uebertragung des Stabat Mater ins Deutsche; sie steht in der Münchener Papier-Handschrift Nr. 715. in Quart aus dem funfzehnten Jahrhundert, welche gegen vierzig Uebersetzungen lateinischer Hymnen und Sequenzen enthält. Der Verfasser widmete seine Uebertragung dem Erzbischof von Salzburg Pilgreim, aus der Familie von Buchaim, der im Jahre 1366 erwählt wurde und 1396 gestorben ist. Mohnike kennt diese Uebersetzung gar nicht; ihr Dialekt weist unverkennbar auf einen Ursprung in jenem Theile des südlichen Deutschlands hin. Veröffentlicht ist sie, so viel ich weiss, noch gar nicht; ich habe sie nach der aus der Münchener Bibliothek mir mitgetheilten Abschrift aufs Sorgfältigste abdrucken lassen. Die vier ersten Doppelstrophen entsprechen dem gewöhnlichen kirchlichen Text; die fünfte und sechste Doppelstrophe sind eine freie Erweiterung, der im Text nichts entspricht; die siebente Doppelstrophe ist im Latein die fünfte: die achte ist die siebente lateinische; die neunte ist im Latein die achte; die zehnte dreizeilige (halbe) Strophe entspricht der neunten des Latein; die letzte Doppelstrophe stimmt mit dem Grundtext zusammen.“

ineffabilis ardore insigniti erant: quem quidem amorem dei piissimum tantam vim in animos habere iudicant, ut homines Christi crucifixi et dolores senserint et signum retulerint. Cum autem dubitari minime possit, quin illius plagae divinae in Prosa nostra mentio facta sit (Str. 8. 9.), primum coniectura assequi licet, auctorem carminis post Francisci tempora vixisse, tum vero etiam improbabile non erit, eundem ex ordine monachorum S. Francisci fuisse. Haec omnia si reputo ac perpendo, mitto Innocentium, reiicio Gregorios, dubitatur mihi Ioannes: in unc acquiesco Iacobo de Benedictis. Nam quae modo exposuimus optime in hunc seraphici doctoris seraphicum cadunt discipulum. Porro commendatur testimonio Lucae Waddingii doctissimi ac diligentissimi viri: *) reliqui omnes simili carent patrocinio. Consentit denique prosa tam apte cum Iacobi moribus atque ingenio, cum carminibus italice ab ipso compositis ut, si disceptatum est gemellos foetus sibi esse simillimos, non amplius dubitari liceat, quin Iacoponus cum Italicis cantibus nostram Prosam genuerit. (Cf. Mohnike Iacobus de Benedictis oder Iacopone da Todi, sein Leben und sein schriftlicher Nachlass. Kirchen- und Litterarhist. Studien etc. I. S. 335 — 406.) Restat, ut illorum sententiam refutemus, qui S. Bernardum carminis auctorem esse suspicantur atque contendunt. Nimirum invenit I. I. Dodt in bibliotheca Academiae Ultraiectensis codicem saec. decimi quinti, qui Prosam nostram operibus doctoris Claravallensis intersertam exhiberet. **) (Archief voor kerkelijke geschiedenes inzonderheit van Nederland, verzameld door Kist en Royaards. Th. III. [1831.] p. 482 — 490.) Hac narratione commotus, et ut mihi videtur rei novitate allectus Nic. Christ. Kist, professor Lugdunensis, commentatiuncula in easdem Ephemerides theologicas recepta praeproperam stabilire studuit opinionem, ipsum Bernardum Prosam confecisse. (Iets over den Hymnus Stabat mater dolorosa. Naar aanleiding van een HS. van denzelven, voorkomende in eenen Codex der werken van St. Bernardus. (Archief u. s. w. Th. III. S. 491 — 502). Sex

*) Script. Ord. Minorum etc. Romae 1650. fol. 180. 181. de Iacobo: „Rhythmum ad B. V. Mariam sub cruce in Christi passione stantem qui incipit: Stabat mater dolorosa circumfertur in libello officii Beatissimae Virginis.“ Waddingium sequuntur Wharton (Appendix ad Histor. (Litter. Guil. Cave Basil. 1744. p. 8. Gerbert de cantu et musica sacra II. p. 27. Augusti Denkwürdigkeiten u. s. w. V. S. 311. Ebert Allgem. Bibliographisches Lexicon I. S. 874, Rambachius, Mohnikius, Liscoa.

**) Infra scripturam Codicis Ultraiectensis breviter significabimus litera U.

annis post, Kistii dissertatio, in germanicum conversa opera Henrn. Inl. Costers (cui ipsius auctoris adfuerat consilium atque auxilium) typis excusa est in Illgenii Ephemeridibus Historico-theologicis (1837. Fasc. II. S. 41—49) itaque magis in Germania percrebuit. Ex hac Costersii interpretatione transcribere licent quae sententiam Kistii optime ac luculenter aperiunt: „Mag nun auch immerhin die Auctorität dieses in der Geschichte seines Ordens wohl bewanderten Schriftstellers (Waddingii) selbst Etwas gelten: so darf doch gerade seine Vorliebe für diesen Orden, und der sehnliche Wunsch, eine berühmt gewordene Schrift einem Gliede desselben zuzuschreiben, durchaus nicht übersehen werden. Es ist wenigstens nicht nur gewiss, dass Iacoponus von keinem der älteren Schriftsteller als Dichter dieses Liedes genannt wird, sondern dass auch, während die meisten Schriftsteller jener Zeit, von der man glaubt, dass ihr der Hymnus angehöre, wo sie desselben gedenken, den Dichter ungenannt lassen, einige dagegen ganz Andere als vermuthliche Verfasser anführen. — — (Afferuntur loci Antonii Florentini et Georgii Stellae.) Freilich sind diess nun wohl blosse Gerüchte, und widersprechende Gerüchte: wir ersehen jedoch daraus, dass man am Ende des 14ten Jahrhunderts über den Dichter des, wie es scheint, damals schon berühmten Liedes in Ungewissheit gerathen war. Desswegen dürften wir nicht ohne Grund vermuthen, dass es wohl früheren Ursprunges sei, und dass dessen Verfasser wahrscheinlich schon im 12ten Jahrhundert gesucht werden müsse, wie auch von Einigen geschehen ist (Siehe Mohnike S. 410 und 411). Die Annahme, dass der heilige Bernhard der Verfasser dieses Hymnus sei, erhält dadurch einiges Gewicht, dass derselbe unter Bernhards Werken steht, und dieser auch früher für den Verfasser gehalten worden ist, und sie wird um so wahrscheinlicher, jemehr dieser Hymnus mit dem Geiste, der ihn beseelte, und mit andern rhythmischen Werken, welche ihm zuerkannt werden, übereinkommt. Bemerkenswerth ist es zugleich, dass noch ein anderes Lied: de contemptu mundi von Wadding dem Iacoponus, von Andern dem heiligen Bernard zugeschrieben wird (Siehe Rambachs Anthologie, I. Th. 279. vergl. Mohnike a. a. O. S. 375 f.). Wie es auch sein möge, so beruht doch die Meinung, dass das Stabat mater von Jacoponus herrühre, die man blos auf das Zeugniss eines Schriftstellers des 17ten Jahrhunderts angenommen hat auf keiner genügenden Auctorität. Es sprechen mehr Gründe dagegen als dafür. — Bellarmin scheint noch Nichts davon gewusst zu haben, sonst hätte er gewiss den

i.e. Zeitschrift f. d. historische Theologie.

Jacobus de Benedictis in seiner Schrift: de scriptoribus ecclesiast. liber unus, nicht mit Stillschweigen übergangen. In allen Ausgaben der Gedichte des Jacoponus, selbst in der besten von Tresati (nicht Fresati, obgleich selbst Fabricius und du Pin also den Namen angegeben haben, siehe Mohnike S. 338 und 400) im Jahre 1617 in 4. zu Venedig besorgten, welche auch lateinische Fragmente enthält, ist unser Rhythmus nicht nur nicht zu finden, sondern auch in den hinzugefügten Anmerkungen und in dem Leben des Jacoponus von Tresati wird durchaus desselben nicht erwähnt, selbst da nicht, wo man solches mit Recht erwarten konnte (Vergl. Mohnike a. a. O. S. 337 ff. 400, vornehmlich 417). Ich muss hier noch hinzufügen, dass Oudinus das Stabat mater nicht, wie Mohnike S. 416 meint, bestimmt dem Jacoponus zuschreibt, sondern bloss sagt: ipsi etiam attribuitur prosa: Stabat mater dolorosa etc., cum altera Prosa: de contemptu mundi (Commentarius de scriptoribus ecclesiae antiquis, T. III. p. 698.) Ebenso verfährt du Pin (Nouvelle Bibliothèque des auteurs eccles. T. XI. p. 58) und Mansi, welcher zwar wie Wadding und Fabricius, beide genannte lateinische Gedichte unter dem Namen des Jacobus de Benedictis anführt, jedoch bei dem Rhythmus: Stabat mater, vorsichtig die Worte hinzufügt: si forte vere illi adscribatur (S. Mansi's Ausgabe von Fabricii Biblioth. med. et infim. aetatis T. I. p. 206.)." Sed praeter Illgenium (Ephem. Histor.-Theol. 1841. Fasc. III. S. 145—149) nemini nisi fallor Kistii sententia arrisit neque mihi arridet, in hac controversia Mohnikii vestigia prementi. Quid enim? Si rem ad vivum resecamus, nihil probavit Kistius quam quod conclamatum est: auctorem Prosae invicta certitudine minime esse definiendum, illos vero qui Iacobum de Benedictis putent carminis patrem, argumentis externis (ut ita dicam) muniri, non ut muris inexpugna bilibus sed quasi vallis, quae a criticis et scepticis disiici possint ac subrui. Accedunt tamen argumenta interna, quae gravissimi momenti sunt: sed haec alto silentio praetermisit Kistius. Porro non is sum, qui St. Bernardum illam prosam canere potuisse negaverim, sed nequaquam unus codex et quidem saeculi decimi quinti mihi sufficiet. Afferantur plures membranae et quidem vetustiores (saec. XII. vel XIII.), in quibus Planctus Mariae opusculis Bernardi reperiatur adiunctus: sin minus Kistio non plaudam. Neque enim si quis nuquam codices diligenti manu versaverit, eum illa librariorum et descriptorum fugit consuetudo, ex qua vel ut spatium expleant, vel ut similia similibus iungant aliorum scriptorum crustula libro suo intermiscent. Fingas igitur monachum qui cum in S. Ber-

nardi operibus ad cantica de passione Domini describenda pervenisset, carmen de compassione Mariae desiderans, notissimam Prosam reliquis carminibus adiunxit: nec multum a vero aberrabis.

Quod attinet ad usum ecclesiasticum, iam supra monuimus Prosam ex libris Ordinis Minorum migrasse ad alias ecclesias. In Germania saec. XIV. et XV. divulgatior erat quam Sequentia Thomae: omittitur tamen in permultis Missalibus, desideratur in libris Adelphi, Torrentini, Clichtovaei. Errat enim Mohnikius, dicens, prosam ubique locum habuisse in officiis de compassione Mariae, quae in omnibus fere ecclesiis pangebantur. (Cf. quae adnotavimus Tom. I. p. 302). Nam alii in officio moestitiae Sequentiam non admiserunt, alii alia de matre dolorosa carmina receperunt. Itaque saeculo demum decimo sexto ac septimo per totam ecclesiam Romanam sparsa est. Nunc in dioecesibus omnibus celebratur Feria VI. post Iudica Festum Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis *), eique festivitati inservit cantus Iacoponi — quod memoratu sane dignissimum est nec amplius in officiis ecclesiasticiis occurrit — et in Missa et in Vesperis ac Laudibus. Detinetur quasi ecclesia sanctis Prosae illecebris, ita ut concesserit quod numquam concessit, idem carmen et Sequentiae et hymni vice fungi. In nonnullis Calendariis et monachorum et dioecesium secundum ponitur festum de Septem Dolorum B. V. tertia Dominica Septembris (quod superfluum duxerim) neque hic Missa rite potest celebrari nisi decus et splendorem festi auxerit Iacoponus. **) Tandem hoc monemus et in ipsis ecclesiae libris hodiernis scripturam carminis aliquoties fluctuare.

Tam insignis Sequentia omnibus temporibus allexisse interpretes, qui vernaculo sermone genti suae praeclarum carmen innotescere voluerint, facile est ad intelligendum. Ex Germanorum translationibus vetustissimam monachi Salisburgensis iam supra commemoravimus: sequitur alia saeculi decimi quinti vel sexti, de qua haec habet Lisco. „Hier ist der Abdruck genau so gegeben, wie er bei Riederer (Joh. Barth, Dr. und Professor der Theologie, Diakonus in Altdorf) sich

*) Miss. Rom.: Si hoc festum occurrit cum alio duplici primae vel secundae classis, transfertur ad Sabbatum sequens: quod sit impeditum alio festo Novem Lectionum illo anno omittatur et nunquam transferatur ad tempus Paschale.

**) In Horis canonicis huius festivitatis hymni fere ubique sunt proprii. Officia Lincensia, quae mihi ad manum sunt (anno 1837 edita) duos exhibent: Iam toto subitus vesper eat polo et Summae Deus clementiae, Moestae dolores virginis.

findet in den Nachrichten zur Kirchen-, Gelehrten- und Büchergeschichte aus gedruckten und ungedruckten Schriften gesammelt, Altdorf 1764, Bd. 2. St. 5. S. 165. 166. (cf. Wackern. p. 110.) Ueber jenes Gesangbuch schickt Riederer S. 159 ff. folgende Bemerkungen voran: „Vor der Reformation ist das älteste teutsche Gebetbüchlein, so ich bei der Hand habe, ein Nürnbergisches von 1503, Salus animae genannt, in Sedez, von 271 Blättern, ausser 16 andern, auf welchen der Titel, der Kalender und das Register vornen angedruckt ist, und welches viele ziemlich saubere Holzschnitte hat. Am Ende wird diese Nachricht davon gegeben: Gedruckt und geendet in der Kaiserlichen Stat Nüremberg Durch Hieronimum Höltzel. Am mittwochen nach Galli. Nach Christi geburt Funffzehen hundert vnd Im dritten Jahr. Auf Blatt 121 b. steht dann die Verdeutschung des Stabat mater mit dieser Anzeige: Von disem nachgeenden gebet hat geben Bonifacius der Bapst syben jar ablas vnd viertzigk carenen, und haisst zu latein Planctus beate marie.“ — Mohnike in den hymnologischen Forschungen Th. 2. S. 161. bemerkt, dass schon vor Riederer die Unschuldigen Nachrichten Jahrg. 1724 S. 675 ff. diese Verdeutschung des Stabat mater mitgetheilt haben, und zwar genommen von einer Wandtafel in der Kirche zu Crelingen im Anspach'schen. Die Anzeige vor dem Liede stimmt mit der oben gelieferten überein, so wie das Lied selbst mit dem im Gesangbüchlein von 1503 enthaltenen, einzelne kleine Schreibweisen abgerechnet. Vielleicht ist die Wandtafel noch älter als das Gesangbüchlein. Am Schlusse des Liedes, wie es die Wandtafel liefert, finden sich noch die Zeilen:

Dein selbst Seel wird durchdringen das Schwert der Schmertzen
Auf das geoffenbaret werden die Gedanken aus vielen Hertzen.

Darauf folgt ein Gebet zu Christo, mit der Aufschrift: Collect interveniat pro nobis. Der Mittheiler des Liedes hat hinzugefügt: Descripsit ex *αὐτογράφῳ* parieti templi Creglingensis, ad quod olim clerus pontificius peregrinationes suas instituit, affixo, G. C. Z. quondam ibi per aliquot annos diaconus. In universum enumerat Lisco versiones octoginta tres: ex his sexdecim ante annum MDCCC confectae sunt, quadraginta duae post annum MDCCCXXX in lucem prodiere. Quatuor Batavorum poetarum sunt, ex quibus Vondelii interpretationem supra exhibuimus. Nam in hoc quoque carmine praestantia excusat quod contra consuetudinem egimus. Adiecta est germanica, quam nuper composui: nam quae aliquando

alio loco mihi prolata sunt (Hymnologischer Blüthenstrauss p. 104) mihimet ipsi non amplius satisfaciunt. Ceterum ambabus manibus concedo quae monuit Lisco l. l. p. 26.: Wer irgend den Versuch gemacht hat, alte lateinische Kirchenlieder in unsere Sprache zu übertragen, wird die Schwierigkeit eines solchen Unternehmens zur Genüge erfahren und die Ueberzeugung erlangt haben, dass es unmöglich ist, in der Uebersetzung ganz das Original in seiner Kraft, Kürze und seinem Wohllaut wieder zu geben. Die erste Forderung, die mit Recht an jede Uebersetzung gemacht wird, dass sie treu sei, nichts dem Original Eigenthümliches verwische oder auslasse, andererseits aber demselben auch keine fremdartigen Gedanken einfüge, ist bei poetischen Producten, wo das Versmaass und der Reim festgehalten werden sollen, doppelt schwer zu erfüllen; und diese Schwierigkeit steigt, wenn man sich zugleich noch die Aufgabe stellt, auch den Reimklang des Originals beizubehalten, sowohl in den weiblichen, wie in den männlichen Reimen. Bei dem Stabat Mater wird dies noch schwieriger wegen der in der Mitte der Zeilen befindlichen Doppelreime, wie Str. 2. Zeile 4. 5.; Str. 6. Z. 4. 5.; Str. 7. Z. 1. (wenn man der Lesart folgt: Fac me vere tecum flere) Str. 8. Z. 4. Die alten Uebersetzungen haben auf diese Doppelreime keine Rücksicht genommen und eben so wenig sich bemüht, die Reimklänge des Originals wieder zu geben. — Eine andere Forderung, der beim Uebersetzen Genüge geschehen muss, ist, dass die Sprache fliessend, ohne Härten sei, wozu das besonders gehört, dass der Sinn möglichst mit jeder Zeile abschliesse und nicht erst in der folgenden vollendet werde. Ein Prüfstein für fliessende Sprache ist die Sangbarkeit. Endlich ist es erforderlich, dass die ganze Nachbildung von einem modernen Character sich fern halte. Das Stabat Mater beginnt mit einer ganz ruhigen Schilderung in Str. 1.; Str. 2. mischt sich, aber nur schwach, das subjective Gefühl ein in den ersten drei Zeilen, dann kehrt die objective Schilderung zurück Z. 4 — 6. Nach der an das Lyrische anstreifenden dritten Doppelstrophe folgt Str. 4. abermals ruhige historische Schilderung, und mit Str. 5. beginnt der subjective, lyrische Character des Liedes, der es bis zum Ende beherrscht. Diese dem Original unverkennbar aufgeprägte Eigenthümlichkeit darf die Uebersetzung nicht verwischen, und es ist daher nicht zu billigen, wenn manche Uebersetzer gleich zu Anfang den Gefühlston vorherrschen lassen und somit die ruhige Haltung und stille Grösse der Schilderung im Hymnus in der Nachbildung gar nicht wiedergeben. Vergegenwärtigt man sich alle diese hier nur angedeuteten, gerechten Anforderungen, so

sieht man, wie alle bis jetzt vorhandenen Nachbildungen des Stabat Mater dem Ideal einer vollkommenen Uebersetzung noch fern stehen, und eine solche anzufertigen, ist eine noch ungelöste, vielleicht auch unlösbare Aufgabe, an der jedoch seine Kräfte zu versuchen der Mühe wohl werth ist." Etenim si optatam cursu metam contingere non licet, ad ipsam tamen strenue et indefesse tendamus suadet et carminis praeclara indoles et quae in proverbium abiit Germanorum diligentia atque industria.

De modorum compositionibus adeas virum quem antea laude bruavinum, G. W. Finkium (Einiges zu den hymnologischen Abhandlungen des Dr. Mohnike in seinen litterar. Studien. Tzschirner Magazin für christliche Prediger 1826. Stück I. S. 59—105.). Clarissimi sunt modi quos in Prosam Iacoponi fecit Pergolesius *). Huic nequaquam parem esse

*) Huius melodiae τὰ γενέθλια (ut ita dicam) accuratissime enarrata sunt in Rheinwaldii Repert. Theol. 1843. Mai. p. 191. Im J. 1736 kam Giovanni Battista Pergolese auf einer Reise durch Italien auch nach Neapel, wo gerade die Gefangennehmung eines gefürchteten Banditen Aufsehen machte. Eine unerklärliche Laune trieb den Künstler, der Hinrichtung beizuwohnen, die am nächsten Tage stattfinden sollte, indess er hatte die Stunde versäumt, als er anlangte, war der Unglückliche schon gerichtet. Da die Menge sich bereits verlaufen hatte, so konnte sich P. dem Galgen nähern, an dessen Fuss er eine Frau knieen sah. Ihr lautes Schluchzen bezeugte ihren Schmerz und ihre Verzweiflung. P. betrachtete mit Verwunderung ihre kostbare, obwohl etwas bizarre Kleidung. Plötzlich sprang sie auf, richtete ihr Haupt zum Himmel empor und schien zu diesem eine vorwurfsvolle Anklage und zugleich einen flehenden Anruf emporzuschicken. P. fragte, wer sie wäre. Wie? Sie kennen die schöne Martha nicht? Ihr Mann ist heute gehängt, und man kann dreist behaupten, dass er den Strick reichlich verdient hat. Seitdem er im Gefängniss sass, hat sie ihre Vernunft eingebüsst, und sie läuft jetzt, heilige Lieder singend, durch die Stadt. Aber still! sie fängt an zu singen. In der That liessen sich jetzt einige schwache und unsichere Töne vernehmen, die aber bald stärker und wohlklingender wurden. Die lärmende Menge verstummte und hörte knieend, entblössten Hauptes den Litaneien zu, welche die arme Martha sang, und wiederholte im Chor: „Ora pro nobis." Thränen entströmten allen Augen. Der Gesang war zu Ende; bei der Todtenstille konnte man den taktmässigen Schritt der Soldaten erkennen, welche anrückten, um den Leichnam des Hingerichteten wegzubringen. Martha schien ihre Absicht zu ahnen, denn sie umschlang den Galgen mit ihren Armen. Als man sie mit Gewalt entfernte, stiess sie ein herzzerschneidendes Geschrei aus. Nachdem nun der Leichnam des Banditen in den Karren geworfen war und weggefahren werden sollte, nahm sie einen Anlauf, um sich unter die Räder zu werfen. P., der allein ihren Bewegungen folgte, hielt sie auf, da er inniges Mitleiden mit der Unglücklichen fühlte und sie nicht verlassen wollte, holte einen

Rossinium qui nuper non histrionibus ut solet sed ecclesiae consulens Planctum Mariae musicum fecit, sexcenties ex üs qui in musica arte censores vocantur audivi. Sed alii aliter iudicant. Exstitit Pergelesio iudex acerrimus in Ephemeridibus politicis quae vocantur Haudii ac Speneri 1842 Nr. 69, quem docte atque erudite rem suam agere ipse concedes. „Der Componist der im Antiphonario Romano vorkommenden Melodie, muthmasslich der erste, mag wohl nicht mehr mit Gewissheit zu ermitteln sein. Unter den Hymnen kommt sie (um nur einen Ort näher anzuführen) in dem Turiner Antifonario Romano vom Jahre 1819, p. 393. vor, und wie alle in dieser Sammlung enthaltenen Melodien, auf vier Notenlinien mit den alten eckigen römischen Choralnoten. Vom sechszehnten Jahrhundert an bis auf unsere Zeit haben die grössten Meister diesen Text vielfach componirt. Den ausgebreitetsten Ruf, wenn auch nicht den verdientesten, hat um die Mitte des vorigen Jahrhunderts die Composition des Giambattista Pergolese erhalten, sie hat wie die einst sehr bekannte, von Crescentini gesungene Arie „Ombra odorata aspetta" die Federn geistreicher musikalischer Aesthetiker zu übertriebenem Lobe veranlasst und mehr hierdurch, als durch ihren eigentlichen Werth als Kirchenmusik, ihren Ruf erhalten. Der be-

---

Louisd'or hervor und bot ihn demjenigen an, der sie nach dem nächsten Hause schaffen würde. Martha war indess wieder zum Bewusstsein gekommen; den Arm des Componisten krampfhaft pressend, drängte sie sich mit ihm, den sie als ihren Beschützer betrachtete, durch die Menge hindurch, führte ihn nach einer Vorstadt, trat in ein ärmliches Haus, stieg 3 Stockwerk hinauf und stiess mit dem Fuss eine zerbrechliche Thür auf, aus welcher 2 in Lumpen gehüllte Kinder hervorstürzten, welche die Mutter um Brod anschrieen. Ihre Verzweiflung überstieg alle Grenzen, als sie jeden Winkel des Zimmers durchsucht hatte, ohne irgendwo einen essbaren Gegenstand zu finden. Plötzlich aber flammte ein Strahl der Freude auf ihrem Gesichte auf. Sie fasste ihre Kinder an der Hand, knieete mit ihnen vor P. nieder und stimmte einen Gesang an. Weinend schaute er zu, endlich aber ermannte er sich, stürzte aus dem Hause und nach dem nächsten Wirthshause, von wo aus er ihnen alle nöthigen Bedürfnisse sendete, verschaffte auch der unglücklichen Familie in der Person des Grafen Spinessa einen Beschützer, der ihnen einen Zufluchtsort und Unterhalt gab. — Einige Tage darauf verliess P. Neapel, besuchte den Krater des Vesuv's, und liess sich einige Zeit in Torre del Greco, einem Dorfe am Fusse des Berges nieder. Aber der unheimliche Eindruck haftete zu fest in ihm. Hier nun fasste er den Plan zu seinem Stabat mater. In einem kleinen Zimmer, welches er bewohnte, komponirte er die berühmte Sequenz, die zugleich als sein Schwanengesang angesehen werden kann, denn er starb schon 1739, kaum 33 Jahre alt.

kannte Padre Martini in Bologna tadelte Pergolese's Composition des Stabat Mater sehr scharf; in der Vorrede seines Werkes „Saggio fondamentale pratico di Contrapunto" äussert er sich gegen einen damaligen musikalischen Schriftsteller, Eximeno, der wie Saverio Matteo behauptete, dass die Musik der alten hebräischen Psalmen sich den Melodieen im Stabat Mater des Pergolese näherte und mit diesen zu vergleichen wäre, dass diese Composition des Pergolese seiner komischen Oper „La serva padrona" ähnlich und mit Ausnahme weniger Stellen ganz in demselben Stile geschrieben sei und ganz dieselben süsslich delikaten Gänge und Harmonieen enthalte, dass aber burleske Musik, wie die einer komischen Oper, nicht geeignet gewesen sein könne, um bei den Hebräern fromme und erhabene Ideen auszudrücken. Nicht allein der gelehrte Padre Martini war es, der die Schwächen der Composition des Pergolese erkannte, sondern auch deutsche gelehrte Musiker und Kritiker, wie Marpurg, J. A. P. Schulz, Kirnberger und v. Dittersdorf, stritten heftig für und wider die Sache. Einen höchst interessanten hierauf bezüglichen Artikel findet man in Nr. 15. und 16. des 2ten Jahrganges der Allg. Leipz. Mus. Zeit., in Sulzer's „Theorie d. schön. Künste u. Wissensch." Art. Verrückung, und im 40sten Stücke der vom Dr. Spazier redigirten Berlinischen Mus. Zeitung vom Jahre 1793." Sed cum musicae artis non admodum peritus sim, videant alii cui palma deferenda sit: iam ad ipsam Prosam nos convertimus.

Stropha Prima. 1. Stabat Mater. Ita incipit plerumque Missa in festivitatibus de compassione Beatae Virginis. 5. M. 10. Stella. U. Pr. Nb. contristantem, ita ut descendat a verbo Deponenti contristor. In recentioribus libris fere ubique contristatam: negant enim apud veteres exstare illud deponens contristari. Afferuntur loci Columell. 5, 9. Virgil. Georg. 3, 279. Valer. Argon. 6, 622: adde Prudentium in Apotheosi 345. Sed exstat locus in quo fortasse verbum illud velut deponens usurpatur: dico Appuleium de herbis c. 19. *Si infans contristatus fuerit, herba Aristolochia cum subfumigabis etc.* Ceterum sciunt omnes medii aevi scriptores in his parum cautos et diligentes fuisse. 6. Luc. II., 35. *et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Huius rhomphaeae mentionem iniicit Collecta festi: *Deus in cuius passione secundum Simonis prophetiam dulcissimam animam gloriosae virginis Mariae gladius pertransivit etc.* et Invit: *Stemus iuxta crucem cum Maria matre Iesu cuius animam doloris gladius pertransivit.* Cfr. Bernard. Serm. de 12 stellis: *Vere tuam o beata mater animam gladius pertransivit, alioquin non nisi eam pertransiens carnem filii tui penetraret. Et quidem posteaquam emisit spiritum tuus ille Iesus, ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quae ipsius*

aperuit latus sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima iam ibi non erat sed tua plane inde nequibat avelli. — Hanc Stropham Iacobi sat diligenter Goethius expressit canendo:

Ach neige, Du Schmerzenreiche
Dein Antlitz gnädig meiner Noth.

Das Schwert im Herzen,
Mit tausend Schmerzen
Blickst auf zu deines Sohnes Tod.

Zum Vater blickst du,
Und Seufzer schickst du
Hinauf um sein' und deine Noth.

Stropha Secunda 4. M. 10. hunc moer. 5. M. 10. Nb. Pr. pia mater cum (Pr. dum) videbat. Stella dum vid. U. dum videbat et tremebat. Et hodie scriptura huius strophae non ubique est consona. Vidit Mohnikius Missale Carmelitarum (Venetiis a. 1730.) et Romanum (Ed. Antw.) quae vetustiorem lectionem praebebant: pia mater dum v. 6. M. 10. Nb. poenam.

Stropha Tertia 2. Nb. Carm. cum videret. Pr. dum vid. 5. M. 10. Nb. Pr. Stella. Cf. Threnos Ierem: *Cui exaequabo te et consolabor te, virgo filia Sion. Magna est enim, velut mare, contritio tua.* Bene doloris acerbitatem expinxit Grüneisen:

Unterm Kreuze stand die Mutter,
Als er sprach: Es ist vollbracht!
Da verhüllte sich das Erdreich
Voll Entsetzen rings in Nacht.

In den Höhen rauschts — der Vorhang
Reifst im Tempel laut entzwei,
Aus der Tiefe dröhnts — die Todten
Kommen aus der Gruft herbei.

Und die Freunde, die ihn liebten
Rufen wild den Schmerz sich zu.
Mutter mit der stillen Thräne
Mutter, was empfandest Du?

Stropha Quarta. 4. M. 10. U. Pr. Nb. videns. 3. Carm. moriendo desolatum. Matth. XXVI, 46. 6. Nb. Pr. cum emisit. Non multi: amisit.

Stropha Quinta 1. In nonnullis Missalibus ad hodiernum diem usque: pia mater. 2. M. 10. fac nos sentire doloris. Pr. Nb. me sentire tui doloris. 3. M. 10. Pr. Nb. poenas (Nb. poenam) fac ut lucgeam. 6. Stella: et sibi.

Stropha Sexta. 1—3. M. 10. istud age cordibus nostris insunt plagae crucifixi lividae Nb. istud age crucifixi insunt plagae cordi meo lividae. Apud non nullos vivide. 5. U. Nb. iam dignati. M. 10. dignantem pro nobis pati. 6. U. pro me div. M. 10. nobis div.

Stropha Septima in Miss. Nmb. omissa. — 1. Scriptura: fac me vere tecum flere auctoritate Codd. M. 10 et U. Miss. Pr. et aliorum nititur auctoritate. Miss. Carm. et alii libri hodierni: fac re tecum pie flere. Cantion. Norimbg. Mach mich warlich mit dir weinen. 3. M. 10. fac nos. — donec nos vixerimus. 5. Carm. e. a. et me tibi sociare. U. tibi me consociare. 5. 6. M. 10. fac nos tibi sociare planctu quem appetimus 6. Stella cum planctu. Saepissime in sermonibus ac cantionibus medii aevi sanctissima virgo imploratur, ut quae ipsa passionem Christi intimo corde sentiat, imo nostros etiam animos frigescentes amoris flammis succendat. Ita e. g. Pelbartus: *O ergo pia dómina nostra Maria, tristem esse animam meam usque ad mortem una tecum super filii tui passione et morte optarem, tecum flere cuperem. Sed duro sum corde nec quidquid ex me valeo. Te ergo per tuum dulcem natum, Iesum passum deprecor et per gladium qui animam tuam pertransivit obsecro, digneris infundere cordi meo dolores compassionis et lacrimas compunctionis ut ego miser peccator sentire valeam filii tui dolores et vere dicere possim tecum: Tristis est anima mea usque ad mortem super dulcissimi Iesu passione.*

Stropha Octava. In Pragensi et Numb. Missali omissa. — 1. M. 10. o virgo virginum pr. 2. M. 10. nobis iam. Fortasse repicit poeta ad locum libri Ruth. I. 20. qui in officio ecclesiae occurrit: *Ne vocetis me pulchram sed amaram, quia amaritudine valde me replevit omnipotens.* 3. M. 10. fac nos. 4. M. 10. fac nos portare Chr. m. Mire ille codex negligit metrum, sed hoc sibi vult numerus pluralis ut efficiatur Prosa obiectiva atque ecclesiastica. Cum ipse in alio opere, (Evangelisches Kirchengesangbuch) similia asseqni studuerim ac nonnullis poeseos quae dicitur subiectivae amatoribus displicuerim gaudeo quod mihi contigerit socius peccati. 5. U. passionis eius sortemi Mohn. pass. suae sortem. M. 10. fac nos sortem. 6. Mohnikius monet in Wielandii Ephemeridibus (Deutscher Merkur) legi: et plagis te colere et addit „Offenbar Correctur.“ Sed habet M. 10. nos plagis rec.

Stropha Nona. 2. Stella. cruce fac inebr. M. 10. cruce quaesumus nos fac beari. Nb. Pr. cruce meque fac beari. U. fac me hac beari. 3. Stella. M. 10. Pr. Nb. Carm. et cruore filii. Mon. Salisb. Dafs sein Wunden mich verwunden und sein Kreuz mich

hail von grunden und sein rosenfarbes pluet. 4. Pr. Nb. Carm. flammis ne urar succensis. 5. Nb. per te pia. 4. 5. M. 10. fl. ne urar succensi (!) per te virgo simus defensi. — In his strophis poetam cogitare de stigmatis S. Francisci iam supra monuimus. Similia precantem facit J. B. Rousseau Annam Catharinam, monialem illam Coesfeldensem notissimam (Legenden S. 21.)

Was mein Iesus hat gelitten,
Gieb, o Gott, auch mir zur Pein!
Wunden, die sein Herz durchschnitten
Solln auch mir bescheret sein. —

Also mit gehobnen Armen,
Weinte sie zum Himmelsglanz,
Süsser Mittler, hab Erbarmen,
Schenke mir dein Leiden ganz.

Stropha Decima. 1—3. Pr. Nb. Carm. Christe cum sit hinc exire da per matrem me venire ad palmam victoriae. M. 10. Iesu Christe cum sit hic exire da per matrem nos venire. Mon. Salisb. starcher Gott, alz ich verschaide, tail mit mir durch dy werden maide dy palme der signunft dein. 5. 6. Pr. Nb. e. a. anima — par gloriae. Mon. Salisb. Wann der leib allhie ersterbe das dy sele dort erwerbe des paradises klaren schein. 6. In nonnullis gratia.

Habes textum Prosae ut fertur in libris vulgatioribus, si nonnulla excipias, in plurimis sibi simillimum. Praeterea vero etiam exstat prosa forma dilatata, ut ita dicam et amplificata, quam ad hunc diem usque viri docti ignorasse videntur. Adeas Bernardinum de Bustis in Rosarii Parte II. fol. CXLVI *): sed cum liber non admodum frequens sit, transscribere placet ex prolixo serm. de Compassione Virginis habito quae ad rem faciunt: „De qua (matre dolorosa) loquens quidam devotus contemplator dicit.

Stabat mater dolorosa
Iuxta crucem lacrimosa
Dum pendebat filius:
Cuius animam gementem
Contristatam et dolentem
Pertransibat gladius.

O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater unigeniti:
Quae moerebat et dolebat
Et timebat dum videbat
Nati poenas inclyti.

*) Rosarium Sermonum praedicabilium per fratrem Bernardinum de Bustis ordinis Minorum etc. Hagenoviae 1513. Partes. IV.

Quis non debet contristari
Hanequc matrem contemplari
Dolentem cum filio:
Quis est homo qui non fleret
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio.

Pro peccatis suae gentis
Vidit Christum in tormentis
Et flagellis subditum:
Vidit suum dulcem natum
Morientem, desolatum
Cum emisit spiritum.

Eia mater, fons amoris
Me sentire vim doloris
Fac ut tecum lugeam:
Fac ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum
Ut tibi complaceam.

Sancta mater, illud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide:
Tui nati vulnerati,
Iam dignati pro me pati
Poenas mecum divide.

Fac me vere tecum flere,
Crucifixo condolere
Donec mundo vixero:
Iuxta crucem tecum stare,
Te libenter sociare
Cum planctu desidero.

Virgo Virginum praeclara
Sed nunc dolens et amara,
Fac me tecum plangere,
Fac ut geram Christi mortem,
Passionis eius sortem
Et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari,
In amore filii
Inflammatus et accensus
Per te virgo sim defensus
In die iudicii.

Fac me cruce custodiri
Morte Christi praemuniri
Et foveri gratia,
Ut cum corpus morietur
Vita felix inchoetur
In coelesti gloria.

Virgo dulcis o Maria,
Tu plorabas voce pia
Coram cruce filium:
Rumpebatur cor Mariae
Deplorantis valde pie:
O fili dulcissime.

Cum te cerno morientem,
Ego perdo cor et mentem
Et tota deficio:
O columba sine felle
Vas dulci plenum melle, *)
O fili piissime.

Tu me vides desolatam
Semivivam, anxiatam
Et mihi non loqueris:
O Gabriel, illud ave,
Dulce nimis et suave
Nunc dat mihi gemitum.

Nunc vertuntur in moerorem,
Et in luctum, et dolorem
Nunciata gaudia:
Mihi namque est allatus
Et in cruce conclavatus
Qui me replet gratia.

*) Fort. o vas.

O crux alta, de te quero *)
Mihi nequis esse peior,
O crux crudelissima:
Meum natum tu cepisti,
Ipsum in te suspendisti
O crux ferocissima.

Erge saltem nunc te placa,
Quam exoro voce rauca:
Reddas mihi filium.
Et si non vis te placare
Neque natum mihi dare
Tu me secum recipe.
Nam consolor si me capis,
Si me spernis tu me tradis
Mortali supplicio. —
Haec praedictus doctor." —

Quae post Stropham decimam leguntur, genuina et ab ipso Iacopono esse, quis est qui crediderit? Nam quamquam poetica indole et hi versus haud prorsus carent, tamen quod ad rhythmicam rationem inelegantiores sunt quam ut ferri possint. Turbant preterea totam prosae *οἰκονομίαν*. Animum advertant qui in textu Thomae Celanensis constituendo in prolixiore inscriptione Mantuana vel in verbosa Haemmerlinii cantilena scripturam poetae genuinam latere opinati sunt.

Q.

SEQUENTIAE CIRCA SAEC. XIII. VEL XIV. CONDITAE.

CXXV. *De S. Africano.*

Admiranda sed favoris digna dies oritur
Celebranda cunctis horis vita sancti panditur
Africani confessoris cuius festum colitur etc.

Act. Sanct. Maii Tom. I. p. 69. Ex Missali Albiensi (Alby) MS.

CXXVI. *De S. Ioanne Abbate Pulsanensi.*

Coeli celant gloriosam supernorum civium
Vitam atque penetrale secretorum omnium
Ubi fantur quod non fatur apud ullum hominem etc.

---

*) queror?

Act. Sanct. Ian. Tom. IV. p. 58. Ex MS. Palatino Bibl. Vaticanae.

CXXVII. *De S. Augustino.*

1. De profundis tenebrarum
Mundo lumen exit clarum
Et scintillat hodie:
Olim quidem vas erroris,
Augustinus vas honoris
Datus est ecclesiae.

2. Verbo Dei dum obedit
Credit errans et accedit
Ad baptismi gratiam
Quam in primis tuebatur,
Verbis, scriptis execratur
Erroris fallaciam.

3. Firmans fidem, formans mores
Legis sacrae perversores
Verbi necat gladio:
Obmutescit Fortunatus,
Cedunt Manes et Donatus
Tantae lucis radio.

4. Mundus marcens et inanis
Et doctrinis doctus vanis
Per pestem haereticam,
Multum coepit fructum ferre
Dum in fines orbis terrae
Fidem sparsit unicam.

5. Clericalis vitae formam
Conquadravit iuxta normam
Coetus apostolici;
Sui quippe nil habebant
Tanquam suum: sed dividebant
In commune clerici.

6. Sic multorum pro salute
Diu vivens in virtute,
Bona tandem senectute
Dormivit cum patribus:
In extremis nil legavit
Quia suum nil existimavit,
Immo totum reputavit
Commune cum fratribus.

7. Salve gemma confessorum,
Lumen Christi, vox coelorum,
Tuba vitae, lux doctorum,
Praesul beatissime:
Qui te patrem venerantur,
Te doctorem consequantur,
Vitam in qua gloriantur
Beatorum animae.

Cod. M. 10. Aug. 1. 2. In septentrionalibus regionibus aliae de S. Augustino Sequentiae magis notae ac divulgatae erant. — 5. Aug. 2. monachalis. — tanquam suum sed vivebant. 6. Aug. 2. qui suum nil aestimavit, in quo totum. 7. Aug. 2. te ductorem.

CXXVIII. *De Corona Domini.*

Dulcis sonet harmonia
Dulci dignum melodia
Pangamus praeconium etc.

Cod M. 10.

CXXIX. *De S. Willibaldo.*

1. Fulget dies praeclarus, cunctis memorandus seculis,
2. Mansura quo Sanctus sui laboris praemia
3. Willibaldus intrat, aulae coelestis municeps.
4. Nam regum rex Christus terra luce hodierna, corporis
5. Eductum de claustris, supernis associavit civibus.
6. Laboribus plurimis quamvis esset affectus nimium,
7. Pro nihilo hos habuit, bonorum futurorum conscius.
8. Hunc Anglia natum, angelis attitulat.
9. Hic Spiritu sancto afflatus, dum vagiret in cunabulis, hostiam,
10. Renuncians pompis omnibus diaboli,
11. Et coelibem vitam ducturus, se domino velut agnicalum immolat.
12. Transcursa infantia, cum tribulibus mox se eripuit patria.
13. Nunc Romam, et Hiero-circum plurima loca inviserat Solymam;
14. Hic rura postquam peragrat transmarina, quae factus homo Iesus Christus carnalibus ipse obambulavit pedibus,
15. Prospexit tandem Dominus peregrinum talem pluribus profuturum: nos proprias illi commisit oviculas.
16. Has vigil et bonus pastor uberrimis pavit et satiavit pascuis.
17. Et florida poli securus scandit; virtutum insignia suis distribuens.
18. Ortu illius, o Christe, a peccaminum monstris nos tueri velis.

Act. Sanct. Iul. Tom. II. p. 499. „Ex antiquo Missali Eichstedtensi“ Fortasse Prosa iam sacculo priori confecta est.

Str. 13. mira occurrit Tmesis vocis Hieroscolyma. Puto auctorem carminis scripsisse: Hieran — inviserat Solymam.

CXXX. *De S. Erico Rege et Martyre.*

1. Gratulemur dulci prosa,
Laus Erici gloriosa
Prodeat in medium.
Ex radice generosa
Transplantatur vernans rosa
Ad regale solium.

2. Regni rebus ordinatis,
Sanctus adit cum armatis
Terras infidelium.
Defunctorum in peccatis
Miro motu pietatis
Deflet strages hostium.

3. Iustus in iudicio,
Frequens in ieiunio,
Artus atterebat
Aspero cilicio:
Fervida devotio
Mentem incendebat.

4. Viri pravi conspirantes,
Et in necem machinantes
Regis unanimiter,
Bellum movent improvisum:
Rex occisus Paradisum
Introit feliciter:

5. A defunctis revocatam
Matri vivam reddit natam,
Et sanat puerperam:
Quinque plagis vulnerato,
Iam de vita desperato,
Dat salutem prosperam.

6. Felix cuius gratia
Fugantur daemonia,
Vident excaecati,
Contracta erigitur,
Et submersus redditur
Plenae sanitati.

7. Sponsione facta voti
Vocem reddit sacerdoti,
Et infanti tibiam:
Statim inter Fratrum manus
Frater minor surgit sanus,
Post longam miseriam.

8. Pensum reddit mulieri,
Quae vix capi vel teneri
Poterat prae furia.
O quam probant Sanctum Dei,
Et confirmant fidem rei
Tanta mirabilia!

9. Ergo regi mirifico
Laus laetabundo cantico
Frequentetur:
Cuius fruens Upsalia
Salutari praesentia
Iucundetur.

10. Tu Sueorum Rex, Erice
Magne Martyr et amice
Dei, prece sedula
Venerantes nos emenda
Et nos illi recommenda,
Qui regnat in secula.

Act. Sanct. Mai. Tom. IV. p. 197. „Ex pervetusto Missali.“ Hanc Prosam tibi communicamus, benevole lector, non solum ut habeas Suecae ecclesiae documentum poeticum,

sed quia metrum carminis facit ad metricam Sequentiarum artem perspiciendam. Miracula sancti regis quae sedulo pede tangit scriptor non est quod fusius explicemus. Quod ad Stropham 2. notum est Ericum in bellis, quae contra Fennos gessit, lacrimis profusis eos ex hostium deplorasse qui sine baptismi gratia obierint.

CXXXI. *De B. Elisabeth.*

1. Gaude Sion, quod egressus
A te decor et depressus
Tui fulgor speculi:
Rediviva luce redit
O et alpha quod accedit
Iam in fine saeculi.

2. Poma prima primitivos
Deus sanctos adhuc vivos
Vidit in cacumine:
Ut extremos addat primis
Quamvis stantes nos in imis
Suo visit lumine.

3. Sed prae multis te respexit:
Odor tuus hunc allexit
Et sapor et paritas:
Ut de regum ramis nata
Iuste vere sis vocata
Tu Dei saturitas.

4. Gaudent astra matutina,
Quod in hora vespertina
Ortu novi sideris
Coeli sidus illustratur
In quo terrae designatur
Novi signum foederis.

5. Vere sidus tu praeclarum,
Quod a sole differt parum
Et luna lucidius:
Tu quod sole sis amicta,
Carne probat hic relicta
Lucis tuae radius.

6. O quam dignis fulges signis
Vasa rapis a malignis
Possessa daemoniis:
Leprae mundas labe tactos,
Claudos ponis et attractos
In pedum officiis.

7. Quod negatum est naturae
Tu virtutum agis iure
Et potes ex gratia:
Vita functos tu reducis,
Caecis reddis membra lucis
Et membrorum spatia.

8. Eia mater nos agnosce,
Libro vitae nos deposce
Cum electis inseri:
Ut consortes tuae sortis
Et a poenis et a portis
E uamur inferi.

Elisabeth, nobile Thuringiae decus, quum tenerrimo erga Deum amore non magis quam prope divina in homines egenos misericordia atque beneficentia excellat et admirabilis constantiae aeque ac piae simplicitatis gaudeat laude, sine dubio dignissima erat, quae Sanctis accenseretur. Eadem vero etiam, ut Sancta est, ita germanicae nationis indolem omni-

bus nominibus ita refert, ut Schenkendorfius iure optimo his eam verbis praedicaverit: „O Zier der deutschen Frauen, Preis dir Elisabeth.“ Quid igitur mirum, quod per totam Germaniam dixem suum festum nacta est (XIX Novbr.) idque ita ut in nonnullis patriae nostrae regionibus festum fuerit de praecepto eique Octava adsignata sit. Accedit Festum Translationis die, II. Maii celebratum. Quid denique mirum quod multis Hymnis ac Sequentiis sanctae Elisabeth laudes sunt pervulgatae? Etiamnunc (retlegendum enim non est) notus ille atque adeo admirandus monialium ordo, qui sub Elisabethae patrocinio militat, quum in sanandis aegrotis et sublevandis totus versetur, illius sanctae mulieris vestigia in salutem generis humani non sine summa laude sequitur. Quum autem unanimi omnium consensu quidquid Samaritanam misericordiam redolet maxima admiratione atque laude dignum censeatur, factum est ut etiam in ecclesia evangelica S. Elisabethae nomen non solum non sorderet, verum etiam summa gloria frueretur. Iam Lutherus, qui quidem in ea ipsa urbe quae Elisabethae memoriam omni tempore sancte colebat aliquamdiu vixit in sacris concionibus eam commemorat eiusque exemplum ad imitandum proponit *), et post eum non pauci ecclesiae evangelicae viri docti atque poetae in vita eius enarranda versati sunt et quot illud negotium susceperunt, tot Elisabeth sanctum caput ex eorum manibus quasi coronas accepit. — Huius Prosae (quae in C. M. 10. occurrit) Strophae priores multum habent obscuritatis. Sensum tibi eruas hunc: gaude ecclesia! splendor tuus i. e. Christus quem paene amiseras temporum pernicie atque miseria, nunc, cum mundus iam ad finem vergat, tibi recurrit. Recurrit, habitans in b. Elisabeth, quam Deus, sedens in solio maiestatis suae, ab aeterno praevidit atque praeordinavit. Nam si genus humanum apte comparatur arbori cuius fructus s. poma, Deo accepta, Sanctorum sunt nomina: Omnipotens vidit et poma circa primordia mundi prolata et quae nunc arborem essent ornatura. Haec poma ipse gratiae sole maturat itaque nos in miseriae valle constitutos visitat atque honorat. Inter haec poma excellit E. in ramo regali, alius arboris nata: allexit

*) Cf. W. Tom. XII, p. 505.: Ist das nun nicht ein fein edles Gebot, das so ungleiche Menschen so fein gleich machet? Ist's nicht ein wunderlicher Trost, dass ein Bettler solche herrliche Diener und Liebhaber hat, dass seiner Armuth muss ein so reicher König zu Dienste stehn? seinem Stank und Wunden muss solche schöne Krone und süsser Geruch königlicher Pracht unterthan sein? Wie wunderlich sollte es stehen, wenn wir sehen sollten, wie Könige und Fürsten, Königinnen und Fürstinnen den armen Bettlern und Aussätzigen dieneten, wie wir von S. Elisabeth lesen? —

Deum odor virtutum (Cant. I, 12.), hoc pomo quasi saturatus est, in ipso complacuit. Ita recte E. vocatur Dei saturitas (שבע a אלישבע) *). 1. M. 10. Lauda Sion. Pt. fulgur. 2. Ad. primi. 3. Pt. hanc all. — et de. Ad. quae de. 4. Cf. H. CCCC. *Novum sidus emicuit — novo splendore rutilans.* 5. Duos locos Cant. VI, 9. et Apoc. XII, 1. ecclesia Romana vertit in honorem b. Virginis: comparatur soli et lunae, sole amicta praedicatur. Fere omnia confert poeta in b. Elisabeth: tamen aliquantulum a sole differre concedit. Pt. haec radius. Ad.: *miraculorum eius.* 6. Ad. Torr. luces — contractos. 7. Ad. in victuris. Torr. tu virtutis. Pt. vitae functos.

CXXXII. *De S. Barbara.*

O felix virgo Barbara
Ex stirpe regum genita
Te laudant coeli agmina etc.

Cod. M. 9.

CXXXIII. *De Venerabili Sacramento.*

O panis dulcissime
O fidelis animae
Vitalis refectio etc.

Cod. M. 9.

CXXXIV. *De Beata Virgine Tempore Paschali.*

1. Resurgenti tuo nato
Mater plande, qui prostrato
Regnat mortis principe:
Tuum virgo pone luctum,
Iesum ventris tui fructum
Redivivum suscipe.

2. Morte prolis cruciata,
Corde diro sauciata
Passionis gladio,
Voce iubilationis
Iam de resurrectionis
Iocundare gaudio.

3. Crucifixum qui surrexit
De sepulcro teque vexit
Sua in palatia:

---

*) Rectius sane שבע אלישבע quae per Deum iurat, i. e. Dei cultrix.

Nobis placa, supplicamus,
A peccatis ut surgamus
Ad aeterna gaudia.

Obviam mihi erat perpulcrum carmen in Cod. M. 9.

CXXXV. *De S. Oswaldo.*

1. Rex Oswaldus ab Anglorum
Regno regnis angelorum
Est invectus, nec victorum
Palma victor caruit:
Omni fulgens sanctitate
Sed praecipue beatae
Pietatis largitate
Huius dextra claruit.

2. Ob hoc manus tam benigna
Nunquam marcet, ut haec digna
Tantae largitatis signa
Maneant in saeculum:
Hic devicit morte mortem
Christum sequens fortis fortem
Iamque coeli capit sortem
Nobis factus speculum.

3. Regi regum rex dilecte
Cuius coelicus effecte
Nobis Christum regem flecte
Piis supplicatibus:
Ut a culpis absolvamur
Et ad bona dirigamur,
Tenebrarum ne tradamur
Diris potestatibus.

Ex Cod. M. 10. Verba strophae tertiae: cuius coelicus effecte corrupta duco. De miraculo in Prosa commemorato audias Historiam Sanctorum ab Andrea Hondorffio evangelico pastore editam: (Calendarium Historicum oder Der Heiligen Merterer Historien von Anfang der Welt u. s. w. Frankfurt a. M. 1575). „Oswaldus König in Engelland ist ein Gottsfürchtiger König gewesen, der sonderlich den Armen viel Gutes gethan. — Mit Almussen geben ist er sehr mild gewesen, da auch einmal sein Bischof über der Mahlzeit erinnert, das arme Leute für dem Schloss weren und betteln umb ein stücke Brodt, hat er alle seine Königliche speise, so er dazumal auf dem Tische gehabt, den armen hinaus gesendet, auch eine silberne Schüssel, darin das Essen gewesen, unter sie lassen austheilen. — — Man lieset von im, das seine rechte Hand, damit er viel Almussens

gegeben, noch heute dieses Tags sampt dem Arm und Geäder unverwesen vorhanden sei, welche zu Bembaburch für ein Wunderwerk gezeigt wirdt.“ Ceterum notum est similia de manu S. Stephani, regis Hungariae, narrari.

CXXXVI. *De S. Catharina Suecica.*

1. Recensemus in hac die,
Cum concentu harmoniae
Catharinae gloriam:
Quae virtutum harmonia
Et devota theoria
Mercabatur gratiam.

2. In aetate haec tenella
Coepit exercere bella
Cuncta contra vitia:
Mundi rebus resignavit,
Hostis fraudes superavit
Divina potentia.

3. Licet viro copulata,
Non est virum amplexata
Carnali connubio:
Sed effecti Nazaraei
Laudibus insistunt Dei,
Non laesi contagio.

4. Ut divinis sic propinqua,
Se ferebat in longinqua;
Spreto solo proprio:
Suam matrem imitata,
Ubicumque est morata,
Et parens imperio.

5. Vitae ducem sequitur,
Laetaque complectitur
Sponte crucem Domini:
Se armat ad praelium,
Fraudem cavens hostium,
Nulli cedens homini.

6. Thecuites probitate,
Est et Anna castitate,
Templo vacans iugiter:
Ubicumque erat nota,
Pro beata et devota
Habetur veraciter.

7. Haec est schola disciplinae,
Vas valentis medicinae,
His quos morbi pungunt spinae
Fundit medicamina:
Caecus videt, mutus fatur,
Paralyticus curatur,
Et defunctis vita datur
Huius per precamina.

8. O beata Catharina,
Aegrotorum medicina,
Serva tuos a ruina,
Vera vina tu propina
Perpetuae laetitiae:
Sis et nobis recreamen,
Placans Patrem atque Flamen
Ut finale post examen
Sanctis nos coniungat, Amen,
Salvator Rex gloriae.

Acta Sanct. Mart. Tom. III. p. 503. „Ex vetustissimo Missali Sueco.“

CXXXVII. *De S. Erhardo.*

Salve splendor firmamenti
Arca candens documentis etc.

Cod. M. 10.

CXXXVIII. *De S. Laurentio.*

1. Stola iocunditatis alleluia.
2. Induit hodie dominus militem suum Laurentium.
3. Solito plaudat alacrior concio laeta fidelium.
4. Hodie martyr insignis hostiam Deo placentem obtulit.
5. Hodie tormentum ignis graviter examinatus pertulit.
6. Animatus ad certamen monitu beati nis
7. Gravissimis non refugit exhibere membra poenis.

8. Ante regem accersitur
Et de rebus convenitur
Occultis ecclesiae.
Sed non cedit blandimentis,
Emollitur haud tormentis
Eius avaritiae.

9. Luditur Valerianus,
Et Levitae larga manus
Dum petit indutias:
Dat ministra caritatis
Pauperibus congregatis
Facultatum copias.

10. Furit igitur praefectus
Et paratur ardens lectus:
Insultantis viscera
Crates urit aspera.

11. Sudat martyr in agone
Spe mercedis et coronae
Quae datur fidelibus
Pro Christo certantibus.

12. De cuius militia coeli gaudet curia,
13. Quia vicit hodie ministros nequitiae.

14. Ut hunc ergo per patronum
Consequamur vitae donum,
In illius die festo
Chorus noster laetus esto.
Iocundum in ecclesia
Decantans alleluia alleluia.

Haec Prosa, quam in nonnullis septentrionalis Germaniae dioecesibus in S. Laurentii honorem scio decantatam, hoc loco posui, quoniam utrum vetustioribus an recentioribus adnumeranda sit haud facile sit diiudicatu. Multum enim habe

singularitatis. Duae exstant prosae antiquae: altera de S. Laurentio: Stola iocunditatis mutato nomine et nonnullis omissis de quovis martyre potest recitari: *) altera est apud Clichtovaeum: Spe mercedis et coronae. Ex utraque auctor carminis supra scripti flosculos quosdam delibavit et suos fecit; adiunxit crustula alia quae proprie ad S. Laurentium pertinent. Dedimus carmen ex Missali Brandenburgensi. — 1. Apoc. VII, 13. 14. 5. Ita in Missa S. Laurentii: *Igne me examinasti et non inventa est in me iniquitas.* 6. Beati senis S. Sixti cf. H. XCII. 4—8., *Xystum sequens hic martyrem Responsa vatis retulit: Moerere, fili, desine, Sequeris me post triduum.* 8. Male vocatur Valerianus rex, qui erat praefectus urbi. Lud. emollitus aut. 9. 10. Congregatis in ecclesia pauperum turbis ibi introduxit Valerianum. Optime canit poeta recentior:

Dann lud er den Präfecten dorthin ein
Um die versprochnen Güter einzunehmen.
Sieh diese Schätze — spricht er — waren mein
Sie sollen fürder auch die deinen sein
Und dieses Reichthums wolle dich nicht schämen.

Ist Gold doch ein verächtliches Metall
Und du verlangest was zu Lastern führet?
Der reinen Jungfrau'n Stimm hat Silberschall
Die Waisen sind die Perlen in dem All
Mit Gold und Perlen werde drum geziert.

14. Lud. ut huius fidem imitantes.

CXXXIX. *De S. Quirino.*

Summo laudes creatori
Voce, corde puriori
Creatura personet etc.

Acta Sanct. Mart. Tom. III. p. 814. „Ex Missali Pergameno." Ex eadem Membrana alia de eadem Sancto transcripta est Sequentia: Laus iocunda Christo detur.

*) E.g. in Missali Strigoniensi vetusto canitur de S. Adalberto: Stola iucunditatis induit hodie Dominus militem suum Adalbertum etc.

CXL. *In Festo Visitationis Mariae.*

1. Veni praecelsa domina
Maria, tu nos visita
Aegras mentes illumina,
Per sacra vitae numina.

2. Veni salvatrix seculi,
Sordes aufer piaculi
In visitando populum
Poenae tollas periculum.

3. Veni regina gentium,
Dele flammas reatuum,
Rege quodcunque devium
Da vitam innocentium.

4. Veni ut animam visites,
Maria vires robores,
Virtute sacri impetus,
Ne fluctuetur animus.

5. Veni lux stella marium,
Infunde pacis radium,
Exultet cor in gaudium,
Ioannis ante Dominum.

6. Veni virga regalium,
Reduc fluctus errantium,
Ad unitatem fidei
In qua salvantur coelici.

7. Veni deposce Spiritus
Sancti dona propensius,
Ut dirigantur rectius,
In huius vitae actibus.

8. Veni laudemus filium
Laudemus sanctum spiritum,
Laudemus patrem unicum
Qui nobis det auxilium.

Hanc Sequentiam Chemnitius in Examine Concilii Tridentini affert ut terrimum exemplum Mariolatriae, qua adimatur summo Deo honos, ipsi soli tribuendus. Neque ego carmen probaverim. Bene scio sophisticis argutiis ab iis, qui ipsa ecclesia catholica sunt *καθολικώτεροι* excusari, quod Maria vocetur salvatrix saeculi eaque non ut preces fundat sed ipsa dona praebeat imploretur: sed haec magis sunt hominis callidi quam pii ac religiosi. Sed in Chemnitio quoque duplex quid summopere vitupero. Lectoribus communicat strophas septem, obtruncat octavam, in qua Sanctissima Trinitas invocatur. Hoc perfidiae meretur nomen: Dein ipsis Chemnitii temporibus prosa supra scripta cum multis aliis eiusdem farinae ab ipsa ecclesia Romana est explosa, abrogata, deleta. Ipsum concilium quod infestat, carmina huius generis exterminavit. — 1. Ad. Chemn. m u n e r a. 3. Ad. Chemn. d e l e quod Imitando expressit poeta Robertum. 7. Ad. Chemn. s a n c t a. Secuti sumus in textu constituendo Cod. M. 10. Torrentinum et Missalia ecclesiae Numburgensis et Patauiensis.

CXLI. *De S. Ioanne Evangelista.*

1. Verbum Dei, Deo natum
Quod nec factum nec creatum
Venit de coelestibus:
Hoc vidit, hoc attrectavit,
Hoc de coelo reseravit
Ioannes hominibus.

2. Inter illos primitivos
Veros veri fontis rivos
Ioannes exiliit,
Toti mundo propinare
Nectar illud salutare
Quod de throno prodiit.

3. Coelum transit, veri rotam
Solis ibi vidit, totam
Mentis figens aciem:
Speculator spiritalis
Quasi Seraphim sub alis
Dei videt faciem.

4. Audiit in gyro sedis
Quid psallant cum citharoedis
Quater seni proceres:
De sigillo trinitatis
Nostrae nummo civitatis
Impressit characteres.

5. Iste custos virginis
Arcanum originis
Divinae mysterium
Scribens evangelium
Mundo demonstravit:
Colli cui sacrarium
Suum Christus lilium,
Filio tonitrui
Sub amoris mutui
Pace commendavit.

6. Haurit virus hic letale
Ubi corpus virginale
Virtus servat fidei:
Poena stupet quod in poena
Sit Ioannes sine poena
Bullientis olei.

7. Hic naturis imperat
Ut et saxa transferat
In decus gemmarum:
Quo iubente riguit,
Auri fulvum induit
Virgula silvarum.

8. Hic infernum reserat,
Morti iubet, referat
Quos venenum stravit:
Obstruit quod Ebion,
Cerinthus et Marcion
Perfide latravit.

9. Volat avis sine meta
Quo nec vates, nec propheta
Evolavit altius:
Tam implenda, quam impleta
Nunquam vidit tot secreta
Purus homo purius.

10. Sponsus rubra veste tectus
Visus sed non intellectus

Redit ad palatium:
Aquilam Ezechielis
Sponsae misit quae de coelis
Referret mysterium.

11. Dic dilecto de dilecto
Qualis sit et ex dilecto
Sponsus sponsae nuncia:
Dic quis cibus angelorum,
Quae sint festa superorum
De sponsi praesentia.

12. Veri panem intellectus,
Coenam Christi supra pectus
Christi sumptam resera:
Ut cantemus de patrono
Coram agno coram throno
Laudes super aethera.

Sequentia supra posita, quam ratione habita Cod. M. 10. his saeculis adsignavimus, apud plurimos canebatur in festo S. Ioannis cui nomen ad Portam Latinam, rarius in eiusdem apostoli festivitate principali. Carmen tamen ipsum minime esse secundi ordinis, quis est qui non senserit? — 1. Tangit poeta exordium et evangelii et epistolae Ioannis primae: *Quod fuit in initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae* etc. 2. Cf. Seq. CIX. 8. *Fons est Christus, hi sunt rivi, fons est altus, hi proclivi ut saporem fontis vivi ministrent fidelibus.* Apoc. XXII. 1. *Et ostendit mihi fluvium aquae vitae procedentem de sede Dei et agni.* 3. Narrant ex omnium avium numero hoc solis aquilis datum esse, quod possint ἀτενίζειν solis radios: Ioannes ὁ ἀετος ὁ ἀληθινός summum solem, ipsum divinitatis numen conspicit. Ad. Torr. Clicht. videns. Pr. Nb. vidit. Non est quod moneamus poetam alludere ad caput Isaiae VI. 4. Cf. Apoc. IV, 10. 11. M. 10. quod psallant Ad. Torr. qui ps. Ad. in cithar. Notat idem scriptor apud nonnullos exstare scripturam: senes. Torr. nostro n. Rambach: *Sahe selbst im helleren Spiegel des Dreieinigen hehres Siegel, Und entdeckt es uns im Bild.* Ad.: *Si quis voluerit recipere figuram de sigillo trinitatis oportet ut praedisponat cor suum per contritionem ut aptum fiat ad recipiendum impressionem sigilli. Sic David: factum est cor meum tanquam cera liquescens.* 5. Torr. ille c. Ad. palatium. Ad. Nb. Pt. Pr. fide commend. Sensus: Optime potuit ille apostolus divinam Christi generationem enarrare qui in domo habuit Mariam beatam Christi matrem sibi a Domino commendatam. 6—8. De miraculis illis haec habentur in legendis: *Cum b. apostolus Ioannes rediret ab exilio et verbum Dei praedicaret a proconsule invitabatur ut Diis immolaret. Qui dum renueret in carcerem mittebatur. Cui venenum praeparabatur quo mediante Ioannes interficeretur. Qui dum gustasset virtute Dei cooperante sibi non nocuit sed duos alios iuvenes necavit (quos postea ex mortuis resuscitavit). Quod cum vidisset proconsul misit literas ad Domitianum, in quibus sanctum Ioannem magum et sacrilegum nominavit. Iussu igitur imperatoris ad Romam ducebatur: ubi omnes capilli in derisionem eius abradebantur. Et ante portam urbis quae latina dicitur in dolium ferventis olei mittebatur. Nullum tamen dolorem sensit sed illaesus exivit. — — Porro dum b. Ioannes duos iuvenes ad fidem convertisset qui omnia sua bona et divitias pauperibus erogaverunt: hi quodam die viderunt cognatos et amicos pretiosis vestibus indutos et se ipsos egentes et pauperes, coeperunt contristari. Quod cum b. I. notavisset et eos facie tristes vidisset, virgas et lapides iussit afferri: quos in aurum et preciosas gemmas convertit dicens ad eos: Ite et redimite vobis terras quas vendidistis, quia coelestia praemia perdidistis.* Ubi corp. virg.: Immemor loci Marc. XVI, 18. poeta insinuat virginali corpori venenum ut noceret fieri non potuisse. Poena stupet, i. e. tortores et carnifices. 8. Ad. Torr. inbet ut referat. Vox latrandi est usitatissima de haereticis, quos amant cum canibus conferre antiqui. 9. Ioannes in hac laudatissima stropha, ut saepius compara-

tur cum aquila. Ad.: *Merito I. assimilatur aquilae quia nullus evangelistarum tam profunde de deitate conscripsit sicut ipse. Secundo ei comparatur propter magnam caritatem quam Deus habuit ad ipsum apostolum. Num secundum prophetam nullum volatile tam ardenter amat foetum suum sicut aquila.* Cf. H. CXCIV, 8—12. *en illa felix aquila ad escam volat avida quae coeli cives vegetat et nos in via recreat.* Purus homo cf. Seqt. V. *tu leve coniugis pectus respuisti Messiam secutus etc.* Lutherus W. XXII. p. 1990.: *Also sagte man auch von der Hochzeit Iohannis des Evangelisten, dass er sollte Magdalenen Bräutigam gewesen sein, wie man in Sequenz von ihm singet: Du hast die liebliche Brust oder dein Herzliebichen verlassen und dem Messias nachgefolget.* Alio loco tamen (p. 1774.) ipse vetustae traditioni fidem facit: *Die Apostel sind Ehemänner gewest ausgenommen Iohannes der Evangelist.* 10. Rubra, per aspersionem sanguinis sui pretiosi. Is. LXIII, 1. Ad. et non. Rambach: *Da die Blindheit ihn nicht fasste kehrte Iesus zum Palaste seines Himmelreichs zurück.* Aquilam Ez. cf. Seqt. CIX. Torr. Clicht. sponsus. „Ad. Pt. Nb. e. a. referre. 11. Clichtovaeus hanc exhibet scripturam: qualis adsit et de lecto sponsi sponsae nuncia, quae male conveniunt elegantissimo poetae. Libri germanici ad unum omnes: qualis sit et ex dilecto sponsus. Sensus: Qui dilectus es ab dilectissimo Domino nostro, ex ore ipsius dilecti Christi tui, cui amicitia divina quasi desponsatus est, sponsae i. e. ecclesie refer, qualis sit, qualem habeat naturam. Ad. Torr. quae sunt. 12. Cod. M. 10. veri panem, reliqui veri panis, sed aptiorem efficit sensum membrana illa vetusta. Clichtov. coena Christi — quae sit. Refragantur praeter unum Torr. iterum Germani, refragatur etiam stropha Secunda. Nam sicut in illa Ioannem nectar mundo propinare cecinit, in hac et dapes supernas ipsum praebere nuntiat. Adiicimus quae habet Adelphus de morte Ioannis: *Doctores dubitant an b. Ioannes abiit vel migravit cum corpore vel sine illo in coelum. Nam dicunt quidam quod abiit cum corpore et anima in coelum et assumptus est corpore tamen prius glorificato. Nec hoc videtur impossibile: quia iste discipulus prae ceteris sanctus dilectus cum corpore et anima in coelo est locatus. Quod autem abiit cum corpore declaratur ex eo, quoniam in sepulcro eius nil nisi manna inventum est. Alii opinantur animam beati Ioannis esse in coelo et corpus per angelos deductum in paradisum, ne persecutione Iudaeorum dilaniaretur. Sed quod sit verius Deus novit.*

R.

HENRICUS PISTOR.

CXLII. *De S. Ioanne Baptista.*

1. Praecursoris et baptistae
Diem istum chorus iste
Veneretur laudibus.
Vero die iam diescat,
Ut in nostris elucescat
Verus dies mentibus.

2. Pater vetus novum natum
Obstupescit dum legatum
Audit missum coelitus:
Nam aetatem et naturam
Consulendo, genituram
Miratur decrepitus.

3. Dum non paret verbo parens
Mox in verbo fit apparens
Pro verbis punitio:
Pater haerens hoc infirmat
Affirmando quod confirmat
Loquelae privatio.

4. Praecursore nondum nato
Nondum partu reserato
Reserantur mystica:
Nostro sole tunc exclusus
Verioris est perfusus
Solis luce typica.

5. Prius novit diem verum
Quam nostrorum sit dierum
Usus beneficio:
Hic renascens nondum natus
Nondum natus est renatus
Coelesti mysterio.

6. Clausa pandit ventre clausus
Gestu plaudens fit applausus
Messiae praesentiae:
Linguae gestus obsequuntur
Dum pro lingua sic loquuntur
Serviunt infantiae.

7. Mater parit, pater credit
Redeunte fide redit
Linguae beneficium.
Reserato partu matris
Reseratur lingua patris
Reserans mysterium.

8. Tori fructus matri dantur
Et iam matris excusantur
Sterilis opprobria:
Ortus tanti praecursoris
Multos tenet, sed terroris
Comes est laetitia.

9. Se a mundo servans mundum
Mundo vivit intra mundum
In aetate tenera.
Ne formentur a convictu
Mores, loco, veste, victu
Mundi fugit prospera.

10. Quem dum replet lux superna,
Verae lucis fit lucerna,
Veri solis lucifer.
Novus praeco novae legis,
Immo novus novi regis
Pugnaturi signifer.

11. Singulari prophetia
Prophetarum monarchia
Sublimatur omnium.
Hi futurum, hic praesentem,
Hi venturum, venientem
Monstrat iste filium.

12. Dum baptizat Christum foris,
Hic a Christo melioris
Aquae tactu tingitur.
Duos duplex lavat flumen:
Isti nomen, illi numen
Baptistae conceditur.

13. Dum baptizat, baptizatur,
Dumque lavat, hic lavatur
Vi lavantis omnia.
Aquae lavant et lavantur:
His lavandi vires dantur
Baptizati gratia.

14. O lucerna verbi dei,
Ad coelestis nos diei
Perduc luminaria.
Nos ad portum ex hoc fluctu,
Nos ad risum ex hoc luctu
Tua trahat gratia.

Haec prosa, quae summae est artis, non in Missalibus sed in Elucidatorio Clichtovaei mihi obvia erat. Vir Doctus ita eam praefatur: „Auctor eius fuisse traditur eximius pater Henricus Pistor doctor theologus Parisiensis et in religiosa domo S. Victoris monasticam vitam professus, qui etiam concilio Constantiensi interfuit eaque tempestate doctrina et virtute mirifice floruit. In hac prosa eleganter sane et praeclare composita auctor id peculiare servavit, quod eandem dictionem saepius in eadem versu repetere studuit, non quidem per ineptiam aut barbariem sed singularem quandam venustatem et gratiam quae ex huiusmodi apta et concinna repetitione illi accresceit et adiicitur.“ Commentario atque adnotationibus non indiget carmen.

S.

SEQUENTIAE CIRCA SAEC. XIV. ET XV. CONDITAE.

a) Prosae ad Notkerianarum modum compositae atque ὁμοιοτελεύτων, proprie sic dictorum, expertes.

CXLIII. *De S. Catharina.*

Ad honorem superni cantemus regis Alleluia etc.

Missale Pragense.

CXLI. *In Assumptione Virginis.*

A rea virga primae matris Evae florens rosa processit Maria etc.

Idem Liber.

CXLV. *De Passione vel de Quinque Vulneribus Domini.*

1. Ave Iesu Christe qui pro peccatorum salute de Maria casta virgine nasci voluisti.

2. Ave Iesu Christe qui pro redemptione tristis mundi flebile morte mori in cruce voluisti

3. Ave Iesu Christe qui ab impiis Iudaeis reprobari et a Iuda osculo tradi volnisti.

4. Ave Iesu Christe qui vinculis alligari et ut agnus innocens ad victimam duci voluisti.

5. Ave Iesu Christe qui flagellis caedi, opprobriis molestari, conspui, coronari voluisti.

6. Ave Iesu Christe qui inara crucis levari et aculeis clavorum perforari voluisti.

7. Ave Iesu Christe qui felle et aceto potari et lancea propter nos vulnerari voluisti.

8. Supplicamus ergo te domine Iesu conditor gentis humanae et filius virginis Mariae:

9. Praesta nobis peccatoribus te perfecte diligere, in te vere credere et fine bono discedere.

10. Praesta nobis te verum lumen in lumine aeternaliter videre et te in praemium sempiternum possidere.

11. Praesta nobis tecum conregnare et in regno tuo sine fine digne laudare, benedicere et praedicare.

Haec Prosa, quam habent Missalia ecclesiae Moguntinae et Mindensis a rhythmica ratione multum habet commendationis. Ex octo strophis prioribus unaquaeque amplectitur syllabas triginta ac desinit in vocem v o l u i s t i: nam id curat poeta ut corde teneant Christiani redemptorem nostrum libero amoris affectu pro nobis pati v o l u i s s e. Tres novissimae clausulae syllabarum sunt triginta quinque. — 1. Mg. h u m a n a s a l u t e — M a r i a v i r g i n e. 2. Mg. p r o m u n d i. 3. Mg. a I u d a e i s. Addit Md. stropham: A v e I e s u C h r i-

ste qui in conspectu Pilati praesentari falsisque testibus accusari voluisti. Deest strophа, quae triginta duas syllabas continet in Moguntino. 5. Md. flagellis et oppr. — spinis coronari. 6. Mg. lev. et inter latrones condemnari. 7. Mg. omittit propter nos. 8. Md. ergo domine — cond. humani generis. 9. Mg. da nobis mis. pecc. 10. Mg. da nobis te lumen. Md. aeternaliter et te. 11. Md. regnare. Mg. Da — fac cum omnibus sanctis. Md. omittit digne.

CXLVI. *In Translatione S. Martini.*

Ave summa praesulum, eia e Christi gemma meritis inclyta virtute lucida etc.

— — —

Traiecti te chorus flagitato Martine, praesulem cum clero Deo commenda.

Per sua nos ut suffragia mereamur perfrui iam tecum luce superna.

Habent Adelphus et Torrentinus. Multum intercedit similitudinis carmini cum Prosa: Sacerdotem Christi. Adelphus „in quibusdam ecclesiis Galliae et partium inferiorum“ cantatum esse testatur.

CXLVII. *De uno Confessore*

Beatus hic servus quem cum venerit dominus ita invenerit etc.

Missale Pragense.

CXLVIII. *De S. Trinitate.*

1. Benedictio trinae unitati, simplici deitati semper omnifaria.

2. Parenti cui coaeternalis stat identitas, sempiternitas latriae mira.

3. Par verbo quod coessentiva sapientia vera veritas exsplendet viva.

4. Tibi et amborum voluntas, pneuma et suavitas: tu beatitudo sancta sanctitas es essentiva.

5. Tu es omnium genus bonorum generalissimum: o ens ex quo nobis vita stillat, amor et sophia.

6. O prima veraque aeternitas, aeterna et optima veritas, vera aeternaque bonitas.

7. Odium, falsitas morsque cedat, figuram tuam expleat usia, ratio, caritas.

8. Fons, in quo sunt, vivunt, quorum umbras mortales expetunt vitae deliciae, decus, soteria, regnum, virtus, victoria.

9. Fac nos supplices tuae dilectionis compotes, effuga daemones, orbem christianum rege, o qui alpha magnifica.

10. Pater, El, Eloy, Eloe, Elion, Yasadai, lux samain, tu agie rex Sabaoth, ineffabilis Adonai, tuum nos plasma conserva.

11. Proles Emmanuel, mire mirabilis, summe consu, Deus fortis, dominus iustus, pater futuri saeculi, princeps pacis, Iesu Messia, salva nos.

12. Spiritus timoris, pietatis, scientiae, fortitudinis, consilii, intellectus ac sapientiae nos illustra, unge, sanctifica.

13. Simplex trinitatis tu unitas, unitatis trina deitas, purga culpas, aegros sana, hostes pacifica, solve vincula, pelle pericula.

14. Ac te sitientes tuo vultu saties paceque aeterna in Hierusalem superna.

Cum id muneris esse putemus, diversissima exhibere Sequentiarum exempla et aureae aetatis qua illud carminum genus efflorescere coepit, et seriorum temporum, quibus quasi marcescit: ne mirare hunc Prosae locum esse concessum. Scholastici opinor est hominis et apprime: docti in Graecis adeoque Hebraeis literis vides eum versatum: Musis non ita placuisse videtur. Invenimus prolem eius in Missali Numburgensi ac Pragensi.

CXLIX. *De SS. Innocentibus.*

Celsa pueri concrepent melodia etc.

Passim in vetustis Missalibus Galliae.

CXL. *De S. Wenceslao.*

Christe tui praeclari militis Wenceslai colentes sollemnia etc.

Miss. Pragense.

CLI. *De S. Ioanne Ev.*

Christo laudes decantet hic Chorus psallens die ista etc.

In vetusto Missali Ordinis Praemonstratensis.

CLII. *De S. Vito.*

Christum supplici omnes corde precemur, superna qui de sede etc.

Miss. Pragense.

CLIII. *In Circumcisione Domini.*

Ecce iam votiva festa recurrunt annua, addat se vox nostra ad angelorum carmina etc.

In vetustis libris Galliae.

CLIV. *De S. Martha.*

Eia iubilemus carmina Deo digna etc.

Missale Pataviense. Notabile est in Calendario illius ecclesiae festum Marthae positum esse die XVII. Octobr.

CLV. *De Epiphania Domini.*

Epiphaniam Domini canamus gloriosam etc.

Adeas Cichtovaeum.

CLVI. *Tempore Paschali.*

Fulgens praeclara rutilat per orbem hodie dies etc.

Apud Gallos olim usitata.

CLVII. *De Virginibus.*

1. Gaude coelestis sponsa, summi regis iam templum ingressa;
2. Ad regale quoque convivium ducta.
3. Et mox intratura cubilis secreta semper virgo mansura.
4. Filius regis, amator castitatis, servat locum pudoris.
5. Huic sponso venienti virgines omnes obviate:
6. Ferte lampades iam ardentes, in vasis oleum simul deferentes,
7. Et regium festinanter adornate thalamium,
8. Et regi regum decantate canticum, solis virginibus decantandum.
9. Ianua patet: quae paratae sunt intrent.
10. Cum sponsus venit, quis eum sequi possit, omnis virgo memor sit.
11. Ad talia tu nos perduc Christe redemptos, per te memor sponsae, iungens illi sperantes in te.

Hanc Sequentiam, quam Schultingius haud carere iudicat elegantia et venustate, reperitur in libro Adelphi: in Missalibus inclytae Coloniensis ecclesiae velut propria adsignatur S. Caeciliae. Sed nemo non videt esse cantum de Communi. Nonnulla Missalia Coloniensia in his ab Adelpho discrepant: 3. semper virgo Maria. 7. festinantes adornare. 8. regi regium.

CLVIII. *In Translatione S. Valentini.*

Gloriosa fulget dies, exultet ecclesia, angelis, hominibus, pax et laetitia etc.

Sequentia in A desinens exstat in libris Ecclesiae Patauiensis.

CLIX. *De S. Afra.*

Grates Deo et honor sit per saecula etc.

Iterum in A. constanter desinit. Occurrit in Missalibus Germaniae superioris.

CLX. *De S. Clemente Rom.*

Hanc dieculam orbi cuncto colendam etc.

Miss. Pragense.

CLXI. *De Confessoribus.*

Hic oculis et manibus in coelum et totis viribus suspensus terrena cuncta respuit etc.

Miss. Pataviense.

CLXII. *De S. Ursula et Sociabus eius.*

1. Iucunda Deo laudatio sit in die sanctis consecrata:
2. Quas coronat in coelis honore et gloria
3. Virginum sponsus qui poscitur inter lilia:
4. Quarum coronis ornatur mater ecclesia,
5. Quarum triumphis exultat coelorum curia.
6. Beata vere, quae tot electas virgines protulisti, Britannia.
7. Beata pio quae purpurata es eorum cruore, Colonia.
8. Nam Deo devota beati exercitus regina Ursula
9. Ex dictis erat angelicis martyrii virginum praescia:
10. Quod cum cognoscunt sacrae virgines, gaudio gaudent, fundunt lacrimas, adorant, collaudant Deum humili corde, voce pia:
11. Commendant Christo suas animas, mundum contemnunt morte, sociae prudentes, ornatae sumpto oleo lampade fulgida.
12. Vere mirabilis in sanctis Deus virtutis tuae gratia.
13. Hodie virginum qui coronasti undena simul millia.
14. Hunni feroces, gens barbarica, cunctis gentibus inimica,

15. Agnas insontes, greges domini prosternunt rabie inaudita.

16. Hic corpora iacent fusa, munimen tuum Colonia:

17. Hic sanguinis pretiosi sanctarum fluxerunt flumina.

18. Solvitur obsidio libertas redditur hostibus fugatis, urbem salvant martyrum merita.

19. Laetare Colonia, gaude Britania, quamque visitarunt votis et precibus, urbs Romula.

20. Exultent sancti tot consortibus, laetetur tot patronis ecclesia.

21. Istarum venerantes merita, precamur nostra laxari crimina.

22. Sit tibi Pater coelestis cum Christo, cum Spiritu Sancto laus et gloria, unus Deus in saecula.

Cum ex omnibus Sanctorum historiis illa, quae de S. Ursula atque ampla sociarum cohorte narrantur, aeque notissima sint atque vexatissima, non potuimus, quin ex Missali Mindensi hoc sanctarum martyrum praeconium deprompserimus. Quid de martyrum numero statuendum, soli Deo notum est: ceterum nihil interest, utrum una virgo an undecim millia pro Christo sanguinem fuderint. Totam martyrum turbam laureatam, qua ecclesia micat ut splendidissimis gemmis, nemo mortalium potest enumerare. Apoc. VII, 9. Sane ad hunc usque diem in omnibus Germaniae catholicae ecclesiis fit de S. Ursula Officium Duplex vel Duplex maius: Romae fit tantum de ea Commemoratio in festo S. Hilarionis.

CLXIII.

In Festivitate Pentecostes.

1. Laude celeberrima recolamus festa sacratissima

2. Sancti spiritus, qui mentes hodie apostolorum illustrat flammicomatu.

3. Conferens illis omnigenarum beatissima munera linguarum.

4. Ut possent omnes undique nationes his magistris uti donis eius magnificis.

5. Cuius gratia nullum meritum vel personam respicere novit nullam.

6. Nam piscatorem, egentem victum, arte quaerit autem summum fecit praedicatorem super quem constructa caput levat mater ecclesia.

7. Nec non persecutorem qui sanctam devastabat ecclesiam magistrum posuisti gentium, vas perditionis transformasti in vas electionis.

8. Implevit spiritus idem puerum citharoedum et psalmistam faciebat: armenti custos hoc afflante prophetavit Amos.

9. Idem vel latronem suspensum persuasor, sacratum convertit in confessorem.

10. Telonea quondam sedentem artifex peritus transformat in evangelistam.

11. Hic de lapidibus facere poterit filiolos Abrahae.

12. Nam ut praecinuit Deus spirat ubicunque vult spiritus.

13. Spiritus alme qui nescis quemque spernere veni nobis propitius famulis.

14. Vitiis variis sordibusque nostra referta tua flamma adurat pectora.

15. Hostibus animae repulsis inde ipse veniens hospitari digneris apud nos.

16. Ut per te mansorem praeveniamus ad coelestis mansionis haereditatem,

17. Et depulsa peregrinatione gaudeamus paradisiaca possessione.

Praeclarissima Prosa ornat Missale vetustum ecclesiae Pragensis.

CLXIV.

Sequentia Paschalis.

1. Laudes Christo redempti voce modulemur supplici:
2. Omnis in hac die rerum natura iubilans
3. Personet immensas filio Dei gratias.
4. Iam nostri concives coelestis sanctuarii milites,
5. Ordines noveni in vestra nos adunate gaudia.
6. Hymnite nunc superi, pariter resonate inferi,
7. Et omnis in Domini spiritus gratuletur aenesi;
8. Qui hominis causa Deus homo nascitur

9. Et fragili carne se deitas occulens probra sustinuit patiens:

10. Virtutibus, signis ut Deus emicuit,

11. Et corporis nostri necessitate fruens verus terrigena claruit.

12. Ab hoste tentatus non est agnitus neque divinitas patuit:

13. Ars artem delusit donec veteris nodum piaculi secuit.

14. In ara crucis hostiam se pro nobis Christus obtulit Deo patri, morte sua nostra mortificans crimina.

15. Iam victor Christus baratro populato, mortis principe vinculato ab inferis pompa regreditur nobili.

16. Haec est dies quae illuxit post turbida regni Aethiopum tempora,

17. Christus in qua resurrexit ultra victurus cum carne quam sumpsit de Maria virgine.

18. Qui ovem cum gaudio patri quam perdiderat humero revexit suo.

In multis ecclesiis Germaniae Prosa supra posita, ad exemplar Notkerianae: Laudes salvatori (IX.) confecta, adhibebatur Feria Secunda Paschalis festivitatis. Habent eam e. g. Nb. Md. Pr. Col. Lud. Ad. Torr. al. — 2. Torr. Lud. inbilat. 6. Pr. pariterque. 7. Md. ut. Ad. Torr. Pr. in domino. 11. Sensus: Christus omni corporis humani imbecillitate laborans se vere hominem factum esse demonstravit. 14. Col. Hostiam pro. 16. Aethiopes hoc loco denotant daemonum catervas et corpore et anima nigras, quarum princeps saepius Pharao nuncupatur. Simul alludit poeta ad captivitatem Iudaeorum Aegyptiacam. 17. Ad. Pr. assumpsit. 18. Col. om. suo.

CLXV. *De S. Nicolao.*

Laus et gloria Deo sit in saecula etc.

Miss. Brandenburgense.

CLXVI.

De SS. Innocentibus.

1. Laus tibi, Christe,
2. Cui sapit quod videtur ceteris esse surdastrum:
3. Famulatu cuius omnis competit sexus et aetas.
4. Recentes atque teneri milites, Herodiano ense trucidati, te hodie praedicaverunt.
5. Licet necdum potuerunt lingula, effusione tamen te Christe sui sanguinis praeconati sunt.
6. Lac cum cruore fundentes ad Deum clamitaturi:
7. Uda pupilli quem gena miseret et innocentis.
8. Quis athletarum fortissimus unquam exercitibus tantam Christe suis contulit victoriam,
9. Quantam vagiens coaevulis tuis tu praestitisti, mittens eos coelo regnaturos perpetim.
10. O Christi praecones clari floresque martyrum corusci,
11. Et Confessorum insignes gemmulae sanctorum,
12. Atque sterilium in mundo virginum:
13. Clari filioli, dulces pusioli, nos iuvate precibus:
14. Quos Christus innocentem mortem vestram miserans
15. Pro sese maturatam, placidus exaudiens
16. Nos regno suo dignetur.

Conferas cum hoc carmine, in quibusdam solummodo ecclesiis in honorem SS. Innocentum recitato, Sequentiam Notkeri: Laus tibi Christe patris (VI.): nam hanc crebro pede tetigit poëta. — 5. Col. non potuerint. Collecta ecclesiae: *Deus cuius hodierna die praeconium innocentes martyres non loquendo sed moriendo confessi sunt.* 6. Md. clamitaverunt. 9. Ad. Torr. quantum — coelo. 11. August. Sermo de Innoc. *Qui iure dicuntur flores quos in medio frigore infidelitatis exortos velut primas erumpentis ecclesiae gemmas persecutionis prima decoxit.*

CLXVII. *In Translatione S. Martini.*

Nos audi tua festa colentes annua mundo celebria etc.

Affert Chemnitius (Ex. Conc. Trid.) hanc Sequentiam in A. decurrentem velut detestabilis hagiolatriae documentum.

CLXVIII. *De Apostolis.*

Qui sunt isti qui volant ut nubes per aera etc.

Missale Pragense.

CLXIX. *De S. Luca.*

Regnum tuum regnum omnium saeculorum, Domine etc.

Idem liber.

CLXX. *In Ascensione Domini.*

Rex omnipotens die hodierna mundo triumphali redempto potentia victor ascendit caelos etc.

A Gallis in cultu sacro usurpata.

CLXXI. *In Inventione S. Crucis.*

Salve crux sancta, arbor digna etc.

In quibusdam ecclesiis usitata loco carminis Adamiani: Laudes crucis.

CLXXII.

In Ascensione Domini.

1. Salve festa dies, toto venerabilis aevo,
   Qua Deus ad coelos scandit et astra tenet.
   Salve, etc.

2. Qui paucis postquam surrexerat ipse diebus
   Pectora confirmans, discipulos solidas.
   Salve, etc.

3. Atque potestatem laxandi crimina praestans,
Discipulos pariter posse ligare dedit.
Salve, etc.

4. Ite meum nomen per totum gentibus orbem,
Dicite credentibus notificare Deum.
Salve, etc.

5. Et qui crediderit, et quem baptismatis unda
Tinxerit in Christi nomine, salvus erit.
Salve, etc.

6. Quem mittam vobis, vos spiritus ille docebit
In linguis variis omnia posse loqui.
Salve, etc.

7. Post modicum veniet qui suggerit omnia vobis,
Et visurus eum vado parare locum.
Salve, etc.

8. Hoc cum dixisset cunctis cernentibus illum
Nubes suscepit dum super astra meat.
Salve, etc.

CLXXIII.

In Die Pentecostes.

1. Salve festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Deus de coelo gratia fulsit humo.
Salve, etc.

2. Spiritus ecce Deus privatoque quo eius
Ignis adest specie discipulis hodie.
Salve, etc.

3. Mentibus humanis infudit opes deitatis,
A Patre procedens mystica dona ferens.
Salve, etc.

4. Non cessat variis Christi magnalia linguis
Plebs benedicta loquens gentibus omnigenis.
Salve, etc.

5. Laus tibi, vitae pneuma sacrum, fons, lux animarum,
Omnia vivificans semper et irradians.
Salve, etc.

6. Pax, Deus, omne bonum, dulcis concordia morum,
Reple corda tuo munere mellifluo.
Salve, etc.

7. Poscimus, omnipotens, mare, terras, sidera replens,
Nos tibi purifica, protege, vivifica.
Salve, etc.

8. Intima Domine ad praegustatae sophiae
Qua redolet Cherubin praedictus ordo Dei.
Salve, etc.

9. Nostra pie tangat seraphin carbunculus ora,
Ut mens perpetuo flagret amore tuo.
Salve, etc.

CLXXIV.

In Festo Corporis Christi.

1. Salve festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua Deus Ecclesiam dicat honore suam.
Salve, etc.

2. Ecce dies laeta, post tristia tartara spreta,
Gratia succedit, perdita vita redit.
Salve, etc.

3. Hoc corpus Christi, salvans de funere tristi,
Manna figuravit, litera prisca canit.
Salve, etc.

4. Hoc verbum Patris coeli formator et orbis
Cum Patre cuncta creat et deitate beat.
Salve, etc.

5. Angelis est panis summa refectio sacris,
Sed sensu vanis nil valet iste panis.
Salve, etc.

6. Hoc corpus verum firmans primordia rerum,
Infera confregit atque redempta regit.
Salve, etc.

7. Laudem complacuit, carnem sine semine sumpsit,
Virginis et matris viscera sacra replet.
Salve, etc.

8. In coena residens, corpus cum sanguine sumens,
Discipulos pavit, mystica dona dedit.
Salve, etc.

9. Intactae matris natus, sapientia Patris,
Constat in altari victima vera Dei.
Salve, etc.

10. In cruce regnavit, moriens mortem superavit
Et mundi maculas sanguis et unda lavit.
Salve, etc.

11. Palmas extendit, vitam pro morte rependit,
Post triduum surgens, corpus ad alta vehens.
Salve, etc.

12. Perpetuam requiem tu fons et origo bonorum,
Hunc servando chorum da sine nocte diem.
Salve, etc.

CLXXV.

In Dedicatione Ecclesiae.

1. Salve festa dies, toto venerabilis aevo,
Qua sponso sponsa iungitur Ecclesia.
Salve, etc.

2. Haec est aula Dei, pacis locus et requiei,
Hic et eunt inopes ad Salomonis opes.
Salve, etc.

3. Filius ille David qui nos sibi consociavit,
Hac in matre domo et Deus est et homo.
Salve, etc.

4. Copula coelestis vos spiritualiter estis,
Si servando fidem esse velitis idem.
Salve, etc.

5. Urbs nova Hierusalem descendens spiritualem
Attulit ornatum lucis ab arce datum.
Salve, etc.

6. Hinc fidei fructum sacro baptismate ductum
Dat Rex iustitiae coelitus Ecclesiae.
Salve, etc.

7. Firma David turris, huc si pede perpete curris,
Invenies in ea pignora siderea.
Salve etc.

8. Haec est arca Dei credentibus auxiliatrix,
Quae vehit ad portum quos vehit unda maris.
Salve, etc.

Prout in omnes terras exivit poeseos ecclesiasticae sonus, non defuerunt et in Anglia, qui suavissimis carminibus numinis divini maiestatem canendo celebrarent. Damus tibi quatuor Prosas ex Processionali Eboracensi (Hymni Ecclesiae etc. Tom. I. Proll. p. XV.): ipse vides poetam cantus suos direxisse ad normam Fortunati. Cf. Hymn. CLXIII.

CLXXVI.

In Adventu Domini.

1. Salus aeterna, indeficiens, mundi vita,
2. Lux sempiterna et redemptio vere nostra.
3. Condolens humana perire saecla per tentantis numina:
4. Non linquens excelsa, adisti ima propria clementia.
5. Mox tua spontanea gratia assumens humana quae perdita fuerant omnia salvasti terrea, ferens mundo gaudia.
6. Tu animas et corpora nostra Christe expia, ut possideas lucida nosmet habitacula.
7. Adventu primo iustifica, in secundo nos libera:
8. Ut cum facta luce magna iudicabis omnia, compti stola incorrupta tua subsequamur vestigia quocunque visa.

In Germania nusquam quoad sciam intra Adventum in officio de tempore locus dabatur Sequentiis: supra scriptam habet Clichtovaeus. Observatione dignus est in hoc carmine artificiosus vocalium concentus: non solum singulae clausulae sed plurimae voces in A. desinunt. — 3. Hymn. LXXII, 5. 6. *Qui condolens interitu mortis perire saeculum.* Clicht.: *In scriptura diabolus Deus huius saecli dicitur, ita et numinis nuncupatio illi translatitie convenit.*

CLXXVII.

In Visitatione Mariae.

1. Sancti spiritus assit nobis gratia,
2. Quo foecundata deum peperit virgo Maria.

3. Per quem sacrata floret virginitas in Maria.
4. Spiritus alme, quo replètur Maria:
5. Tu rorem sacrum stillasti in Maria.
6. Amator sancte quo intacta impraegnatur Maria;
7. Sub cuius umbra non torretur dum fovetur Maria.
8. Tu praeservasti ne prima culpa transfusa sit in Maria,
9. Tu cellam sacrasti sic benedicti ventris in Maria,
10. Ut tumeret et mater fieret Maria,
11. Sic pareret nec florem perderet Maria.
12. Prophetas tu inspirasti ut praecinerent quod deum conciperet Maria.
13. Apostolos confortasti ut astruerent hunc deum quem edidit Maria.
14. Quando machinam deus mundanam fecit est praefigurata Maria.
15. Tellus hominem, virgo virginem fudit primum, sic secundum Maria.
16. Tu animarum spes afflictarum dulcis Maria,
17. Tu servulorum tuorum nexus solve Maria;
18. Tu collisum peccatis mundum ad vitam reparasti Maria.
19. Idolatras et leges atras enervasti Maria.
20. Ergo nos petimus supplices ut ope benigna subleves Maria,
21. Et nato pro nobis supplices qui tibi psallimus: Ave Maria.
22. Tu felicibus felicior Maria,
23. Tu sublimibus angelorum coetibus es praelata Maria.
24. Ipsum hominem induisti Maria,
25. Qui sine semine, rigante nemine te foecundavit Maria.
26. Hunc deum nobis placa Maria.

Unus Clichtovaeus hoc carmen praebet lectoribus, quod an proprie ad festum Visitationis spectet vehementer dubito. Contra ne caecum quidem fugit poetam se proxime applicuisse ad eximiam Prosam: Sancti Spiritus adsit nobis gratia etc. (XIV.). Hanc ex consuetudine temporis sui, quam multi vituperant ad Mariam per totum revocavit.

CLXXVIII. *In Exaltatione Sanctae Crucis.*

Serpens antiquus vicit in ligno etc.

Miss. Pataviense.

CLXXIX. *In Transfiguratione Domini.*

Speciosus forma prae natis mulierum etc.

Miss. Pataviense.

---

b) Prosae quae quidem versibus longioribus (Langzeilen) compositae sunt, habent tamen ὁμοιοτέλευτα ordine quodam recurrentia.*)

CLXXX.

De S. Antonio.

1. Alme confessor et professor fidei triplicis, aggressor luctae et evictor:

2. Heremi possessor, Pauli successor, legis dilatator, miseris consolator, virtutum sator, aegrorum curator.

3. Antoni, indolis clarae, nobilis, qui novenis sub bis annis paterna praedia minimis Christi distribuisti.

4. Qui inter sanctam desponsatam Christo gratam virginalem cohortem tuam pulcherrimam sororem locasti:

5. Aegypti tetris in speluncis et latebris contra mundum, Satanam carnemque propriam fortiter certasti.

6. Qui ut virilis Christi pugil et quiris in hoc triplici conflictu cervice in coelum protensa mire triumphasti.

7. Qui affamine Christi in certamine hoc responsum accepisti: per orbem faciam universum te nominari.

8. Qui bis novem monasteriis structis in Aegypti terminis mirum in modum Paulo sepulto, praedicationis verbo ad fratres facto paternaliter, sub secreto sepultus, inventus mysterialiter:

---

*) Huic ordini ea quoque carmina adiunximus, quae sequuntur rhythmum ac modum Prosarum: Laetabundus, Victimae Paschali, Mittit ad virginem, Veni sancte, Mundi renovatio.

9. Ut Caesaris unigenita, regis Constantini filia, unum per haustum lymphae obsessa a novem spiritibus per te liberaretur personaliter, et clareres in mundo fomentis universaliter.

10. Ducente stella maris procella ad fines Aegypti sanctus Theophilus episcopus te nostrum patronum divina ope ente sedulo prope se traducebat.

11. Qui tactu tui feretri frui facis sanitate tenerrimam Caesaris filiam, Satana oppressam: ignem gehennae iacens in terra Viennae mortifica.

12. Agios veris ros, Maii flos, audi nos; nam te trinitas quicquid petis exaudit.

13. O Theos ischyros, vitae dos, salva nos, tibi pro quibus Antonius applaudit.

14. Da tempus poenitentiae, averte morbos validos et epidimiae.

15. Tuos misericordiae in nos converte oculos, o fili Mariae.

16. O Antoni, nostrorum miserere peccatorum: per tuum precatum perduc nos servos tuos in statum, ad te ut possimus transire.

Exstat cantus in officiis vetustis ecclesiae Mindensis, Merseburgensis, Patavicnsis, aliarumque, quem a nobis non propter elegantiam atque suavitatem sed ob rhythmicas rationes receptum esse, spero fore ut nemo non videat. Etenim si spectamus vocum barbariem, sermonem prorsus inconditum et salebrosum vix memini me unquam legisse Prosam magis genuina atque infucata poesi alienam. Ut mittamus stropham primam et ultimam (quae ut saepe proprii sunt rhythmi) continet Prosa septem paria Stropharum: a) II. III. syllab. 35. b) IV. V. syll. 32. c) VI. VII. syll. 35. d) VIII. IX. syll. 63. e) X. XI. syll. 49. f) XII. XIII. syll. 24. g) XIV. XV. syll. 22. Accedunt *ὁμοιοτέλευτα* creberrima, quibus ad taedium usque ludit poeta. — 2. Md. miserorum. 3. Pt. subis. 7. Md. responsumque. Omittit orbem. 9. Md. clareret. 10. Md. suum patr. — traducere. 11. Pt. tacto tui feretro. Pt. Satanae — mortificat. 14. Pt. ac. 15. Pt. om. in.

CLXXXI. *De S. Catharina.*

Ave praeclara Catharina, nam tua tenera vita crudeliter est torta.

Euge regis nata, domino grata, aevo puerili senili culta studio praelucida morum, doctrix bonorum etc.

Habet hanc Prosam Miss. Numburgense. Persimilis est rhythmica ratione antecedenti.

CLXXXII. *De S. Hedwige.*

Consurge iubilans
Vox quaevis hominum,
Laudesque resonant
In ore fidelium
In Christo credentium etc.

Apud Numburgenses, Patavienses aliosque usitata. Accommodatum est carmen Abaelardo (Mittit ad virginem) sed male tornatum.

CLXXXIII. *De S. Corbiniano.*

Deus Deorum, vera sanctorum confessorum gloria tuorum etc.

Miss. Patavience.

CLXXXIV. *De uno Confessore.*

Dilectus Deo et hominibus et erit angelicus adspectus eius etc.

— —

Corpus illius quasi scutum sculptile ornatum gemmis undique etc.

Missalia Pragensis, Pataviensis, Numburgensis ecclesiae.

CLXXXV. *De S. Aegidio.*

Egidio psallat coetus iste laetus Alleluia etc.

Miss. Pataviense.

CLXXXVI.

De S. Iacobo Maiori.

1. Gaudeat Hispania,
Totaque Germania,
Iubilet in domino
2. De triumpho nobili
Iacobi apostoli
Compostellae condito.
3. Zebedaei filium,
Christi consanguineum,
Narrat hunc historia:
4. Hic ut solis radius,
Fulget in primatibus
Visa Christi gloria.
5. A Iosia capitur,
Ad Herodem trahitur,
Funem collo baiulans:
6. Videt paralyticum,
Cui fert auxilium,
Ad tormentum ambulans.
7. Iosias compungitur,
Pedibus adiungitur
Iacobi pro lavacro:
8. Qui post pacis osculum,
Transmigrat ad dominum
Secum cadens gladio.
9. O felix apostole,
Magne martyr Iacobe,
Te colentes adiuva:
10. Peregrinos undique
Tuos clemens protege,
Ducens ad coelestia.

In rhenariis Germaniae provinciis in usu fuisse videtur Prosa. — De martyrio apostoli haec narrantur apud Pelbartum: *Ligatum fune in colle traxerunt ad Herodem Agrippam qui iussit eum decollari. Et cum educeretur, paralyticus in via clamavit ad eum ut ipsum in nomine Iesu sanaret. Ad quem I. ait: In nomine Iesu Christi per quem ducor ad decollandum, exsurge sanus de grabato, et mox sanatus surrexit et dominum benedixit. Quod videns scriba nomine Iosias, qui eum per funem trahebat, proiecit se ad pedes apostoli et Christianum se fieri postulavit. Tunc Abiathar illum etiam ligari faciens missa legatione ad Herodem impetravit ut cum Iacobo decollaretur et sic ambo martyrium consummaverunt.* — 10. Apparet carmen illa aetate confectum esse qua sepulcrum apostoli Compostellae omnium populorum frequentia celebrabatur, ea religione quae stomachum movit Luthero (W. XI, 3104) „*Nun lieset man von St. Jacob nicht mehr, denn dass ihn Herodes habe mit dem Schwert getödtet: das ist es Alles was Lucas in den Geschichten der Apostel davon schreibet. Wie er aber in Hispanien*

kommen ist, gen Compostel, da die grosse Wallfahrt hin ist, da haben wir Nichts gewisses von. Etliche sagen, er lieget zu Frankreich in Tolosa, aber sie sind ihrer Sachen auch nicht gewiss. Darum lasse man sie liegen wie sie liegen und laufe nicht dahin; denn man nicht weiss, ob S. Jacob oder ein todter Hund oder ein todtes Ross da lieget. Sane illa historia de S. Iacobo in Hispaniam profecto et ibi sepulto satis dubia est atque incerta: unde miror quod Brev. Romanum, alias admodum cautum, in hac narratione acquiescat: *Corpus eius postea Compostellam translatum est ubi summa celebritate colitur.*

CLXXXVII. *In Translatione S. Hieronymi.*

Gaude mater ecclesia, recolens cum gaudio Hieronymi magnalia etc.

Miss. Numburgense.

CLXXXVIII.

De Beata Virgine.

1. Gaude mater luminis,
Quam divini numinis
Visitavit gratia
Maria.

2. Salve virgo regia,
Flore, fructu candida,
Divina potentia
Maria.

3. Tu virtutum speculum,
Perlustrasti saeculum,
Luce claritatis
Maria.

4. Plena Dei munere,
Meruisti gignere
Prolem sanctitatis
Maria.

5. Te adorant superi,
Matrem omnis gratiae
Maria.

6. Ad te clamant miseri
De valle miseriae
Maria.

7. Audi preces, terge fletus,
Nos commenda filio
o Maria,
Ut nos tua prece suo
Collocet in solio
o Maria.

Hoc canticum F. Wolfius ex eodem codice libro suo adiecit unde cantum: Laetabundus desumpsit (cf. p. 61.).

De hypopsalmate huic carmini proprio sed in Prosis Marianis haud raro eundem adeas Wolfium p. 197.

CLXXXIX. *De S. Augustino.*

Illuminare Hierusalem, illuminare, Sion elevare etc.

Miss. Numburgense, Pataviense al.

CXC. *De Spinea Corona.*

Iocunda resonent
Obtentu gratiae,
Redempti concrepent
Proventu gloriae
Auctori carmina etc.

In Mindensibus libris obvium, parum elegans.

CXCI.

De S. Colomanno.

1. Laetabundus fidelis in coelis coetus iocundetur,
2. Totus mundus volenter decenter laetus moduletur
3. Colomanni variam pugnam, et victoriam gaudiosam.
4. Qui relinquens Scotiam, casu venit Austriam fructuosam.
5. Explorator creditur, flagris diris caeditur Christi Miles.
6. Serram addunt cruribus, cum tormentis pluribus, hostes vides.
7. Suffocatus resteo Colomannus laqueo, viret restis.
8. Nullo nocens vitio, fruitur suspendio Dei Testis.
9. Multandus obticuit, innocens occubuit,
10. Suum non aperuit os ut agnus.
11. Cohaerens constantiae, non cedit iniuriae.
12. Domum subit gloriae Martyr magnus.
13. Princeps pacis Iesu, libera ab esu infernalis nos tyranni,

Et ad Sabbatorum Sabbatum, polorum prece perduc Colomanni.

Acta Sanct. Octob. Tom. III. p. 353. „Ex binis Missal. Mellic. sc. XV. MSS. et Passaviensibus excusis sc. XVI.“

CXCII.

De S Francisco.

1. Lactabundus Francisco decantet clerus:
Alleluia.

2. Quem confixit nobis clavis amor verus
Res miranda.

3. Mens in carne patuit novo modo splenduit
Sol de stella.

4. Vir qui sic refloruit aves vore monuit
Semper clara.

5. Sicut Christus docuit paupertatem tenuit
Pari forma.

6. Hic prolem genuit, possidere noluit
Nec corrupta.

7. Iam in coelis iubilat, novis signis rutilat
Valle nostra.

8. Renovantur oculi, lingua crevit parvuli
Carne sumpta.

9. Os mutorum solvitur, trinis vita redditur, haeresis convincitur
Esse caeca.

10. Lepra fugit, saliunt claudi, febres fugiunt, multa regna sentiunt
Haec praedicta.

11. Soldani prospera sprevit ut aspera sed hunc non laesit
Gens misera.

12. Ostendunt vulnera novaque munera dat quem genuit
Puerpera.

Auctor Prosae (ex Miss. Numburgensi transscriptae) quam diligenter S. Bernardi vestigia presserit non est quod accura-

tius exponamus. Miracula quorum mentionem facit, vel satis nota vel per sese perspicua sunt. Scis enim, (ut nonnulla obiter commemoremus) b. Franciscum, ut evangelium infidelibus praedicaret, in Aegyptum profectum, coram „Soldano“ Christum crucifixum nuntiasse, ab ipso humaniter susceptum, incolumem dimissum. De avibus, ad miri doctoris monita attentis, multi sunt vitae seraphicae descriptores. Unum exemplum nobis offert Kosegartenius:

Als er einstens vor der Schwalben lautem
Schmettern nicht zu predigen vermochte,
Sprach er freundlich bittend: Liebe Schwestern,
Viel und lang habt ihr gesprochen; nunmehr
Ist an mir die Reihe. Schweigt ein wenig,
Bis ich Gottes Wort dem Volk verkündigt.
Und sie schwiegen, horchten auf die Predigt,
Fuhren fort dann, wie vorhin zu schmettern.

CXCIII.

De S. Erasmo.

1. Mundi renovatio
Et mundorum natio
Martyrum pontificum
Primatem magnificum
Erasmum deifice
Laudat et mirifice
Modulis placentibus.

2. Ignis sacri numinis
Et aeterni luminis
Erasmum perflagravit
Ac manna vitae pavit
Virginalis clibani
In montanis Libani
Corvis ministrantibus.

3. Coelum fit serenius
Et lucescit plenius,
Ornatum amoenius
Hoc stellari radio:
Solamenque suavium
Hic accepit bravium
Currens vir in stadio.

4. Gelu mortis lividae
Die solis vivide
Vincens vicit rivide (?)
Rivos fundens gloriae:
Caesus, laesus angitur
Assus, passus frangitur
Victima victoriae.

5. Viam vitae praedicat,
Vitam functis dedicat,
Imperat imperiis
Non verendo gladium:
Vita mortem superat,
Erasmus recuperat
Tentis in miseriis
Paradisi gaudium.

Haec Missalis Pataviensis Sequentia quae minorum ne dicam minimarum est gentium, hunc locum nacta est ne desit carmen ad normam Prosae Paschalis Mundi renovatio (LXXXIV.) compositum. Vides poetam nostrum (si hoc nomen meretur) fere ubique adeo stropharum initia diligenter servavisse.

CXCIV. *De S. Burchardo.*

Psallat laete orbis coetus sacrata fide repletus etc.

Miss. Patavienae.

CXCV. *De S. Margareta.*

Regi psalmistae, citharistae tibi Christe iubilo psallamus etc.

Legitur in Officiis Numburgensis ecclesiae.

CXCVI. *De uno Martyre.*

Salvatorem concordi laudemus Christum melodia etc.

In antiquo ecclesiae Coloniensis Missali.

CXCVII.

De B. Elisabeth Schonaugiensi.

1. Salve, felix Elisabeth, odorifera rosa,
   In Dei mirabilibus virgo satis famosa.
2. Salve viarum Domini devota contemplatrix,
   Simulque individuae Trinitatis amatrix.
3. Salve Mariae Virginis filia singularis,
   Nam ab ea in extasi crebro visitabaris.
4. Salve cuius aspectui sancti apparuere,
   Nam eos festis singulis meruisti videre.
5. Salve fons, plenus rivulis scientiae divinae,
   Guttas stillans mellifluas deificae doctrinae.

6. Salve vernans arbuscula silvae Schonaugiensis,
Circumdata ramusculis visionum immensis.

7. Salve cui caeli ianuae apertae videbantur,
Secretaque caelestia inibi monstrabantur.

8. Salve absque ruga speculum, in quod desiderabant
Caeligenae prospicere: nam multum te amabant.

9. Salve, quae clausam pyxide Sacramenti vidisti
Clam verae carnis speciem corporis Iesu Christi.

10. Eia nunc benignissima, in caelis sublimata,
Quae es, (ut pie credimus) sis nobis Advocata.

11. Defende hoc coenobium, nosque inhabitantes:
Mei, rogo, memineris, nosceque te amantes.

12. O Virgo, fac, ut ingiter religio accrescat,
In nostro monasterio, ne profectus decrescat.

13. Repelle, quaeso daemonum cunctas illusiones,
Angelorumque nobis obtine munitiones.

14. Cuncta nobis contraria tu ora mitigari,
Prospera quaeque tempora exopta nobis dari.

15. O virgo devotissima, virtutibus decora,
Apud Deum altissimum, rogamus, elabora;

16. Ut nos ad se recipiat, cum hinc egrediemur;
Praestetque nobis praemium, quo aeterne laetemur.

17. Deo Patri sit gloria, eiusque sacro Nato,
Aequalisque spiritui gloria sit beato. Amen.

Acta Sanct. Iun. Tom. III. p. 605.

CXCVIII. *De S. Anna.*

Sanctae Annae devotus decantet chorus
Alleluia:
Cuius partus salutem produxit mundo
Res miranda etc.

Miss. Pr. Nb. al. Cf. Seqt. CLXXXIX.

CXCIX. *De S. Catharina.*

Sanctissimae virginis votiva festa recolamus,
Venerantes hunc diem praeclarum omnes concinamus,
Concrepet organicis modulis et canticis laude digna:
Proferat haec concio laudes et devotio sit sincera etc.

Per multas ecclesias Germaniae haec Prosa erat divulgata. Habent eam Pr. Nb. Br. Pt. Md. Col. Torr. Ad. Clichtov. al.

CC.

De Beata Virgine.

1. Veni mater gratiae,
Fons misericordiae,
Miseris remedium.

2. Veni lux Ecclesiae,
Tristibus laetitiae
Nunc infunde radium.

3. Te reginam colimus,
Tibi laudes canimus
Ex affectu cordium:

4. Quae es in angustiis
Et in rebus dubiis
Salus et solatium.

5. O stella perfulgida,
Tu dira certamina
Maris huius reprime.

6. Simonis navicula,
Filii tunicula,
Ne scindantur prohibe.

7. Portus navigantium,
Preces supplicantium
Filiorum suscipe.

8. Consolare flebiles,
Iuva pusillanimes
Et errantes corrige.

9. Quae Deum hominibus
Et ima coelestibus
Iungis o puerpera.

10. Haereses interime
Schismataque reprime,
Firma pacis foedera.

Chemnitius in Examine Concil. Trident. haec habet: „Postremo addam hoc loco Sequentiam (ut barbare vocant) in Concilio Constantiensi decantatam, in honorem atque invocationem Mariae, ut eo minus tergiversari nunc possint Pontificii, quid invocationibus suis Sanctis tribuerint. Quod enim vetus Ecclesia spiritui sancto pie tribuit. Veni sancte Spiritus, et emitte coelitus, lucis tuae radium: Hoc Constantiense Concilium eodem genere carminis, et eadem melodia, publica invocatione a Maria petit.“ Sed iam saepius quid Mariae tribuendum, quid denegandum sit, disputavimus. Inhibeamus igitur calamum.

CCI. *In Visitatione Mariae.*

Veni virgo virginum,
Veni lumen luminum etc.

Miss. Pragense.

CCII. *In Compassione B. Virginis.*

Virgini Mariae laudes concinant Christiani etc.

Exstat in Miss. Mindensis et Pragensis ecclesiae. Persimilis est rhythmica ratione carmini sequenti.

CCIII.

De Beata Virgine Tempore Paschali.

1. Virgini Mariae laudes intonent Christiani:
2. Eva tristis abstulit sed Maria protulit natum qui redemit peccatores.
3. Mors et vita duello conflixere mirando: Mariae filius regnat vivus.
4. Dic nobis Maria, virgo clemens et pia, quomodo facta es genitrix cum tu sis plasma de te nascentis.
5. Angelus est testis ad me missus coelestis:
6. Natus est de me spes mea, sed incredula manet Iudaea.
7. Credendum est magis soli Gabrieli forti quam Iudaeorum pravae cohorti.
8. Scimus Christum processisse de Maria vere, tu nobis victor rex miserere.

In plurimis Germaniae Missalibus occurrit hoc ad vetustioris Prosae imitationem compositum carmen, ita tamen ut scriptura mirum in modum sit multiplex atque ambigua.

c) Carmina non in strophis longioribus (Langzeilen) composita, ὁμοιοτελεύτοις certo ordine ac serie collocatis insignia.

a) Tricola.

CCIV.

In die Sanctorum Gereonis et Victoris ac sociorum.

1. Maiestati sacro sanctae
Militans cum triumphante
Iubilet ecclesia.

2. De triumpho Thebaeorum
Et salute peccatorum
Per horum suffragia.

3. Hi sunt viri testamenti
Qui ruinam detrimenti
Reparant angelici:

4. Viri fortes veri David,
Quibus hostes expugnavit
Carnem, mundum, daemonem.

5. Cives domus Pharaonis
Civitatem visionis
Visitant et praesulem:

6. A quo sacri catechismi,
Sacramentis et baptismi
Imbuuntur gratia.

7. Romae fide confirmati,
Castra movent comitati
Romanorum aquilas.

8. Dis profanis immolari,
Iubet Caesar et vocari
Thebaeorum agmina.

9. Sed Thebaei, viri Dei,
Quae sunt Dei reddunt ei,
Caesari quae Caesaris.

10. Bis viritim decimati
Summae libant maiestati
Decimarum decimum.

11. Demum cunctis immolatis
In odorem suavitatis
Differuntur aliqui:

12. Qui in partes distributi
Distributi sunt saluti
Plurium fidelium.

13. In Verona, Agrippina,
Et in Troia: loca trina
Consecrant martyrio:

14. Holocaustum partiale,
Nullum tamen sine sale,
Foederis oblatio.

15. Cum trecentis et bis nonis
Signat comes Gereonis
Abrahae victoriam.

16. Bis quindenis et ter centum
Duplex Victor testamentum
Et crucis mysterium.

17. Pius Cassius cum septenis
Septiformi dono plenis,
Dono sancti pneumatis.

18. Iesu bone cuius dona
Nostra bona, qui corona
Es tuorum militum.

19. Hac patrona legione
Nos in bonis summe bona
Loca potioribus.

20. Ubi patris, ubi tui
Et amoris sacri frui
Mereamur gloria.

Adelphus: „In Celebritate Sanctorum Gereonis et Victoris cum eorum Sodalitio haec Sequentia canitur, maxime in ecclesia Coloniensi.“ Et ab ipso Coloniensi Canonico eam confectam esse narrat Schultingius. — 3. Angelorum numerum, daemonum seditione diminutum, haec sancta complet legio. 4. Veri milites Christi quibus praeliatur praelia sua. 5. Viri ex Thebis oriundi visitant Hierosolymam urbem atque episcopum eius. 11. Differuntur, ad praesens non obtruncantur. 13. Ad.: *In Troia non illa devastata Asiae regionis qua Aeneas profugit, sed alia quadam in Gallia vel ut aliis placet in Italia sita.* 14. Sine sale i. e. sensu mystico. Nam quaelibet pars trium partium aliquid per mysterium significat. Mc. IX: 48. *Omnis enim igne salietur et omnis victima sale salietur.* 15. Cf. Genes. XIV. Similiter in Hymno Coloniensis ecclesiae vetusto:

Tu Gereonem praepotentem militem
Viris trecentis bis novenis additis
Ut castra quondam praenitebant Abraam.

β) Tetracola.

CCV. *De Venerabili Sacramento.*

Ave caro Christi
Regis veneranda,
Esca gregis, novae
Legis adoranda etc.

Miss. Pragense. Respondet metrum Hymno Mariano: Ave maris stella.

CCVI. *De Beata Virgine.*

O stella maris, ave,
Gratia summa plena,
Nobis quaesumus fave,
Ne absorbeat nos gehenna.

Tu votum virginale
Deo novisti prima,
In hac fove nos valle,
Ne tendamus ad ima etc.

Deprehendi carmen minus suave et elegans in Italis tantum Missalibus e. g. Rm. Vn. aliisque.

CCVII.

De S. Sebaldo.

1. Concinamus pariter,
Et Deum laudemus.
Sebaldum alacriter
Votis provocemus.

2. Hic de Francis genitus
Propinquos postergat;
Quamvis natus inclytus,
Ne in nefas vergat.

3. Merito Vincentiam
Eremum elegit,
Vincat ut malitiam
Se Deo subegit.

4. Paucos contubernio
Eremo assumit,
Vivit soli Domino
Abs quo nil praesumit.

5. Visitat miraculis
Hunc Deus frequenter
Notum fecit patulis
Factis pertinenter.

6. Famem patientibus
Fert refectionem,
Sitim sustinentibus
Miram potionem.

7. Aquam vertit in vinum
Diu duraturum,
Panem opus alivinum
Praestat opportunum.

8. Mortuus deducitur
Rudibus iumentis
Norimberg perducitur
Divinis fomentis.

9. Stant in loco humili
Nec abinde cedunt,
Donec loci populi
Locum sacrum edunt.

10. Transferri se coeperat,
Nil per hoc secutum,
A Scotis redierat
Corpus revolutum.

11. Ad locum divinitus
Primum vehebatur,
Factum illud coelitus
Cunctis propalatur.

12. Illudentis facies
In plaga notatur
Mulieris species
Passa commutatur.

13. O Sebalde propera
Tuos hic tueri,
Et devotos munera
Vultu Dei veri.

14. Tibi laudes agimus
Triplex in Personis,
Cuius esse dicimus
Merae actionis.

Act. Sanct. August. Tom. III. p. 762. „Nescio quandonam aut ubi recitari coeperit Missa propria de S. Sebaldo, quam inter schedas nostras collectaneas inveni, cum ibi nihil

de tempore aut loco annotatum fuerit. Attamen suspicor, illam antiquitus in ecclesia Norimbergensi usitatam fuisse. Hoc dubium nostrum dissolvere poterunt ii, quibus ad manum est vetus istius ecclesiae Missale, quo nos caremus.“ Nescio an inclyta Norimbergensis civitatis ecclesia quae ad hodiernum usque diem S. Sebaldi corpus, artificiosa theca conditum honorifice asservat, unquam habuerit Officium proprium. Neque tamen Norimbergae solum sanctum illum eremitam celebratum esse credas. Inspexi vetusta Misnensis ecclesiae Officia atque inveni in Calendario festivitatem eius positam hymno proprio (CCCCLVI.) insignem. Hodie nisi fallor nomen Sebaldi non amplius in doecesium Directorium inscriptum occurrit: qua propter adiicere libet, quae Hondorffius (vide supra p. 161) de eo rettulit: „Dieser Sebaldus ist eines hohen Geschlechts, eines Königes Sohn, aus Dacia gewesen und ist von Jugend auff zur Zucht und Gottesfurcht gehalten worden und nach begreiffung der freien Künste gehn Parifs gezogen und allda ferner studieret. Endlich ist ihm eine stattliche Braut verheyratet worden, hat aber dieselbige die erste Nacht verlassen und in eine ferne Einöde gelauffen und fünfzehn Jare darinnen gelebt. Von dannen ist er gen Rom kommen, und von Bapst Gregorio II. in Teutschland gesendet worden, allda das Evangelium zu predigen und allda ferner bei Nürnberg in einer Einöde gelebet und daselbst letzlich in einer Capellen S. Martini, da jetzund ein Closter S. Benedicten Ordens und zu Sanct Egydien genannt ist, seliglichen verschieden. Dieses verstorbenen Sebaldi Leichnam ist von ungezämpten Ochsen an den Ort dess Begräbniss geführet und ist allda eine herrliche Kirche in seinem Namen gebaut worden. Und es haben darnach die Römischen Bäpste diesen Sebaldum in die Zahl der Heiligen geschrieben. Und Martinus der 5. hat seinen Tag auf den 19. Septembris järlichen zu begehen geordnet.“ Aliis locis die XVIII. Augusti festum eius peragebatur.

CCVIII. *De Vidua vel non Virgine.*

Mulier laudabilis,
Fortis, casta, parens
Mulieris sterilis
Opprobrio carens.

Haec fructum tricesimum
Dedit coniugata,
Sed et sexagesimum
Viro vidnata etc.

In Liturgiis Coloniensis ecclesiae. Recte eam aestimat Schultingius: „Etsi satis est pia ac sententiosa, caret tamen venustate et elegantia sermonis.“

CCIX. *De S. Georgio.*

Hoc in natalitio
Martyri Georgio
Laudes solvet animas
Piae plebis caritas etc.

Miss. Pragense.

CCX. *In Visitatione Virginis.*

Ave verbi Dei parens
Virginum humilitas,
Ave omni naevo carens
Humilis virginitas etc.

Idem liber.

CCXI.

De Patronis Coloniensibus.

1. Gaude felix Agrippina,
Sanctaque Colonia,
Sanctitatis tuae bina
Gerens testimonia.

2. Postquam fidem suscepisti,
Civitas praenobilis,
Recidiva non fuisti,
Sed in fide stabilis.

3. Gereonis cum bis nonis
Trecentena concio,
Et Maurorum trecentorum
Sexaginta passio:

4. Te tinxerunt et sanxerunt
Virginumque millium
Undenorum et decorum
Exornat martyrium.

5. Severinus, Cunibertus,
Evergistus inclyti:
Agilolphus, Heribertus,
Patres urbis praediti.

6. Felix, Adauctus, Albinus,
Maurinus, Eliphius,
Hippolytus et Paulinus,
Ewaldi et Gregorius.

7. Felix, Nabor, hi cum tribus
Magis urbs sanctissima,
Te tuentur tribus quibus
Polles famosissima.

8. Ut vobiscum, supplicamus,
Patroni propitii,
Gloriose resurgamus
In die iudicii.

Adiecimus carmen ut habeas exemplum Prosae, plurium Sanctorum laudes decantantis, vel collectivae. Similia ferebantur de quatuordecim Auxiliatoribus.

CCXII. *In Festo Decem Millium Martyrum.*

Glorietur totus mundus
(In) martyrum sollemnia.
Chorus cantat laetabundus
(Per) militum suffragia etc.

Miss. Pragense.

CCXIII.

De Martyribus.

1. O beata beatorum
Martyrum sollemnia,
O devote recolenda
Victorum certamina.

2. Digni dignis fulgent signis
Et florent virtutibus,
Illos semper condecenter
Veneremur laudibus.

3. Fide, voto, corde toto
Adhaeserunt domino,
Et invicti sunt addicti
Atroci martyrio.

4. Carcerati, trucidati,
Tormentorum genera,
Igne laesi, ferro caesi
Pertulerunt plurima.

5. Dum sic torti cedunt morti
Carnis per interitum,
Ut electi sunt adepti
Beatorum praemium.

6. Per contemptum mundanorum
Et per bella fortia
Meruerunt angelorum
Victores consortia.

7. Ergo facti cohaeredes,
Christo in coelestibus
Apud ipsum vota nostra
Promovete precibus.

8. Ut post finem huius vitae
Et post transitoria
In perenni mereamur
Exultare gloria.

Pulcherrimum carmen reperitur in plurimis Germaniae Missalibus, apud Clichtovaeum, Adelphum, Torrentinum. — 1. Mg. m. merita. 4. Ad. trac. pertulerunt pl. — caesi torment. genera. 6. Ad. victorum cons. 7. Ludecus caute correxit: ipsum ergo toto corde flagitemus precibus. 8. Pr. ex patria.

CCXIV.

De Beata Virgine.

1. O felicem genitricem,
Cuius casta viscera
Meruere continere
Continentem omnia.

2. Felix venter quo clementer
Deus formam induit,
Felix pectus in quo tectus
Rex virtutum latuit.

3. Felix alvus, quo fit salvus
Homo fraude perditus,
Felix sinus quo divinus
Requievit spiritus.

4. Hac in domo Deus homo
Fieri disposuit:
Hic absconsus pius sponsus
Novam formam induit.

5. Hic natura, frangens iura
Novo stupet ordine:
Rerum usus est exclusus
In praesenti virgine:

6. O mamilla cuius stilla
Fuit eius pabulum,
Qui dat terrae fructum ferre
Pascit omne saeculum.

7. O Maria mater pia,
Finis et exordium,
Posce natum, ut optatum
Det nobis remedium.

8. Quo sanati sauciati
Sine sorde vulnerum
Transferamur et ducamur
In sanctorum numerum.

Optima Prosa ponitur a Missali Pragensi in Octava Visitationis, a Numburgensi Officio beatae Virginis tempore Ascensionis peragendo. — 1. Nb. pia. 6. Paul Gerhardt:

Du kehrst in fremder Hausung ein,
Und sind doch alle Himmel dein,
Trinkst Milch aus eines Menschen Brust
Und bist doch aller Engel Lust.

Sane vero illud mamillarum atque uberum praeconium, persaepe in hymnis, Sequentiis atque Officiis beatae Virginis repetitum habet indecori quid atque inverecundi. Ansam dedit et ille sacrae scripturae versiculus: Beata ubera, quae su-

xisti — et Cantici Canticorum dialogi, mystice ad beatam Virginem revocati.

CCXV. *De S. Christophero.*

Invictum Christi militem
Collaudemus Christopherum,
Qui triumphum per nobilem
Superavit diabolum.

— — —

Ad aquas prius fluvii
Christi servus resederat,
Per quem multos spe praemii
Propter Deum transtulerat.

Natus puer ex virgine
Dum ab eo transvehitur,
Deus ferri ab homine
Signis multis cognoscitur etc.

Ex Miss. Numburgensi. Enarrata est in hoc carmine Legenda S. Christopheri, quam permulti ecclesiae Romanae cives cum Hieron. Vida explicant:

Christophore, infixum quod eum usque in corde gerebas,
Pictores Christum dant tibi ferre humeris.

Unde fluxerint illa de ingenti hujus Martyris proceritate, non male explicat I. B. Rousseau (Purpurviolen der Heiligen II. p. 74.). „Eine alte Tradition meldet, Niemand könne jähen Todes an dem Tage sterben, wo er das Bild Christophs rezmüthig angeblickt habe. *) Dieser Glaube veranlasste jene colossalen Statuen: —

Unsre Väter, sorgsam wachend,
Dass kein Herz verloren sei,
Malten deshalb riesig, lächend
Ueber Thor und Sacristei,
Wo das Aug es sehen muss,
Bilder von Christophorus.“ —

Restat ut notemus illas fabulas magis in populo versatas esse quam in libris ecclesiasticis. Equidem in nullo breviario istas narrationes investigavi. Vetusti Italorum libri brevissime ita

*) Christophore sancte, virtutes sunt tibi tantae:
Qui te mane videt nocturno tempore ridet,
Nec Satanas caedat, nec mors subitanea laedat.

munere defunguntur: „In Lycia civitate Samon natale Sancti Christophori Martyris. Qui virgis ferreis attritus et flammis aestuatus incendii Christi virtute sanatus est. Ad ultimum sagittarum ictibus confossus martyrium capitis obtruncatione complevit.“ In Breviario Romano hodierno fit tantum de eo Commemoratio. Lutherus prolixe quidem superstitiosas de S. Christophoro traditiones refutavit (W. III. p. 1730: sqq.), tamen cum non is esset, qui tam pulchram atque ingeniosam allegoriam non curaret sed prorsus vilem haberet eiusdem sensum populo Christiano explicuit ac commendavit. Cf. W. XXII, p. 1992. „Doctor M. Luther predigte von S. Christoph auf seinem Tage und sagte, dass es keine Historie wäre, sondern die Griechen als weise, gelehrte und sinnreiche Leute hätten solches erdichtet, anzuzeigen, wie ein Christ sein sollte und wie es ihm ginge; nämlich ein sehr grosser, langer, starker Mann, der ein kleines Kindlein, das Jesulein auf der Achsel oder Schulter trägt, ist aber so schwer, dass er sich unter ihm bücken und biegen muss; durch das wüthende wilde Meer die Welt, da die Wellen und Bulgen, die Tyrannen und Rotten sammt allen Teufeln wollten zu ihm einschlagen und verfolgen, wollten ihn gern um Leib und Leben, Gut und Ehre bringen; er aber hält sich an einen grossen Baum, wie an einen Stecken, das ist an Gottes Wort. Jenseit dem Meer stehet ein altes Männlein mit einer Latern, darinnen ein brennend Licht ist (?), das sind der Propheten Schrift, danach richtet er sich und kommt also unversehrt ans Ufer, da er sicher ist, das ist in das ewige Leben. Hat aber einen Wetzschker an der Seiten, darinnen Fische und Brod stecken, anzuzeigen, dass Gott seine Christen auch hier auf Erden in solcher Verfolgung, Creuz und Unglück, so sie leiden müssen, ernähren und den Leib versorgen will und sie nicht lassen Hungers sterben; wie doch die Welt gerne wollte. Ist ein schön Christlich Gedicht.“ Similia proferuntur a Phil. Melanthone in Apologia Confessionis.

CCXVI. *De S. Francisco.*

Exulta Sion filia,
Laudans inserutabilia
In Francisco consilia
Divina mirabilia.

Qui mirus hic ingrediens,
Mirificus progrediens,
Securus hinc egrediens,
Sanctus sanctos aggrediens etc.

Miss. Patavienſe.

CCXVII. *De S. Bartholomaeo.*

Laudemus omnes inclyta
Bartholomaei merita,
Cuius sacra solemnia
Nobis inspirant gaudia etc.

Colonienses hac Prosa in ecclesiis utebantur.

CCXVIII.

In conceptione Mariae.

Conceptio Mariae virginis,
Quae nos lavit a labe criminis,
Celebratur hodie,
Dies est laetitiae.

Stella nova noviter oritur,
Cuius ortu mors nostra moritur:
Evae lapsus iam restituitur
In Maria.

De radice Iesse propaginis
Hanc eduxit sol veri luminis
Manu sapientiae
Suae templum gloriae.

Ut aurora surgens progreditur,
Velut luna pulcra describitur,
Super cuncta ut sol erigitur
Virgo pia etc.

Miss Pataviense.

γ) Prosa quinque partita.

CCXIX.

De S. Elisabeth.

1. Florem mundus protulit
Cuius odor contulit
Spem salutis
Constitutis
In valle miseriae.

2. Fructus huius flosculi,
Clarus ut carbunculi,
Cor accendit,
Dum perpendit
Gustum poenitentiae.

3. Fragrat mundus ex odore,
Exardescit in amore
Corde toto
— — — voto
Surgit in praeconia.

4. Claudis gressus reparatur,
Caecis visus restauratur,
Quies fessis,
Pax oppressis
Eius per suffragia.

5. Magnus et mirabilis
Deus et laudabilis
Novum refecit,
Dum refecit
Mundum tot auxiliis.

6. Inter quae haec famula
Elisabeth per saecula
Regnans orat,
Dum explorat
Gustum in deliciis.

7. Christi et ecclesiae
Ergo poenitentiae
Se immersit,
Vini abstersit
Fletus et tristitiae.

8. Huius Christe precibus
Placare fidelibus,
Ut cum illa
Ad tranquilla
Perducamur gaudia.

Hanc Miss. Numburgensis Sequentiam in quinquepartitis posuimus, quia in Stropha 7 et 8 quinto loco desiderantur *ὁμοιοτέλευτα*. In Stropha Tertia procul dubio vocula excidit.

δ) Hexacola.

CCXX. *De S. Feliciano.*

Ad concentus animemur
Et psallendo collaetemur
Piis cum intentibus:
Voces votis subornemus,
Ut decenter concordemus
Festis in praesentibus etc.

Miss. Mindense.

CCXXI.

In Praesentatione Virginis.

1. Altissima providente
Cuncta recte disponente
Dei sapientia,
Uno nexu coniugatis
Ioachim et Anna, gratis
Iuga sunt sterilia.

2. Ex cordis affectu toto
Domino fideli noto
Se strinxerunt pariter:
Mox si prolem illis dare
Dignetur, hanc dedicare
In templo perenniter.

3. Angelus apparuit
Lucidus qui docuit
Exaudita vota:
Regis summi gratia
Ut his detur filia
Gratiosa tota.

4. In utero consecrata,
Miro modo generata,
Gignet mirabilius:
Altissimi patris natum
Virgo manens, qui reatum
Mundi tollet gratius.

5. Benedicta virgo nata
Templo trina praesentata

It ter quinis gradibus,
Erecta velox ascendit
Et uterque parens tendit
Se ornando vestibus.

6. Nova fulsit gloria
Templum, dum eximia
Virgo praesentatur:
Edocta divinitus,
Visitata coelitus,
Angelis laetatur.

7. Dum ut nubant inbet multis,
Princeps puellis adultis
Primo virgo renuit:
Ipsam namque devovere
Parentes ipsa manere
Virgo voto statuit.

8. Consultus Deus responsum
Dat, ut virgo sumat sponsum
Quem pandet flos editus:
Ostensus Ioseph puellam
Ad parentum duxit cellam,
Nuptiis sollicitus.

9. Tunc Gabriel ad virginem
Ferens conceptus ordinem
Delegatur:
Erudita stat tacita,
Verba quae sint insolita
Meditatur.

10. At cum ille tradidit
Modum, virgo credidit,
Sicque sacro flamine
Mox verbum concipitur,
Et quod nusquam claudtur
Conditur in virgine.

11. Ecce virgo singularis,
Quanta laude sublimaris,
Quanta fulges gloria:
Nos ergo sic tuearis,
Ut fructu quo gloriaris
Fruamur in patria.

Haec Prosa supra modum incompta assignatur in plurimis libris Germaniae et (quod miror) in Missali Eremitarum S. Augustini Italo (Aug. 1.) Festo Praesentationis. Poeta in tantas salebras, in tantas asperitates et incultas incidit orationis formulas, ut quod sit latini sermonis ingenium immo pronunciatio illum prorsus ignorasse apertum sit. Admisimus tamen, quoniam Sequentiae de Praesentatione sunt inter rarissimas. *) — 1. Aug. 1. providentia. 2. Aug. 1. et cordis. 3. Pt. ut det illis filia. 4. Aug. 1. gigne. 5. Pt. erecta mox asc. Aug. 1. inter — ornanda se. Brev. Halberst. *Quae dum posita esset ante templum quindecim gradu templi, ita cursim ascendit, ut penitus non respiceret, nec ut solitum est infantiae, parentes requireret — — insistebat lanificio et omnis quae mulieres antiquae facere non poterant, ista in tenera aetate posita*

*) Nam quam affert Nickelius (Heilige Zeiten III, 2. S. 222): Stirpe Maria regia etc., proprie pertinet ad Festum Nativitatis

complebat. 6. Pt. templo. Aug. l. nova fulgens fit gloria. 7. Aug. ipsi. 7. 8. Notissimam tangit poeta fabulam, celebratissima Rafaelis pictura insignem cf. H. CCLXX, 5—8.

Virga quam sanctis manibus gerebat
Aridam, mire subito virescens
Virginis monstrat Mariae maritum
Virginem Ioseph.

In hodierno ecclesiae Romanae officio altum servatur de omnibus illis narrationibus silentium, nec alio modo festi materia tractatur quam verbis Ioannis Damasceni (Lect. IV.): *In lucem autem editur in domo probaticae Ioachim atque ad templum deducitur ac deinde in domo Dei plantata atque per spiritum saginata instar olivae frugiferae omnium virtutum domicilium efficeretur.* 9. 10. Pt. fitque sacro flamine. Aug. l. perperam: verba quae sint insolita ut cum ille tradidit modum virgo tradidit.

CCXXII. *De S. Anna.*

Coeli regem attollamus
Et in voces erumpamus
Laudium per cantica:
Qui per Annam radiare
Sidus fecit salutare
In matre deifica etc.

Miss. Patavience.

CCXXIII.

De Apostolis.

1. Coeli solem imitantes,
In occasu triumphantes
Ortum solis afferunt:
Solis ortum et occasum,
Quorum omnes ita casum
Terrae fines referunt.

2. Petrum, Paulum et Andream
Per Neronem, per Aegeam
Roma, Patras perimunt:
Herodes et gens Hebraea
Iacobis et in Iudaea
Binis vitam adimunt.

3. Iuda surgit in Matthiam,
Dum ostendit ei viam
Coelestis praeconii:
Cyprus surgit in doctorem
Barnabam, dum sibi rorem
Stillat evangelii.

4. Ioannes ut est vocatus
Ab Epheso est translatus
Ad Christi convivia:
Mauri trucidant Matthaeum,
Et Iudi Bartholomaeum,
Et Philippum Scythia.

5. Thomam Indi, Iudam Persae
Simonemque, sic diverse
Coeli coelos penetrant:
Sic ascendunt coeli coelos,
Ubi Christo fundunt melos
Nobis vitam impetrant.

6. Marcus Petrum imitatus
Protopraesul immolatus
Est in Alexandria:
Lucas Pauli comes fidus
Post prolatum duplex sidus,
Dormit in Bithynia.

7. His patronis vitae donis
Christe nos accumula,
Ut queamus quod speramus
Tenere per saecula.

Inter rariores numerandus est cantus. Inveni apud Clicktovaeum, in Cod. M. 17. et in nonnullis Missalibus Ordinis Eremitarum.

CCXXIV.

In Conceptione Beatae Virginis.

1. Dies laeta celebretur,
In qua pie recensetur
Mariae conceptio.
Cuius laudes prosequamur
Nos qui tanto gratulamur
Dei beneficio.

2. Felix quidem est conceptus,
Per quem mundus est adeptus
Salutis remedia:
Hanc prophetae praeviderunt,
Patriarchae recenserunt
Inspirante gratia.

3. Virga florem conceptura,
Stella solem paritura
Hodie concipitur:
Flos de virga processurus,
Sol de stella nasciturus
Christus intelligitur.

4. Flore virga fructifera,
Sole stella lucifera,
Solis lucens lumine,
Semen regis decoratur,
Ritus legis innovatur
Hoc felici germine.

5. O quam felix, quam praeclara
Mundo grata, Deo cara
Fuit haec conceptio:
Qua salute destitutis
Redit vere spes salutis
Luctus cedit gaudio.

6. Aegrum dedit sanitati,
Falsum parit veritati,
Dum virgo concipitur.
Fides nostra approbatur,
Infidelis obcaecatur,
Propheta percipitur.

7. Virga Iesse floruit,
Christum virgo genuit,
Virgo mundi domina,
Novo quidem ordine,
Absque viri semine
Viram parit filia.

8. Novus ortus sic orditur,
Novo partu qui fulcitur
Gratiae spiramine:
Nova salus dat salutem,
Virtus nova fert virtutem
Officio flamine.

9. Nova mater novam prolem,
Nova stella novum solem,
Nova profert gaudia.
Nova prorsus genitura
Creatorem creatura
Patrem parit filia.

10. O mirandam novitatem,
Novam quoque dignitatem
Ditat matris castitatem
Filii conceptio.
Gaude virgo gratiosa,
Virgo flore speciosa,
Mater prole gloriosa,
Plena pleno gaudio.

11. Plaude domus sanctitatis,
Plaude forma castitatis,
Medicina sanitatis
Infirmis peccamine.
Ave lumen tenebrosis,
Salve virtus criminosis,
Vale quies laboriosis
Tuo suffragamine.

12. Tu spes certa miserorum,
Vera mater orphanorum,
Tu levamen oppressorum,
Medicamen infirmorum,
Omnibus es domina.
Te laudamus voce pari,
Laude digna singulari,
Ut errantes in hoc mari
Nos in portu salutari
Sistat tua gratia.

In Missalibus ecclesiae Brandenburgensis, Coloniensis aliisque. Habent praeterea carmen Adelphus et Clichtovaeus.

CCXXV. *In Inventione S. Stephani.*

Exultemus et laetemur
Et in Deo gloriemur,
Qui est vera gloria:
Per quem nobis sunt beati
Hac in die revelati
Sancti plena gratia etc.

Missa. Patauiense.

CCXXVI. *De S. Margareta.*

Gratuletur orbis totus,
Praesens coetus fit devotus
Iubilans in gaudio:
Ad honorem Margaretae,
Quam locavit in quiete
Sua grandis gratia etc.

In Missalibus Germaniae superioris.

CCXXVII.

De S. Eskillo M.

1. Hac in die gloriemur
Et devote veneremur
Eskilli solennia:
Qui pro fide lapidatus

Iam a Christo sublimatus
Residet in gloria.

2. Transit rigor hiemalis,

Novus floret flos vernalis
In salutem gentium;
Error cedit, sublimatur
Christi fides, augmentatur
Numerus fidelium.

3. Dum pagana gens honora
Deos, Deum Praesul ora
Signum dari coelitus:
Mox nix, grando descendentes,
Deos, aras, subvertentes
Destruxerunt penitus.

4. Hostes sternit vis Sampsonis,
Lampas lucet Gedeonis,
Dum Praesul occiditur:
Infideles cuncti credunt,
Aegri clamant et accedunt,
Quibus salus redditur.

5. Nos aegrotos prece sana,
Quos impugnat caro vana,
Mundus et daemonia,
Pater, tutor, dux Sueorum
Nos concives fac sanctorum
In superna curia.

Acta Sanct. Iun. Tom. II. p. 598. „Ex veteri Missali Sueco, saeculo decimo quinto excuso.“

CCXXVIII. *De S. Gorgonio.*

Hac in die triumphali
De triumpho spiritali
Nostra plaudat concio,
Reverenter solvens vota,
Puro corde, mente tota
Martyri Gorgonio etc.

Ex Missali ecclesiae Mindensis. Haec enim S. Gorgonium colebat ut patronum primarium, duasque ipsi per annum celebravit festivitates: Natale eius (IX. Spthr.) cum Octava et Adventum Reliquiarum S. Gorgonii (XI. Mart.)

CCXXIX. *De S. Achatio.*

Hodiernae festum lucis
Est Achatii laus ducis
Atque decem millium:
Hermolao phalanx ista
Archipraesule baptista
Dei colit filium etc.

Miss. Patavienſe.

CCXXX.

De Lancea Domini.

1. Hodiernae festum lucis
Et sollemne vitae ducis
Pro victrici lancea:
Decantemus laudes ei,
Quem transfixit vice rei
Haec salutis framea.

2. Omnis utriusque sexus
Te stringebat culpae nexus
Et mortis angustia:
Psalle illi qui resolvit
Culpam, poenam pro te solvit,
Vitae dans remedia.

3. Ave, ferrum triumphale,
Intrans pectus tu vitale
Coeli pandis ostia:
Fecundata tu cruore
Felix hasta nos amore
Per te fixi saucia.

4. Florens cruor quem fuderunt,
Artus Christi quos foderunt
Clavorum fixoria:
Fusa per te ac rigata
Et per clavos solidata
Nostra sint praecordia.

5. Salve Iesu Nazarene,
Tu pro nobis mortis poenae
Affectus iniuria:
Placa patrem maiestatis,
Ut in aevum cum beatis
Nos coronet gloria.

Ex Missali ecclesiae Numburgensis, quae festum Lanceae peragebat infra hebdomadem Dominicae primae post Pascha. — 4. Florens an Fluens? Sed saepissime comparantur vulnera Christi cum florentibus rosis: et apud profanes scriptores eadem similitudo recurrit. Conferas etiam Calderonium (Andacht zum Kreuz):

Gern' möcht ich vor dem unschuldgen
Blute hier die Augen schliessen,
Das um Rache schreit, in vollen
Purpurnelken sich ergiessend.

CCXXXI. *De Beata Virgine.*

Hodierna lux diei
Celebris in matris Dei
Agitur memoria:
Decantemus in hac die
Semper virginis Mariae
Laudes et praeconia etc.

In plurimis ecclesiis haec Prosa vel in Praesentatione vel in Conceptione Virginis decantabatur.

CCXXXII. *De S. Antonio Er.*

In hac die laetabunda
Nostri chori plebs iucunda
Psallat cum tripudio:
Ex hac die triumphali
Laudes, voto speciali
Persolvat Antonio etc.

Miss. Numburgense.

CCXXXIII.

De S. Ioanne Bapt.

1. In occursum Praecursoris,
Concurrenti cordis, oris,
Curramus obsequio,
In lucerna Lux laudetur,
In Praecone veneretur
Iudex, Sol in radio.

2. Solem solet repentinum
Vel quid grande vel divinum
Vulgus aegre capere:
Quare nobis hebetatis
Sol supernae veritatis
Praeluxit in sidere.

3. Hic Praecursor et Propheta;
Immo Prophetarum meta,
Legi ponens terminum:
Mire coepit per applausum,
Ventre matris clausus clausum
Revelando Dominum.

4. Zacharias non admittit
Gabrielem, dum promittit
Veterano filium.
Quod est ei sic repensum,
Quod suspenso fit suspensum
Linguae ministerium.

5. Subit tempus, videt natum,
Et suspensa loquela tum
Patri restituitur.
Ruunt eorum parentes
Cum vicinis, nescientes,
Quid de sursum geritur.

6. Non est illo maior natus
De natis ex semine.
Sed nec illi comparatur,
Qui natus ex Virgine.

7. Puer ac si iam expertus
Mundus mundum deserit,
In deserto non desertus
Cornu carnis conterit.

8. Huius victus, huius vestis,
Non tam pastus est quam pestis
Et carnis exitium.
Cui camelus, herbae crudae
Dant locustae, dat mel rude
Vestes et edulium.

9. Mira pueritia,
Mira dei gratia,
Mira verbis novitas,
Clamat: baptizemini,
In occursum Domini
Dirigatis semitas.

10. Summus ille qui coronas
Serta terna dena donat
His caelorum civibus,
Illis dat et sexagena;
Huic Ioanni dat centena
Prae cunctis ordinibus.

11. O Lucerna veraе Lucis,
O Praecursor magni Ducis,
Praeco poenitentiae:

Sta pro nobis ante Ducem
Et procura nobis lucem
Sempiternae gloriae.

Carmen poetica virtute valde eximium. (Acta Sanct. Ian. Tom. IV. p. 701. Ex vetere Missali Landunensi). — 10. Cf. Hymn. CLXXXIII, 36—40.:

Serta ter denis alios coronant
Aucta crementis, duplicata quosdam
Trina centeno cumulata fructu
Te sacer ornant.

CCXXXIV. *De S. Barbara.*

Laeto corde resonemus
Et in arce iubilemus
Et ipsa cum canticis:
Ex qua manant arguendi
Modi recti et vivendi
In figuris coelicis etc.

Ex Missali Numburgensi.

CCXXXV.

De S. Landelino.

1. Laeto cordis cum fervore,
Mentis, vocis et dulcore
Adoretur Trinitas:
Meritorum ob splendorem
Landelini et decorem,
Honoretur Unitas.

2. Franca stirpe clara satus,
Andeberto commendatus
Imbuendus Praesuli:
Praesul Deo quem devovit
Facx scelesta mox promovit
Ad opus diaboli.

3. Linquit Mystam et praedatur,
Caedit et latrocinatur,
Suis cum consociis:
Mutat nomen, normam, vitam,
Cum latrone coenobitam; —
Ah, quae metamorphosis.

4. Ast Andberto pro errante
Deo sancte supplicante
Salus redit Prodigo:
Landelinum visus terret,
Quo cernebat, quod inferret
Daemon quemdam Tartaro.

5. Hanc ut poenam declinaret,
Ad Andbertum remearet

Astans monet Angelus:
Quibus visis, quo audito
Cameracum gressu cito
It, spretis complicibus.

6. Ad Andberti pedes iecit,
Et malitia quod perfecit
Multa deflet lacrima.
Praesul ovem errabundam
Viam ducit perincundam
Christi ad ovilia.

7. Romam pergit ter et crimen
Ad Sanctorum deflens limen
Preces fundit largius:
Hunc Andberti ungit manus;
Iungitur Domitianus
Adlinusque socius.

8. Vestes illic auferentem,
Et hinc membris contrementem
Prece curat sedula:
Landelinus sempiterna
Meditatur, hinc quaterna
Struxit monasteria.

9. Moysis instar ut induxit
Humo virgam, fons effluxit
Crispans in Crispinio:
Decumbenti adstant crebri:
Monet eos: obit febri
Cubans in cilicio.

10. Landeline, poenitere
Et commissa digne flere,
Obtine supplicibus.
Hic uramur, sic secemur:
Deus parcat, ne damnemur
Tuis sanctis precibus:
Sed, post huius vitae finem,
Ad coelestis vitae limen
Admittamur ocius.

Acta Sanct. Iun. Tom. II. p. 1064: „Ex MS. Odackerano Osnabrugi servato.“

CCXXXVI. *In Visitatione Mariae.*

Lauda sponsa genitricem
Te amantis et altricem
Dulcibus cum canticis:
Pie vocis laude tota,
Quia maior omni sancta
Chorisque angelicis.

Laudis thema specialis,
Alvus tumens virginalis
Hodie proponitur etc.

Ex Liturgia Dioecesecos Mindensis.

CCXXXVII. *De S. Lebuino.*

Lebuine confessorum
Praecellens flos qui polorum
Regna scandis ardua:
Linquens orbem validorum
Cor plenum portasti morum
Tu pandis miracula etc.

Habent carmen Adelphus ac Torrentinus.

CCXXXVIII.

De S. Anna.

1. Luce lucens in aeterna
Lucis ductrix et lucerna
Claritatis gerula.
Felix Anna de caverna
Laci transfer ad superna
Lucis nos vehicula.

2. Mundi iubar luminare
Novum paris sine pare:
Sole plus illuminans.
Ex te duxit ortum clare
Maris stella per hoc mare
Spatiosum rutilans.

3. Orta stirpe de regali
Super ortum speciali
Gaudens privilegio.
Prole fulges sola tali
Quali nulla de mortali
Sexu vel collegio.

4. Cella vere tu coelestis,
In qua trinitatis vestis
Est ordita primitus.
Huius rei caro testis
Exstat Christi, quam infestis
Gestat iam coelestibus.

5. Carnem tuam, carnem Christi,
Per Mariam, quam tulisti,
Recta probat linea.
Qua cum Deo contraxisti
Genus omne: ac vicisti
Nata cum virginea.

6. Tu terminus laetitiae:
Scaturigo laetitiae:
Quae prolem benedictam
De gremio das gratiae:
Matrem solis institiae;
Labe prorsus invictam.

7. Tua grandis est potestas,
Tibi coeli dat maiestas
Matronatus gloriam.
Ad tranquillum quos potestas
Ad fluentem quos egestas
Urget, trahe copiam.

8. Eia mater plena bonis
Gratiarum: dita donis
In praesenti pauperes.
Huius cursum post agonis
Triumphantum nos in thronis
Loca donis uberes.

Propter quaternam ὁμοιοτελεύτων seriem hanc Prosam e Missali Brandenburgensi recepimus.

CCXXXIX. *De S. Servatio.*

Lux praeclara, lux sollennis,
In qua vitae lux perennis
Illuxit Servatio:
Felix vita confessoris,
Cuius merces est laboris
Vitae retributio etc.

In Germania superiori passim usitata.

CCXL.

In Decollatione S. Ioannis.

1. Matris melos triumphantis
Aemuletur militantis
Concentus Ecclesiae.
Vita conculcetur ista;
Haec quaeratur, quam Baptista
Est adeptus hodie.

2. Vox clamantis in deserto
Clamat, tubat in aperto
Divinum consilium.
Verum monet et ostendit:
Sed obdurat et offendit
Verbum pacis, impium.

3. Hic infert Ioannes Regi
Turpe, contradicis Legi
Turpi adulterio:
Nec ex lege, nec ex more
Fratris potest cum uxore
Carnalis commixtio.

4. His et illis inculcatis,
Dum causatur veritatis
Praeco turpes nuptias:
Contra vitam viri Dei
Machinantur ambo rei,
Herodes, Herodias.

5. Dies natalitius,
Quo Herodes impius
Natus est, revolvitur.
Ornatur palatium,
Solenne convivium
Tribunis instruitur.

6. Cantant in convivio,
Saltat in tripudio
Foedae matris filia.
Herodi, Baronibus
Una placent omnibus
Lenae lenocinia.

7. Rex illectus et circtus
Extra continentiam;
Sic puellae: Pete, velle
Tuum statim faciam.

8. Consultrice genitrice
Petit cum instantia
Caput huius, lingua cuius
Monebat salubria.

9. O hamus daemonis, crudelis regulus,
O caput Gorgonis et fraudis cumulus
Est in muliere.
Et quando caveat tantum daemonium,
Cum preces valeant hoc et ieiunium
Sola deiicere.

10. Sanctum caput detruncatur
Et in mensis praesentatur,
Saltatrici deportatur,
Caedi cedit cythara.
Sancte Praeco veritatis,
Sta pro nobis hic prostratis;
Et ad regnum claritatis
Nobis viam praepara.

Non pigebit lectorem huius carminis, quod et argumento et versuum collocatione multum habet singularitatis, habet ingeniosi. Transscripsimus ex Act. Sanct. Iun. Tom. IV. p. 708. cf. supra S. CCXXXIII.

CCXLI.

De Nativitate Domini.

1. Nato nobis salvatore
Celebremus cum honore
Diem natalitium.
Nobis datus, nobis natus
Et nobiscum conversatus
Lux et salus gentium.

2. Eva prius interemit,
Sed Servator nos redemit
Carnis suae merito:
Prima parens nobis luctum,
Sed Maria vitae fructum
Protulit cum gaudio.

3. Negligentes non neglexit,
Sed ex alto nos prospexit
Pater mittens filium.
Praesens mundo, sed absconsus,
De secreto tamquam sponsus
Prodiit in publicum.

4. Gigas velox, gigas fortis,
Gigas, nostrae victor mortis,
Accinctus potentia,
Ad currendam venit viam,
Complens in se prophetiam
Et legis mysteria.

5. Iesu, nostra salutaris
Medicina, singularis
Nostra pax et gloria:
Quia servis redimendis
Tam decenter condescendis,
Te collaudant omnia.

Rambach Anthol. I. S. 332. „Die dritte Sequenz ist in Ermangelung des Originals aus Selneckers Kirchengesängen

(Leipz. 1587) mit einigen dort angebrachten, vermuthlich doch nur unbedeutenden Veränderungen entlehnt."

CCXLII. *De S. Nicolao.*

Nicolaum Confessorem
Lauda pium et pastorem
Militans ecclesia:
Tanto patri iubilare,
Dulces hymnos personare
Decet cum laetitia etc.

In Missalibus Germaniae inferioris.

CCXLIII. *De S. Barbara.*

Novae laudis harmoniae
Coeli clangant hierarchiae
Pro Barbarae victoria:
Quae processit ut aurora
Solem prima lucis hora
Noctis ducens de scoria etc.

Miss. Patavienſe.

CCXLIV. *De S. Iacobo Mai.*

Pangat chorus in hac die
Novum genus melodiae
Clara dans praeconia:
Iacobum resultet lyra,
Cuius fornit tam mira
Meritorum copia etc.

Idem liber.

CCXLV. *De S. Leopoldo.*

Regem regum veneremur,
Scriptum cuius habet femur

Dominus dominantium:
Rumpens hostis potestatem,
Quam tenebat usurpatam
Contra coetum peccantium etc.

In Dioecesi Pataviensi usitata.

CCXLVI. *De S. Leonhardo.*

Salve mitis et benigne,
Leonharde, Deo digne
Tuis sacris actibus:
Meruisti hic in terris,
Ut cohaeres sis in coelis
Cum coelicis civibus etc.

In libris Germaniae superioris.

CCXLVII. *De S. Hieronymo.*

Sion felix gratulare
Coeli cives contemplare
Pio mentis oculo,
Inter quos offertur unus,
Large qui coeleste munus
Dulci hausit poculo etc.

Miss. Patavicnse.

CCXLVIII.

De S. Petro Ap.

1. Tu beatus es Bariona,
Cui aspirat sua dona
Quasi nato Spiritus.
Quod caro sanguisque nescit:
Per patrem tibi patescit
Revelatum coelitus.

2. Tibi claves Deus dedit,
Quibus porta coeli cedit:
Praevalentque inferis.
Potestate formidanda
Hic ligas illic liganda:
Tuta sunt quae solveris.

3. Te piscantem piscatoris
Ad capturae melioris
Usum traxit gratia.
Cuncta linquis nave spreta:
Temporalis mundi meta,
Iudices et omnia.

4. Apostolis principaris,
Dominoque sociaris
In tributi pretio.
Transformati tu Messiae
Moysique et Helyae
Frueris colloquio.

5. Sicco pede calcas mare,
Malchum truncas: flet amare
Dum pungit negatio.
Sic dejectum patientis
Et erectum resurgentis
Sic integrat visio.

6. Ter confessus, ter negatum,
Gregem pascis ter donatum
Vita, verbo, precibus.
Claudus salit et Tabitha
Iterato calet vita,
Viam paras gentibus.

7. Infirmis umbra mederis,
Defraudantes gravi feris
Coninges supplicio.
Tu vinclis liber laxaris,
Portas exis reseratis,
Duce fretus praevio.

8. Caecus videt, mutus fatur,
Languor fugit, duplex datur
Salus Antiochiae.
Funus surgit, magus cadit,
Consecrator Romam vadit
Crucis et victoriae.

9. Illum sequens pendes cruce,
Scandis coelum, quo te duce
Nobis detur aditus.
Ianitor ingressum pande,
Quo nos lucis non mutandae
Foveat intuitus.

Habes exemplum Prosae hexacolae, cui praecedit stropha longior (Langzeile) ad vetustiorum carminum legem composita. Utebatur carmine supra posito Chorus Coloniensis, Brandenburgensis, Pragensis al.

CCXLIX.

De S. Hilario Carcassonensi.

1. Venerandae venustatis
Mater mirae claritatis
Laudetur Ecclesia:
Quae tot viros sanctitatis
Stolis albis duplicatis
Coronat in patria.

2. Sed in prima statione
Fuit, certans in agone
Beatus Hilarius.
Pro te, Christe Iesu bone,
Praesul exstans Carcassonae
Fide fulsit clarius.

3. Cumque finis propinquaret:
Ecce sibi vir apparet
Quidam splendidissimus,
Dicens, ut consideraret
Regionem, quam donaret
Post finem Altissimus.

4. Quo de mundo sic sublato
Clamque suo tumulato
Loco seu coenobio:
Eo tandem revelato
Multo Clero congregato
Cum Duce Rogerio:

5. Dulcis odor emanavit
Qui cunctos exhilaravit
Mox translato corpore.
Verum Deus augmentavit
Quia caecis restauravit
Visum illo tempore.

6. Ut scriptura innotescit,
Plura quoque Deus fecit
Per ipsum miracula:
Illud vero quod adiecit,
Cum uxore seu consecit
Comes mente sedula.

7. Et signanter, post fugatam,
Cum suis ac debellatum
Tolosanum comitem;
In quo scivit se iuvatum
Velut sibi demonstratum
Fuit per Antistitem.

8. Ob hoc dedit census, ina,
Cum capellis castra, rura,
Decimas, allodia,
Sibi credens profutura
Sicque poni Dei cura
Sub coeli custodia.

9. Ergo hic sanctus Confessor
Sit pro nobis intercessor
Apud Deum carius:
Ut coelorum sit possessor
Loci quisquis est successor
Ut Praesul Hilarius.

Act. Sanct. Iun. Tom. II. Praefat. LXXXIII.

CCL.

De S. Margareta.

1. Virgo Dei Margareta
Hac in die coeli laeta
Scandit ad palatia:
Ex hoc mundo quam vocavit
Et in coelo collocavit
Pia Christi gratia.

2. Haec virtute Dei plena
Fuit ex Antiochena
Civitate genita,
Carnis per nobilitatem
Fulgens, extra civitatem
Ad alendum posita.

3. Sed nutrici commendata
Virgo non est dedignata
Eius oves pascere,
Quam ut transiens praefectus
Videt, amat et allectus
Cupit sponsam ducere.

4. Cuius iussu comprehensa
Nec per minas hec immensa
Per promissa flectitur,
Sed fatetur Christianam,
Deos spernit, fidem sanam
Christi dum amplectitur.

5. Hanc iratus, plus quam credi
Possit, preces iubet caedi
Sed in vanum caeditur,
Nam licet incarcerator
Ungulisque lacerator,
Non tamen devincitur.

6. Ignis ridet ustionem,
Horridum calcat draconem
Signo crucis praevio,
Aqua magnum vas impletur,
In quo deergi iubetur,
Exit sumpto bravio.

7. Martyr dum stat in agone
Credunt Christo spe coronae
Nec teneatur passione
Gentis quinque millia:
Quae tyrannus decollari
Iubet, quibus sociari
Imperatur poena pari
Tandem lucis filia.

8. Cuius preces agonistae
Nos a nece salva Christe
Eius per suffragia,
Ut mundemur a peccatis
Et salvemur cum salvatis
Mundi post naufragia.

Iam multas enumeravimus Sequentias in honorem S. Margaretae compositas: nam cum Martyr illa inter quatuordecim Auxiliatores locum habuerit cumque gravidarum patrona invocata sit, iam coniectura licet assequi quanta exstet carminum ipsam laudantium multitudo. At vero inter omnia, si quid sapio, illud primum locum obtinet, quod ex Missali Eichstaedtensi supra transscripsi. Enarratur martyrium Margaretae pie, simpliciter et non sine sermonis elegantia. Quid ex illa legenda historiae invicta certitudine tribuendum sit, an prorsus criticorum mucrone iugulanda, alii exquirant atque patefaciant. Lutherus idem quod indicat de S. Georgio et Christophoro, iubet pertinere ad S. Margaretam. (W. XXII. p. 1982). „S. Margareten Legende hat eine ecclesiasticam allegoriam und geistliche Deutung von der Kirche. Denn die Kirche ist die edle Perle und der köstliche Edelstein. Olybrius der Tyrann ist die Welt, die sich wider die Kirche leget und ihr widersteht, dass er die Margarethe ins Gefängniss werfe, da sie vom Drachen, dem Teufel mit mancherlei Anfechtungen wohl zerplaget und gemartert wird: daraus sie sich nicht wirken kann bis sie das Creuz ergreife, das ist Christum, derselbige vertreibt und ersticht den Drachen.“ Hanc de dracone tetterrimo, in carcere S. Virgini apparente historiam (quam pictores summa arte depinxisse notum est) tangit quoque auctor carminis nostri in Stropha sexta. Ex more suo optime hoc mirum certamen inferni cum summa puritate atque innocentia descripsit Kosegartenius:

Die Erde schlief. Die Heil'ge wachte noch
In ihres Kerkers Mitternacht, als plötzlich

Ein grauses Licht die schwarze Nacht erhellte.
Im rothen Glanz des trüben Lichts erschien
Der frommen Jungfrau ein geschuppter Drache,
Und bäumte furchtbar den gekerbten Kamm.
Die russ'gen Flügel hingen schwer herab;
Der buntgefleckte Schweif, in tausend Ringeln
Sich rollend, furchte rings den Grund; den Augen
Entfuhren Blitz auf Blitz, dem rothen Schlund
Entschossen Schwertern gleich drei Zungen. Zischend,
Als wollt' es Eines Bisses sie verschlingen,
Fuhr auf die Jungfrau zu das Ungethüm.
Doch Margaretha, eingedenk der Worte:
Auf Drachen und auf Ottern sollst du gehn —
Stand ruhig auf, erhub den zarten Fuss,
Und setzt' ihn kühnlich in des Lindwurms Nacken.
Da krümmte sich der ungeheure Wurm.
Lautheulend zu der Jungfrau zarten Füssen.

CCLI.

De S. Vito.

1. Vito plaudat omnis aetas
Et pro Vito laudes lactas
Christo solvant omnia.
Hic a vera vita Vitus
Nullos mortis agens ritus
Puer pueritia.

2. More, gestu transcendebat,
Cum pro Christo, quem colebat,
Mundi sprevit gaudia:
Dulces patris sprevit sinus,
Laudes, iocos nihilominus
Vana censens omnia.

3. Hic in brevi consummatus,
Infans et vix ablactatus
Puer egit senia,
Pater eius, hoc audito
Hunc subduci cursu cito
Iubet ad flagitia.

4. Post flagella blandimentis
Eblanditur, sed tormentis
Pueri constantia
Plus elegit contorqueri,
Quam iniquum persuaderi
Patris ab astutia.

5. Tandem praeses huic rumori
Praebens aures, Vitum mori
Censet de iustitia,
Si non esset deferendum
Eius patri, et parcendum
Vito patris gratia.

6. Hylas ergo deprehensus
Et pro Vito reprehensus
Vitae narrat gaudia:
Verba patris, dixit, audi
Honorandis die obaudi,
Offer sacrificia!

7. Cogit poenis rex iratus,
Suadet pater desolatus
Tota cum familia;
Sed nec Vitum deterrebat
Regis ira, nec movebat
Mente pater anxia.

8. Cum in poenis victor staret
Et pro Christo vitam daret
Viva factus hostia.
O mirandum bellatorem,
O stupendum hunc victorem
O mira victoria!

9. Vitus puer in aetate
Senes vicit gravitate,
Fidei constantia:
Ergo Vitum imploremus
Nos, qui Vito deferemus
Vota spiritalia:
Ut per ipsum coronemur
Quam a nobis non meremur
Sempiterna gloria.

Acta Sanct. Iun. Tom. II. p. 1023. „Ex Missali Cracoviensi.“

ε) Heptacola.

CCLII.

De S. Eustachio.

1. Tempore sub gratiae
Nondum plena facie
Roma fide claruit
Sed errori paruit:
Ab imperatoribus
Et horum erroribus
Profanata languit.

2. Ne regnent inficiae
Rex regum institiae
Uti suum brachium
Erexit Eustachium,
Militem laudabilem
Et in fide stabilem
Qui profanos arguit.

3. Romana proceritas,
Adriani feritas
Non tulit quod veritas
Prodidit institiam;
Commovit saevitiam
In Dei militiam
Perdere quam maluit.

4. Oritur dispendium
Daemonis stipendium
Bonis fit incendium:
In Dei vernaculum
Mansuescit periculum
Crucis obsignaculum
Quod in corde aluit.

5. Poenis dum iniicitur
Igne non afficitur
Spiritus allicitur
Ad gaudia coelica:

Sorte meritaria
Exaltat in gloria
Sua pro victoria
Turbà rum angelica.

Ex Missali Pataviensi, quod festum S. Eustachii die Novembris secundo ponit celebrandam, hoc carmen sumpsimus nostrumque fecimus. Rhythmum enim minime vulgarem dixeris.

ζ) Octacola.

ϰ) Prosae ad normam cantici: Patris sapientia conditae.

CCLIII.

De Passione Domini.

1. Coenam cum discipulis.
Christe, celebrasti,
Et mortem apostolis
Palam nunciasti
Et auctorem sceleris
Iudam demonstrasti
Et egressus protinus
Hortulum intrasti.

2. Tunc procedens Dominus
Se humiliter prostravit
Et transferri calicem
A se postulavit;
Sed patris arbitrio
Istud relaxavit,
Et ecce mox sanguinis
Sudor emanavit.

3. Iudas post hoc osculum
Ori dedit Christi,
Inquit Dominus: amice
Ad quid venisti,
Numquid tradis osculo
Quem iam vendidisti?
Assistentes protinus
Irruerunt ministri.

4. Nox insomnis itaque
Tota ducebatur,
Nulla prorsus requies
Iesu parabatur:
Magistrorum impia
Plebs iniuriatur,
Alapis et colaphis
Innocens mactatur.

5. Dum Iesum eripere
Pilatus conatur,
Iudaeorum furia
Magis inflammatur:
Et tumultus populi
Ingens excitatur,
Et plebis vox intonat
Ut crucifigatur.

6. Traditur militibus
Et vinclis alligatur,
Undique verberibus
Corpus cruentatur,
Caput regis gloriae
Spinis coronatur,
Postquam flexis genibus
Quisque irritatur.

7. Ecce caro tenera
Pii salvatoris
Ad columnam nequiter
Coartatur loris,
Sic flagellis caeditur
Impii tortoris,
Quod emanant rivuli
Undique cruoris.

8. Post per urbis medium
Iesus procedebat,
Et crucis patibulum
Humeris ferebat,
Ad fores et ad hostia
Populus flebat
Eiusque confusio
Omnibus patebat.

9. Ad pudoris tumulum
Iesu denudaris
Et ventis ac frigori
Nudus spoliaris,
Innocens cum impiis
In cruce damnaris
Et quasi dux sceleris
Medio locaris.

10. Tensis ligno brachiis
Manus conclavatur,
Christi caro truncibus
Clavis perforatur:
Nervi venae simili
Modo dilaniantur
Pedum plantae etiam
Ferro conclavantur.

11. Fundunt rivos sanguinis
Fontes Salvatoris
Properans huc anima
Currat peccatoris,
Ut hauriat quippiam
Sacrati liquoris,
Qui frequentius liniat
Vulnera doloris.

12. Loquens Iesus postea,
Sitio, dicebat,
Fel acetum protinus
Iudaeus miscebat,
Ac infusam spongiam
Ori porrigebat
Quod degustans paullulum
Sumere nolebat.

13. O Iesu mirifice,
Quid est quod agebas,
Tu de siti conquereris
De cruce silebas:
Numquid hanc dolorem
Magis sentiebas,
Credo quia hominis
Salutem exprimebas.

14. Vocem promens ultimam
Patrem invocasti:
Spiritumque manibus
Eius commendasti:
Cum clamore valido
Tandem expirasti,
Sic salutem hominum
(omnipotens) opus consummasti.

15. Quo ego superbio
Tu humiliaris,
Ego culpas perpetro
Tu poena gravaris,
Ego pomum mordeo,
Tu felle potaris,
Mollia desidero,
Tu dire tractaris.

16. Demum nulla valet
Mens vel lingua fari,
Quantum virgo creditur
Intus cruciari,
Dum cernit iam mortuum
Latus vulnerari
Atque nati viscera
Lancea rimari.

17. Corpus quod est mortuum
Iam nil sentiebat,
Sed militis lancea
Matrem cruciabat,
Quam fixam in filii
Latere videbat
Unde aqua sanguine
Mixta affluebat.

18. Ad hunc ergo propera
Fontis salvatoris,
Ut fluentis quippiam
Haurias dulcoris,
Atque vitae lavacrum,
Et pretium cruoris,
Hinc tua curatio
Profiua languoris.

Invenio hanc rhythmicam Dominicae passionis enarrationem in Missali Eremitarum S. Augustini (Aug. I.), insertam Missae votivae de quinque vulneribus Christi. In Germaniae liturgiis nullum prosae potui indagare vestigium. Ceterum liquet in Strophe Tertia turbatum esse verum legitimum ordinem. Legere malim: Amice, inquit Dominus ad quid (tu) venisti.

CCLIV.

In Festo Faciei Iesu Christi.

1. Salve sancta facies
Nostri redemptoris,
In qua nitet species
Divini splendoris,
Impressa panniculo
Nivei candoris,
Dataque Veronicae
Ob signum amoris.

2. Salve decus seculi,
Speculum Sanctorum,
Quod videre cupiunt
Spiritus coelorum:
Nos ab omni macula
Purga vitiorum,
Atque nos consortio
Iunge beatorum.

3. Salve nostra gloria
In hac vita dura,
Labili et fragili
Cito transitura,
Nos perduc ad patriam,
O felix figura.
Ad videndum faciem,
Quae est Christi pura.

4. Esto nobis, quaesumus,
Tutum adiuvamen,
Dulce refrigerium
Atque consolamen,
Ut nobis non noceat
Hostile gravamen;
Sed fruamur requie
Cum beatis. Amen.

Acta Sanctorum Febr. Tom. I. p. 452. „Ex vetusto Missali Augustano.“

---

3) Sequentiae ad modum Hexacolon confectae, ita tamen ut trina ὁμοιοτέλευτα sibi respondeant.

CCLV. *In Festivitate SS. Ioannis et Pauli.*

Adest dies olivarum,
Qua Ioannes, Paulus clarum
Flamen reddunt animarum
Christo, regi gloriae:
Respuentes Julianum
Simul et Terentianum
Et ipsorum ritum vanum
Suo gaudent ordine etc.

Mise. Pragense.

CCLVI.

In Festo S. Mariae ad Nives.

1. Ad honorem matris Dei,
Quae est salus nostrae spei
In hac hora nunc diei
Hymnum demus dulciter.
Vere mater veneranda
Super nivem dealbanda
Invocanda, collaudanda,
Citanda humiliter.

2. Ecce sibi virgo clemens
In hac die mire splendens,
Templum iam fieri volens
Intra urbis moenia:
Miro modo et stupendo
Contra tempus peragendo
Solum aedis dealbando
Nive candidissima.

3. Affuit in visu virgo
Sacerdoti, summo viro:
Tu inquit cum cuncto clero
Una cum patricio.
Rem mirandam patefeci,
Vade vide, ego gessi,
Aedifica quod expressi,
More quadratario.

4. Ita virgo more miro:
Aedifica nos in giro
Quadro lapide porphyro.
Cum candore niveo.
Ad te, alma virgo mater,
Suspiramus incessanter,
Nos commenda condignanter
Christo tuo filio.

Rara sunt carmina in honorem huius festivitatis, (quae extra Romae urbis moenia sane minoris splendoris est) a poetis Germaniae, Galliae, Angliae contexta. Quod supra positum est, recitabatur in choro Cathedralis Pataviensis.

CCLVII.

De S. Martha.

1. Ave, Martha gloriosa,
Sponsa Christi generosa,
Paradisi vernans rosa,
Castitatis lilium.
Ave Martha pulcra lota
Caritatis fonte tota,
Dulcis mitisque devota
Vas virtutum omnium.

2. Ave criminis ignara
Sponsum audis voce clara
Veni sponsa, veni cara:
Veni, coronaberis.
Ave Martha plus serena
Pulcra quasi luna plena,
Singulari cantilena
Sponsum agni sequeris.

3. Ave Martha iam beata,
Quae cum speuso praeparata
Nuptiarum adoptata
Transiisti ad gaudia.
Ave Martha margarita
In corona Iesu sita,
Tam in morte quam in vita
Sis nobis propitia. Amen.

Ex Missali Numburgensi.

CCLVIII.

In Festivitate SS. Cosmae et Damiani Martyrum.

1. Cordis oris symphonia
Triumphantem sub Lycia
Cosmae et Damiani pia
Pangamus praeconia:
Quorum vita gloriosa
Pugna fortis et famosa
Mors felix et preciosa
Sublimis victoria.

2. Arte docti medicinae
Dono gratiae divinae
Sanitati repetinae
Languidos restituunt:
Aegram curant et obsessum
Gratis dant gratis concessum,
Caecis visum, claudis gressum,
Surdis opem tribuunt.

3. Victi, torti, carcerati,
Crucifixi, lapidati,
Sagittati, cruciati
Per tormenta varia:
Ignem, aquam transierunt,
Ferro mortem pertulerunt,
Dulce mori sic duxerunt
Pro coelesti gloria.

4. O vernantes caeli flores,
Rosis rubicundiores,
Inclyti propugnatores,
Fidei catholicae.
Optimates honorati,
Laureati, purpurati,
Nostri sitis advocati
Coram summo iudice.

Habet carmen Missale ecclesiae Mindensis.

CCLIX.

De Beatâ Virgine.

1. Imperatrix gloriosa
Potens et imperiosa
Iesu Christi generosa
Martyr atque filia.
Radix Iesse speciosa
Virga florens et frondosa
Quam rigavit copiosa
Deitatis gratia.

2. Auster levis te perflavit
Et perflando foecundavit,
Aquilonem qui fugavit
Sua cum potentia:
Florem ergo genuisti
Fructum ex quo protulisti,
Gabrieli dum fuisti
Paranympho credula.

3. Ioseph iustus vir expavit,
Ista dum consideravit
Sciens quod non irrigavit
Florescentem virgulam:
Bene tamen conservavit
Arcanum nec divulgavit
Sponsam sed magnificavit
Honorans ut Dominam.

4. Coeli quondam roraverunt
Nubes ex quo concreverunt
Concreteque stillaverant
Virginis in utero.
Res miranda, res novella,
Nam procedit sol de stella
Regem dum parit puella
Viri tori nescia.

5. Ergo clemens et benigna
Cunctorumque laude digna
Tuo nato nos consigna
Pia per suffragia
Ut mortali quo gravamur
Compede sic absolvamur
Ut soluti transferamur
Ad caeli palatia.

Miss. Patavicnse.

CCLX. *In Festo Decem Millium Martyrum.*

O coelestis harmonia,
O superna hierarchia
Iubilante melodia:
Exulta in gloria:
Psalle Sion omni laude,
Quia sumus in te, gaude-

Circumleva visum, plaude
Tota coeli curia etc.

Miss. Mindense.

CCLXI.

De S. Dorothea.

1. Psallat concors symphonia
Laudes pangat harmonia
Cum sonora melodia
Cordisque tripudio.
In hoc festo laetabundo
Dorotheae corde mundo
Sono plaudat vox iucundo
Neumatum praeludio.

2. Generosa Christi verna
Labe carens et lucerna,
Mundo lucens ac pincerna
Vina donans mystica.
Paradisi tu colona
Quae pro malo reddis bona,
Scribaq mittis caeli dona
Rosas, mala pistica.

3. Vitam ducens angelorum,
Dum in carne praeter forum
Carnis vivis, spernis torum
Viri propter Dominum:
Martyr Christi quae profanos
Deos sternis ac paganos
Fide vestis et sic sanos
Meres facis hominum.

4. Vota manens speciosa
Velut rubens fragrans rosa
Ad conflictum roborosa
Minante Fabricio.
Vinculata carceraris,
In catasta cruciaris,
Vultu caesa flagellaris
Omni carens vitio.

5. Gens perversa malae spei
Quamdum doces verbum Dei,
Lumen tuae faciei,
Conterit cum baculis.
Furens anget tormentales
Poenas saevas et letales
Dum mamillas virginales
Tuas cremat faculis.

6. Supplicamus: nos tuere
Et peccata fac timere,
Martyr sancta, confer vere
Tempus poenitentiae.
Virgo bona crimen terge,
Victum dona, mores rege
Ne damnemur gravi lege
Causa negligentiae.

7. Sponsa Christi Dorothea
Tua nos virtute bea
Ut purgata mente rea
Digni simus praemio.
Deum nobis fac placatum
Ut post huius incolatum
Sed et locum det optatum
In caelesti gremio.

Historia S. Dorotheae tam multum habet quod animos possit sancta iucunditate permulcere immo ad coelestia rapere, ut non mirum sit, ab literarum Germanicarum primordiis ad hodiernum usque diem plurimos poetas sanctam Martyrem sertis poeticis coronasse. Sed ne taceamus, quod maximam movet admirationem, memoratu dignum est, virum ecclesiae evangelicae addictum canticum de S. Dorothea confecisse: accedit quod Nicolai Hermanni carmen in multa protestantium Cantionalia (e. g. ecclesiae Norimbergensis) aliquando receptum est. Quod illius auribus inculcatum velim, qui nuperrime in Tholuckii Ephemeridibus Theologicis in Cantionale Evangelicum mea opera editum (Evangelisches Kircheugesangbuch) locum „De Apostolis et Martyribus" perperam receptum esse clamitavit. Neque a re esse videtur eximium Hermanni carmen ex praeclaro Wackernagelii libro (D. K. p. 402.) decerptum, lectoribus nostris offerre.

Ein Lied von St. Dorothea.

1. Es was ein Gottfürchtiges
vnd Christlichs Jungfrewlein,
Gotts wort vnd Catechismus
hat sie gelernet fein:
Ir namen Dorothea
ist weit vnd breit bekandt,
nach jrem Vater vnd Mutter
wurd sie also genant.

2. Vff Deutsch ein Gottes gabe
die Dorothea heisst,
Die hoch vom Himel hrabe
beschert der heilge Geist:
Offt bringt ein guter Name
ein gute art mit sich,
wenn Kind von gutem samen
gezeuget wird ehrlich.

3. Mit vleis in jrer jugent
sie zu der Predigt gieng,
Christliche zucht vnd tugent
liebt sie vor alle ding,
Hielt jre Eltern in ehren
dazu fein lieb vnd wordt,
folgt trewlich jrer lehre,
thet was jr herts begert.

4. Schamhafftig vnd fein stille
hielt sie sich allezeit
Vnd lebt nach Gottes wille,
acht keiner vppigkeit,
Armen war sie geneiget
vnd dienet jn mit vleis,
jr hülff sie jn erzeiget
Gott zu lob, ehr vnd preis.

5. Weh thets dem alten Trachen
vnd kund es leiden nicht,
Speigt fewer aus seim rachen,
verfolgung er anricht:
Das Megdlein wolt man zwingen
zu der Abgötterey,
dem Feind wolts nicht gelingen,
Christum bekand sie frey.

6. Mit worten süss vnd sawer
man sie bereden wolt,
Sie stund vest wie ein Mawer
vnd im fewer das Gelt:
Kein marter, pein noch schmertzen
von Christo sie abwandt,
mit jrem mund vnd hertzen
den Glauben sie bekandt.

7. Als der Feind nichts kund schaffen,
wurd er töricht vnd toll,
Desgleich die Baalspfaffen
wurden der Teuffel voll:
Ein vrteil wurd gefellet,
verdient hett sie den todt
ritterlich sie sich stellet
vnd schrie ernstlich zu Gott:

8. Herr Christ, in deine Hende
mein Seel befehl ich dir!
Bscher mir ein seligs ende,
mit deim Geist steh bey mir!
Deinem namen zu ehren,
wie ein Christ sterb ich heut!
ach hilff, das sich bekeren
die armen blinden leut!

9. Theophilum, den Cantzler,
die Jungfraw jammert sehr,
Er sprach: Schon doch dein selber,
verlas die falsche lehr
Vnd frist dein junges leben!
Drauff Dorothea spricht:
Ein bessers wird mir geben
Christus, drümb thu ichs nicht.

10. Ins schöne Paradeise
kom ich nach meinem todt,
Gott zu lob, ehr vnd preise
stehn dar viel Röslein rot,
Draus wird mir Christ mein Herre
machen ein ehren Krantz,
der todt liebt mir viel mehre
denn so ich gieng zum tantz!

11. Theophilus die rede
hielt für ein lautern spot:
Mein liebe Dorothea,
wenn du kompst zu dein Gott,
Schick mir auch öpffel vnd Röslein
aus seinem Garten!
Ja, sprach sie, das sol war sein!
du solt jr warten!

12. Als nu das schöne Jungfrewlein
durchs schwert gerichtet war,
Da kam ein feines Knebelein
mit einem Körblin dar,
Vnd sprach: Sih hin, Theophile!
da nim die Röselein!
dir schickt dir Dorothea
Aus Christus Gertelein!

13. Sie lebt in freud vnd wonne,
ein endt hat all jr leidt,
Leucht wie die Helle Sonne
jn ewiger seligkeit!
Theophilus entsatzt sich
vber die wunder gros,
vnd sprach: Hertzlich erfrewets mich,
meins jrthumbs bin ich los!

14. Bald fieng er an zu preisen
Christum, den waren Gott,
Vnd lies sich vnterweisen
in des Herren gebot,
Die heilge Tauff empfinge
vnd sich ein Christen nant,
frölich zur Marter gienge
vnd Christum frey bekand.

15. Gleich wie ein fruchtbar regen
ist der Merterer blut,
Viel frucht durch Gottes segen
reichlich er bringen thut:
Durchs Creutz die Kirch zunimmet
vnd wechst on vnterlas:
durch tod zum leben dringet
wer hertzlich gleubet das.

η) Carmen δεκάχωλον.

CCLXII.

De S. Stanislao Crac.

1. Laetabundus
Plaudat mundus
Plaudat Deo
Cum tropaeo
Decus omne saeculi:
Solemnizet
Et hymnizet
Die ista
Per haec festa
Stanislao praesuli.

2. Boleslaum
Qui profanum
Arcet regem
Ut in gregem
Domini non saeviat.
Dum vesanus
Mittens manus
Oves Christi
Dente tristi
Velut lupus laniat.

3. Execratur
Et damnatur
Scelus regis
Iure legis
Per censuram praesulis:
Augens malum
Inhumanum
Lac mammarum
Feminarum
Dat sugendum catulis.

4. Hic athleta
Mente laeta,
Sprevit metum
Subit letum
Sitiens martyrium:
Gaudet laesus,
Ense caesus,
Transit metus,
Cedit fletus
Et dolor in gaudium.

5. Cuius ossa
Terrae fossa
Vigent signis
Et condignis
Pullulant virtutibus:
Cuius vita
Redimita
Mundo fluxit
Et illuxit
Gloriosis precibus.

6. Caeci, claudi,
Surdi, muti,
Neci dati,
Desperati
Spem salutis obtinent:
Qui hunc totis
Poscunt votis
De bonis
Freti donis
Impetrata possidet.

7. Martyr age
Stanislae
Ut rex pius
Ac benignus
Iesus tuis precibus
Nos in fine
Sine fine
Regno donet
Et coronet
Iungens coeli civibus.

Apud Polonos, Moravos, Bohemos al.

---

d) Sequentiae quae promiscui generis sunt.

CCLXIII. *De S. Conrado Ep. Const.*

Adornata laudibus
Canticorum dulcibus
Personet ecclesia etc.

In Missalibus Germaniae superioris reperitur carmen, ex strophis tripartitis et quinquepartitis confectum.

CCLXIV.

De S. Anna.

1. Ave, Mariae mater serena
Anna beata, gratia plena:

2. Benedicta tu in mulieribus,
Quae peperisti pacem hominibus
Et angelis gloriam.

3. Et benedictus fructus ventris tui
Maria virgo, mater alma Dei
Electa per gratiam.

4. Quam felix es Anna
Per quam vitae Manna
Clausit arca gloriae
In te fabricata.

Christo praeparata
Manu sapientiae.

5. Tu decus es matrum,
Tu honor es patrum,
Tu radix es almae stirpis,
Per quam palmae spes nobis est facta.
Tu desiderasti
Tori fructum casti:
Ex te quae processit
Proles Christum gessit
Sed virgo intacta.

6. Tu forma es omnis iustitiae,
Tu digna es prole munditiae:
De lacu faecis et miseriae
Nos prolapsos reforma gratiae.

7. Te collaudat coelestis curia,
In qua regnas dulci cum filio:
Per te reis donatur venia,
Per te iustis confertur gratia.

8. Ergo mater pia
Gaude cum Maria,
Quae solis aurora:
Lucem dedit mundo,
Nos in hoc profundo
Supplicamus, ora:

9. Ut nos solvat a peccatis
Et in regno claritatis,
Quo lux lucet sedula
Collocet per saecula.

Diligenter imitando expressit auctor huius Sequentiae, e Miss. Mindensi desumptae, Prosam CXVII. Ave Maria gratia plena. Immo in verbis, quoad fieri licuit, consistere ipsi visum est. — 7. Sacpissime insignitur Maria nomine Auroae: ansam dedit et locus Cantici Canticorum VI, 9.: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens* — et perpulcra de Christo atque Maria allegoria. Optime in hac typica interpretatione versatur Collecta, quam habet Missale Metense in Nativitate Virginis: *Sacrificium hodiernae sollemnitatis verus ille iustitiae sol illustret, qui oriturus ex alto, matrem suam hodie quasi auroram consurgentem praemisit et venientem in mundum purissima luce illuminavit.*

CCLXV.

De S. Bernardo.

1. Bone doctor
Et salutis viae ductor,
O Bernarde:

2. Fac gustare
Coelestia et amare,
O Bernarde.

3. Mentes nostras erige
Ad solem iustitiae,
O Bernarde.

4. Sponso iunctus firmiter
Et inseparabiliter,
O Bernarde.

5. Coeli gaudet curia
De tua praesentia,
O Bernarde.

6. Chorusque angelicus
Circumdat te splendidus,
O Bernarde.

7. Tuos salva famulos
Anxiliare subditos,
O Bernarde.

8. Ministrantem filium,
Propinantem spiritum
Cernis patrem luminum,
O Bernarde.

9. Quod non videt oculus,
Quod non fatur hominibus,
Tuus gustat spiritus,
O Bernarde.

10. Amoris pelago
Absorptus maximo
Pausas perpetuo,
O Bernarde.

11. Iam dicit spiritus,
Ut a laboribus
Quiescas amplius,
O Bernarde.

Unum Missale Frisingense hanc Prosam mihi praebebat. — 11. Apoc. XIV. 13.: *Amodo dicit spiritus ut requiescant a laboribus suis.*

CCLXVI.

De S. Catharina.

1. Costi regis filia
Tua te familia
Veneratur
Et precatur
Tua patrocinia:
Virgo pura,
Fac futura
Nos fru laetitia

2. Tu de tribu regia
Producens exordia
Sola Christi
Delegisti
Subire connubia:
Virgo pura etc.

3. Adhuc annis tenera
Suspiras ad supera
Et devota
Mente tota
Tendis ad coelestia:
Virgo pura etc.

4. Pro fide catholica
Flagella non modica
Pertulisti,
Nec flexisti
Mentem per supplicia:
Virgo pura etc.

5. Dum gens Christo credula
Cogitur ad idola
Adoranda,
Tu nefanda
Probas haec daemonia:
Virgo pura etc.

6. Conclusos in propria
Artis eloquentia
Das perites,
Requisitos
Per multa confinia:
Virgo pura etc.

7. Qui dum complet ultima
Per ignis duci in ima
Coma, veste
Simul teste
Non patent incendia:
Virgo pura etc.

8. Uxor per te regia
Regis cum militia
Christo credit
Et se dedit
Volens ad martyria:
Virgo pura etc.

9. Mira Dei gratia
Rotarum dum pondera
Dissolvuntur,
Conteruntur
Impiorum millia:
Virgo pura etc.

10. Dum lictoris spicula
Subis post pericula
Pro cruore
Novo more
Lactis manant flumina:
Virgo pura etc.

Reliquiae Antiquae scraps from ancient Manuscripts etc. edited by Thomas Wright and James Halliwell. London 1839—43. II. voll. I. p. 104. „from MS. Egerton No. 613, in the British Museum" written perhaps before the middle of the hirtheenth century." Omnia quae poeta ex martyrio B. Catharinae (satis incerto) decerpsit, iam supra habuimus H. CCCCXXI, al.

CCLXVII.

De S. Iuvenale Episc. Narniensi.

1. Exultet plebs fidelium,
Chorusque Narniensium
Psallat in hac die,
In qua vir sanctus hodie
Iuvenalis est gloriae
Deputatus pie:

2. Cuius virtus rutilat,
Cuius laus emicat
Virtutis praeconio.
Sacrum hic dum perficit,
Dei corpus conficit,
Eius ministerio,

3. Parvo in calice,
Vere mirifice,
Libamen est Deicum:
In quo renovatur;
Per quod memoratur,
Signum Evangelicum.

4. Iesus panes augmentavit,
Quibus turbas multas pavit,
Satiatis omnibus:
Sanctus potum sacrum dedit,
In quo Christi sanguis crevit,
Propinatus millibus;

5. Nec a ministro funditur,
Vel liquor ullus ponitur
In vase crystallino:
Sic stupet plebs Narnicola,
Sua relinquens idola,
Deo adhaerens Trino.

6. Non cessat preces fundere,
Nec manus differt iungere,
Pro salute civium,
Quos sacris verbis educat,
Carporum gentes effugat,
Strage data hostium.

7. Suos instruxit atque direxit,
Quosque deduxit nec non protexit,
Eorum gerens curam.
Sic honoratur et exaltatur
Et commendatur [et laudatur]
Proferens vitam puram.

8. Demum post cuius transitum
Christo iam reddit spiritum,
Gaudens in coelestibus.
Ex ipsius tumba manat,
Quod infirmos multos sanat
A cunctis languoribus.

9. Surdis auditus redditur,
Et sospes quis regreditur,
Si locum possunt tangere;
Privati quoque lumine
Videre Dei nomine
Merentur hic recipere.

10. Possessus a daemonio,
Sancto curatur modio,
Fenestram frangens vitream,
— — — — —
— — — — —
— — — —

11. Quidam nautae naufragantes,
Iuvenalem invocantes,
Evadunt periculum:
Illi vero non ingrati,
Aere pergunt onerati
Ad ipsius tumulum.

12. Laus ergo Regi gloriae,
Qui nos reformat gratiae,
Pro Iuvenalis precibus,
Quos tutat in hoc saeculo,
Conservat a periculo,
Coronat in caelestibus. Amen.

Habent carmen, quod ad rhythmum prorsus singulare, Acta Sanctorum Mai. Tom. I. p. 390. Desumpserant ex antiquo Missali Narniensi.

CCLXVIII.

De Beata Virgine.

Flos pudicitiae,	Flur de virginite,
Aula mundiciae,	Chambre donestete,
Mater misericordiae,	De merci mere e de pite
Salve, virgo serena,	Deu wus sant, virgne pure,
Vitae vena,	Ki nature
Lux amoena,	D engendrure
Rore plena,	E porteure
Septiformis spiritus	Surmontez par vos bontez
Virtutibus	Dont tanz avez,
Ornantibus,	Ke bien pocz
Ac moribus	Aider assez
Vernantibus!	As mesaisiez.
Rosa iocunda,	Rose tres bele,
Castitatis lilium,	Flur de lis en chastite,
Prole fecunda,	Virge pucele
Gignis dei filium;	Enfastastes le filz de,
Virgoque munda	De ta mamele
Tu post puerperium.	Doucement fu alaite.
Modo miro	Beneuree
Sine viro	Destinee
Prole fecundaris,	Aviez al heure,
Summi ducis,	Quant del toen cors
Vere lucis	Eissi deus fors
Parta decoraris.	Sanz point de blesmure.
Virga flore,	Char et sanc pris
Rubo rore	Duz iesu crist
Virgo designaris.	De tei virge pure,
Vellereque,	Dunt rancon fist,
Madenteque	E pur nus mist
Digna domini paris:	A mort aspre e dure.
Virgo prolem,	Wus navez pier
Stella solem,	Hoem ne moiller
Profers, expers paris:	D umain engendrure;
Ob hoc rite	Car de tuz mals
Via vitae	Gariz e salfs
Iure predicaris.	Sumes par ta cure.

Tu spes, et refugium
Lapsorum humilium;
Tu medela criminum,
Salus poenitentium;
Tu solamen tristium,
Levamen debilium;
Tu purgatrix sordium,
Confirmatrix cordium.

Tu laus, tu remedium
In te confidentium,
Tu vitale praemium
Tibi servientium.

O pia Maria, lapsis advocata,
Tu cunctis miseris dulcis spes et grata,
Erige, dirige corda tuorum
Ad pia gaudia regni coelorum,

Quo vere gaudere per te possimus,
Cum natoque tuo regnantes simus.

Notre espeir, notre refui
Estes en chascun ennui,
Notre ioie a estrus,
Dame, vient trestut de wus,
Nus nanon si par wus nun
Bien ne ioie nantre dun;
Trestut, dame, de wus vient,
Quanque nus en bien sustient.

Solaz estes e comfort
Al besoing e a la mort
A ceaus ki honneur wus font,
E de quer amant wus sont.

Tres pie Marie, de deu grace pleine,
Securez e aidez a nos serfs demeine,
De pechez nus facez quites e de peine,
E apres nos deces a ton fiz nus meine.

Non in Germania natum est carmen: Angliae habes foetum, nec spernendum opinor. Debeo illi viro, cui me permulta debere grata mente confiteor, F. Wolfio: audias ipsum haec de prosa Mariana disserentem (p. 128.): „Ja öfter waren diese geistlichen Lais nur Paraphrasen lateinischer Originale (vorzüglich anfänglich, in den ersten Versuchen, diese Form aus der Kirchen- in die Vulgarpoesie zu verpflanzen), wovon ich — Dank sei es der freundschaftlichen Bemühung des Hrn. Th. Wright — ein merkwürdiges Beispiel mittheilen kann. In einer Hs. des brit. Museums aus dem 13ten Jahrhundert (Arundel. No. 248, fol. 153 b.) fand sich nämlich ein Cantus de Domina (Maria) post cantum Aaliz mit daruntergesetzter anglo-normandischer Paraphrase; das latein. Gedicht hat offenbar die Sequenzenform, daher die Paraphrase schon ganz den Typus der Laisform trägt; beide sind aber auch nach einer gegebenen durchaus componirten Melodie (post cantum Aaliz) gemacht. Ich habe den Text dieser beiden Gedichte im Anhang unter No. XIII. genau nach der Abschrift

Wright's gegeben, und sie nur nach der bei dem Lai des Ernoul befolgten Weise (vgl. Anm. 163.) strophisch abgetheilt; die Melodie aber hat, nach Hrn. W.'s Fac-simile, mein College Hr. A. Schmid in der Noten-Beilage No. Va, nebst der Transposition in No. Vb mitgetheilt." A. Schmidius vir non minus doctrinae copia quam morum humanitate commendatus, spero fore ut et mihi libenter concedat quod in lectorum gratiam facere conatus sum; carmen enim Flos pudicitiae doctissimi viri opera recentioribus artis musicae modis ac notis adaptatum in Thesaurum meum recepi.

CCLXIX.

De S. Hieronymo.

1. Hymnus laudis Deo detur
Dulci cum melodia,
Omnis homo veneretur
Inclyta sollemnia.

2. Hodie verus Israelita
In quo dolus non est inventus,
Est assumptus a mortali vita
Heremita Hieronymus.

3. Ut Paulus voce prostratus
Domini resipuit,
Sic Hieronymus plagatus
Vanos libros respuit.

4. De vanis verboribus
Studiis vocatus
Et pascuis uberibus
A Christo deputatus
Veris facultatibus
Optime fundatus
Et coelicis dogmatibus
Claruit beatus.

5. Hic in tantum ceteros
Doctores transilivit;
Quod Hieronymus nescivit
Natura nullus scivit;
Almus eum spiritus
Scripturis erudivit,
Et per eum Dominus
Ecclesiam sancivit.

6. Hic doctor admirabilis
Splendor patientiae,
Diadema gloriae
Decus innocentiae:
Exstat columna aurea
Totius ecclesiae,
Haereticorum thaurea
Speculum clementiae.

7. Nota fecit populis
Utraque testamenta,
Angularis lapidis
Stravit fundamenta.
Sic duplicata
Reddidit talenta,
Salubria dum populo
Dedit documenta.

8. Cathedra pestilentiae
Hic doctor nunquam legit,
Sed verbo sapientiae
Vulpeculas abegit:
Demolientes vineam
Domini confregit
Plebemque sanguineam
Domino subegit.

9. Dum Romae clerum arguit
Luxui vacantem,
Ab urbe Sanctum repulit
Tanquam blasphemantem.

10. Hic excellentissimus
Vitae sanctitate
Et virgo purissimus
Vera castitate
Et abstinentissimus
Cibi parcitate,
Fuit et mitissimus
Morum honestate.

11. Stratum durum habuit,
Diaetam duram tenuit
Semper vigilabat,
Et in quantum valuit
Carnem menti subdidit
Studio vacabat.

12. Pisces, cibos carnium
Nunquam concupivit,
Neque lectum alium
Quam terram ille scivit:
Diro cum cilicio
Carnem sic contrivit,
Quod sanguinis effusio
In die ter abivit.

13. In agone praedicat,
Fideles corroborat,
Perterret peccatores:
Scelera commemorat
Ut quisque vitam corrigat
Sequendo patrum mores.

14. Haereticorum iacula
Hic doctor sine macula
Sollerter hebetavit,
Post stupenda miracula
Ad coeli habitacula
Feliciter migravit.

15. Sic nos divina gratia
Post huius vitae spatia
Perducat ad convivia
Coelestis hierarchiae:
Rachelis det consortia
Post laborem Lyae,
Et Marthae post officia
Vitam det Mariae.

16. Tuo interventu, o beatissime doctor Hieronyme.

Sane ferrea aetas genuit hanc Sequentiam quam ex Missali Numburgensi transscripsi. Habes vocum barbararum farraginem, habes incomptae ac rusticae poeseos documentum, quo sequioris temporis Prosas a vetusta contestataque virtute priorum mirum in modum degenerasse optime docetur. Quod in calce

carminis profert scriptor de Maria et Martha, de Rachel ac Lia, spectat ad similitudinem illis temporibus acceptissimam. Lia, quae lippis erat oculis una cum Martha, nimis illa in rebus terrenis sedula hanc vitam designant: futurae imago est Maria, quam sedere secus pedes domini et verbum illius audire scimus; imago vero est etiam Rachel, decora facie et venusto adspectu, cuius amorem priori praetulit Iacob.

CCLXX.

De S. Guilielmo Abb.

1. In aeterno regno vitae
Supernorum genus mite
Laudis cantet modulis:
Chorus noster colat rite
Sancti festum Coenobitae
Guilelmi nobilis.

2. Qui Lombarda gente natus,
Iam parentibus orbatus
Est a pueritia.
A malignis revocatus
Spernit mundum et rentus,
Sitiens coelestia.

3. Pedes nudus, unica
Tantum tectus tunica
Pro religione
Visitavit limina
Sanctorum, et crimina
Vicit in agone.

4. Caritate faber, sospes
Sancti prece, struxit hospes
Binos ferri circulos.
Qui cingant ventrem et pectus
Sancti, cuius erat lectus
Terra propter acmulos.

5. Potus aqua, cibus panis
Huius erat, de Melphanis
Idiotam docuit.
In soliculo castello
Caeco patiens misello
Lumina restituit.

6. In monte Virgilii
Magni vir consilii
Ecclesiam struxit.
Lupus devorat errantem
Asellum et pascentem,
Inde huius opus explet,
Urso Sanctus imperat,
Nec ad fontem properat,
Quem prius destruxit.

7. Sibi Christus in Laceno
Corporali visu pleno,
Quem orabat, patuit:
Ad laudem Regis cunctorum
Domum Fratrum et Sororum
In Guleto statuit.

8. Suam praesciens qui mortem
Monialium cohortem
Sacra docens monuit;
Et miraculis infandis
Factus vir virtutis grandis
Coeli regna petiit.

9. Ergo precemur grandibus
Guilielmum cum precibus
Anachoritam,
Ut suis nobis meritis
Sit rectitudo tramitis
Iam ad vitam.

10. Guilelme, Pater care,
Pro nobis Deum precare
Prece semper sedula.
Abbatissam et Conventum
Regnum ducat ad potentum
Salvandos per saecula.
Amen.

„S. Guilielmus Abbas, Fundator Eremitarum Montis Virginis, diem supremum obiit anno MCXLII. Ex officio eius pervetusto descripta est, quam libro nostro inseruimus, Sequentia.“ Cf. Acta Sanctorum Iunii Tom. V. p. 113.

CCLXXI. *De eodem.*

In profundo tenebrarum
Mundo fulsit sidus clarum
Magnus vir Hironymus:
Error cum fautoribus
Cedit verioribus
Stupens in doctrina:
Pro linguarum disciplina
Verba transfert sic divina
Quod nil latet veritatis etc.

Habet carmen Miss. Aug. 1.

CCLXXII.

De S. Augustino.

1. Interni festi gaudia
Nostra sonet harmonia.

2. Quo mens in se pacifica
Vera frequentat sabbata.

3. Mundi cordis laetitia
Odorans vera gaudia.

4. Quibus praegustat avida
Quae sit sanctorum gloria.

5. Qua laetatur in patria
Coelicolarum curia.

6. Regem donantem praemia
Sua cernens in gloria.

7. Beata illa patria
Quae nescit nisi gaudia:
Nam cives huius patriae
Non cessant laudes canere.

8. Quos ille dulcor afficit:
Quos nullus moeror inficit
Quos nullus hostis impetit
Nullusque turbo concutit.

9. Tibi dies clarissima
Melior est quam millia;
Luce lucens praefulgida
Plena Dei notitia.

10. Quam mens humana capere,
Nec lingua valet promere:

11. Donec vitae victoria
Commutet haec mortalia.

12. Quando Deus est omnia,
Vita, virtus, scientia.

13. Victus, vestis et cetera
Quae velle potest mens pia.

14. Hoc in hac valle misera
Meditetur mens sobria:

15. Hoc per soporem sentiat,
Haec attendat dum vigilat.

16. Quo mundi post exilia
Coronetur in patria:

17. Hac in decoris gloria
Regem laudat per saecula.

18. Harum laudum praeconia
Imitetur ecclesia.

19. Dum recensentur annua
Sanctorum natalitia.

20. Cum post peracta proelia
Digna redduntur praemia.

21. Pro passione rosea,
Pro castitate candida.

22. Datur et torques aurea
Pro doctrina catholica.

23. Qua praefulget Augustinus
In summi regis curia.

24. Cuius librorum copia
Fides firmatur unica.

25. Hinc et mater ecclesia
Vitat errorum devia.

26. Huius sequi vestigia
Ac praedicare dogmata,

27. Fide recta ac fervida:
Det nobis mater gratiae.

Hanc S. Augustini laudationem, in libris Germaniae septentrionalis haud raro occurrentem, posuimus in hac rubrica quia ex notis musicis Missalium non liquet, utrum duo an quatuor versus iungendi sint.

CCLXXIII.

De S. Nicolao.

1. Laude Christo debita
Celebremus inclyta
Nicolai merita.

2. Fovit illum Graecia,
Novit Dei gratia
Sanctum ab infantia.

3. Res miranda nimium
Infantuli ieiunium:
Doctus Dei digito
Ieiunat bis in sabbato.

4. Mira sanctimonia,
A lactis alimonia
Abstinet infantulus,
Miratur omnis populus.

5. Sacer a cunabulis
Claruit miraculis
Saeculorum saeculis.

6. Civis urbis Paterae
Clarus erat genere,
Clarius in opere.

7. Puer carnem domuit,
Adolescens studuit
Verbum Dei addiscere
Et in opus vertere.

8. Verbo fugat daemones,
Infirmos curat homines,
Pascens vulgus famelicum
Adauxit prece triticum.

9. Voce lapsa coelitus
Factus est divinitus
Dignus episcopio
Coeli testimonio.

10. Homicidam visitat,
Tres occisos suscitat,
Tres ereptos vinculis
Fert ad domum consulis.

11. Auram clam exhibuit,
Sic palam prohibuit
Voluntatem criminum,
Patris atque virginum.

12. Auro dato pondere
Festinavit tollere
Malam et nefariam
Famem et infamiam.

13. Vocatur in tempestate
Fessis nautis quassa rate.

14. Dicit: Assum, Silet mare,
Dat ad portum remigare.

15. Tandem bene meritum
Coelo reddit spiritum.

16. Fruens Deo libere
Liber carnis onere.

17. Sepulcrum marmoreum
Sacrum stillat oleum,
Inde salus languidis
Venit multis multimodis.

18. Caecis lumen redditur,
Claudus inde graditur,
Illuc perge debilis
Et sospes inde resilis.

19. Depulso per odium
Cessat stillicidium.

20. Reverso pontifice
Manat hoc mirifice.

21. Magne Deus Adonai,
Nos ut nautas Nicolai
Duc de mundi turbine:
In hoc mundo fluctuamus,
De profundo clamitamus:
Nos exaudi Domine.

22. In hoc festo tui praesulis,
Nunc adesto tuis famulis,
Salus in periculis
Et peccati vinculis.

23. Ut mortale pellas odium,
Salutare stillet oleum,
Oleum laetitiae,
Medicinam gratiae.

24. Inde nos divinitus
Unge sancte spiritus.

25. Munda cordis oculum
Salva cunctum populum.

26. Fac nos ipsum te videre,
Hoc est totum vitae verae.

Nicolaus, Patavicnsi quam modo legimus Sequentia plus iusto celebratus, hominibus medii aevi patronus erat acceptissimus. Inde festivitatis splendor, ecclesiarum eius nomine ornatarum multitudo, inde canticorum ac sermonum ingens numerus. Tamen apud ipsos Catholicos scriptores in confesso est, historiam S. Nicolai incertam esse et multis dubitationibus vexatam; nec male, quod Lutherus W. XI, 2585: „Die Legend des heutigen Festes, des heiligen Bischofs Nicolai wollen wir lassen anstehn, denn sie viel kindische Dinge und zu Zeiten auch Lügen mit einmischet.“ Aiunt tamen sanctitatem Myrensis episcopi miraculis creberrimis modo invicto esse comprobatam ac decoratam. Ex his signis ac virtutibus duo prae ceteris inter populos ferebantur exempla. Alterum Brev. Romanum his verbis enarrat: „Cum civis egens tres filias iam nubiles in matrimonio collocare non posset earumque pudicitiam prostituere cogitaret: re cognita Nicolaus noctu per fenestram tantum pecuniae in eius domum iniecit, quantum unius virginis doti satis esset. Quod cum iterum et tertio fecisset tres illae virgines honestis viris in matrimonium datae sunt.“ Iam perspicis morem pictorum ac sculptorum, qui S. Nicolaum tres sacculos portantem faciunt nec miramur illam consuetudinem quam commemorat Hondorffius: „Man pfleget auch an diesem Tag den Kindern mit Sanct Nicolaus eine Freude zu machen, das kompt daher, dass er, wie oben gemeldet, einem armen Mann zur Ausstattung seiner Töchter,

eine Täschen voller Gelts heymlich zum Fenster neyn geworffen.“ Alterum miraculum pertinet ad fluctuum procellarumque imperium, quod penes S. Nicolaum fuisse idem narrat Breviarium. „Navem conscendens sereno coelo et tranquillo mari, horribilem nautis tempestatem praedixit: moxque ortam cum essent omnes in summo periculo, orans mirabiliter sedavit.“ Haec narratio effecit ut Nicolaus tanquam navigantium patronus maritimum ut ita dicam cultum ubique obtineret: item ad oram maris, prope ripas fluminum, praesertim iuxta catarrhactas et vortices, denique in pontibus ubique positum conspici posset S. Nicolai simulacrum vel adeo sacellum. Nunc haec sancti episcopi provincia S. Ioannis Nepomuceni recentiori splendore aliquantulum est obscurata vel arctioribus limitibus circumscripta. *)

CCLXXIV.

De S. Agnete.

1. Laus sit regi gloriae
Cuius formam gratiae
Solis splendor obstupescit:
In hortos ecclesiae
Lilia colligere
Tanquam sponsus dum processit.

2. Ecce Agnes invenitur
Et inventa colligitur
Lilium de lilio:
Annulo cuius munitur
Et in sponsam eligitur
Regi regis filio.

3. Cuius fervens in amore
Mundum spernit cum decore
Blandimentis nec tormentis
Emollita iudicis:
Cumque mentis in fervore
Sponsum quaerit sponsae more
Spoliata vestimentis
Densis latet capillis.

4. Tunc inducta lupanari
Cella fulget ut solari
Splendore lucis copia.
Ab angelo confortari
Meruit atque velari
Cyclade auro contexta.

*) Neque in hac nostra urbe Halensi S. Nicolaus suis carebat honoribus. Cf. Dreyhaupt Beschr. d. S. K. I. p. 937.: Die Kirche oder Capelle S. Nicolai hat ehemals zwischen der grossen und kleinen Clausstrasse und denen aus einer in die andere gehenden beiden Quergässchen gestanden. — — Sie war dem h. N. gewidmet und zwar ohnzweiffel deshalb, damit derselbe die nahe dabei liegenden Salzbrunnen vor Ueberschwemmungen und Wasserfluthen bewahren möchte: daher denn auch von den Ausläuften der Nicolaus-Sole alle Jahr ein grosses Wachslicht in des Raths Wage verfertigt, das mit Pauken und Pfeiffen am S. Nicolaus Abend in diese Capelle getragen und dem H. Nicolao geopfert worden.

5. Illic virgo ne tangatur
Impudicus suffocatur,
Pro quo Agnes dum precatur
Reviviscit iuvenis.
Per quem Christus dum laudatur
Plebs hinc furens indignatur,
Agnem magam protestatur,
Tradens hanc incendiis.

6. Sed ignis obstupens cedit
Nec Agnem nec lanam laedit,
Eius oris et pudoris
Non ferens potentiam:
Cuius guttur ensis caedit,
Mortique vita succedit:
Ecce vidit quod cupivit
Per sponsi praesentiam.

7. Postquam ergo sic triumphat
Virgo Martyr gaudens intrat
Sui sponsi thalamum:
Apud quem nunc intercedat,
Ut coeli nobis concedat
Intrare palatium.

Invenitur apud Adelphum, Torrentinum, in Missalibus Pragensi, Coloniensi, Pataviensi al. — 1. Al. hortis. Prima strophae verba repetunt responsum S. Agnetis quod dedit iudici: *Cuius pulchritudinem sol et luna mirantur ipsi soli servo fidem.* 3. Al. sprevit. 4. Al. dulcis copia — consolari (cf. Luc. XXII, 43.) Cyclade. Cf. Antiphonam ecclesiae in festo S. Agnetis usitatam: *Induit me Dominus cyclade auro texta et immensis monilibus ornavit me.* 6. Ad.: *Ignis nec laedit virginem nec indumentum eius.* Alii legunt: et Agnam nec flamma laedit. — Al. sp. clementiam.

CCLXXV.

Sequentia Paschalis.

1. Mane prima sabbati
Surgens Dei filius
Nostra spes et gloria:

2. Victo rege sceleris
Rediit ab inferis
Cum summa victoria.

3. Resurgentis itaque
Maria Magdalena
Facta est praenuntia.

4. Ferens Christi fratribus
Eius morte tristibus
Exspectata gaudia.

5. O beati oculi,
Quibus regem sacculi
Morte iam deposita
Primum est intuita.

6. Haec est illa femina,
Cuius cuncta crimina
Ad Christi vestigia
Eius lavit gratia.

7. Quae dum plorat et mens erat
Facto clamat quod cor amat
Iesum super omnia.

8. Non ignorat, quem adorat,
Quod precatur, iam deletur,
Quod mens timet conscia.

9. O Maria, mater pia,
Stella maris appellaris
Operum per merita:

Matri Christi coaequata,
Dum fuisti sic vocata
Sed honore subdita.

10. Illa mundi imperatrix,

Ista beata peccatrix
Laetitiae primordia
Fuderunt in ecclesia.

11. Illa enim fuit porta,
Per quam salus est exorta:
Haec resurgentis nuntia
Mundum replet laetitia.

12. O Maria Magdalena,
Audi vota laude plena,
Apud Christum chorum istum
Clementer concilia.

13. Ut fons summae pietatis,
Qui te lavit a peccatis
Servos suos atque tuos
Mundet data venia:
Amen dicant omnia.

Adelphus: „Hoc cantieum canitur ob reverentiam dominicae resurrectionis. Et similiter optime potest cani in sollemnitate divae Magdalenae.“ Equidem inveni apud Torrentinum, Clichtovaeum, in Missali Pragensi, Praemonstratensi, al.: est tamen inter rariora. — 2. Cl. ex. 8. Cl. nam del. Ut est sequioris aetatis, multas voces et formulas ex antiquis carminibus de festivitate Paschali vel de laudibus Magdalenae conscriptis in nostrum vides translatas.

CCLXXVI.

De S. Nicolao.

Sospitati dedit aegros olei perfusio:
Nicolaus naufragantum affuit praesidio:
Revelavit a defunctis defunctum in divio:
Baptizatur auri viso ludaeus indicio:
Vas in mare mersum patri redditur cum filio:

O quam probat Sanctum Dei farris augmentatio.
Ergo laudes Nicolao concinat haec concio,
Nam qui corde poscit illum propulsato vitio
Sospes resiliet.

Rara est in libris haec S. Nicolai laudatio: nec minus rara et singularis rhythmica carminis *οἰκονομία*. Miracula Sancti ne fusius explicemus vetant arctiores huius libri fines: accedit quod in aliis prosis iam commemorata sunt. Unum, quod tangit poeta explanet nobis Adelphus stilo hirsuto ac barbaro: *Fuit quidam dives nimis depauperatus et nullus ei succurrere dignabatur. Sed quidam Iudaeus misertus sui accommodavit ei portionem auri hac conditione apposita, ut in die praefixo solveret commodatum. Maxime fuit ditatus per aurum Iudaei. Termino vero solutionis adveniente Iudaeus suum aurum repetiit. Tunc civis praedictus baculum perforavit, infundens aurum pondere sibi concesso, ministrans Iudaeo baculum ac iurans se aurum ei reddidisse ac persolvisse debitum plus quam deberet atque iureiurando affirmavit per imaginem divi Nicolai. Facto autem iuramento debito petiit sibi reddi baculum: Iudaeus fraudis ignarus ei baculum restituit. Contigit vero una dierum quod civis iste exiret visitando agros suos. Quum multum delectabatur dormire ponens se in bivio ubi dyplex erat via, ponens baculum suum iuxta se. Accidit autem quendam advenire aurigam cum curru pleno lapidibus, qui propter declivitatem viae et descensum currum retinere non potuit, qui cecidit supra civem dormientem, interficiendo hominem et baculus frangebatur. Quo facto aurum exivit atque rumor ad urbem veniens Iudaeum exire compulit, aurum colligendo quasi suum. Et rogavit b. Nicolaum ut mortuum suscitare dignaretur. Quod et factum est. Extunc Iudaeus se fecit baptizari ac fidem Christi recepit viso miraculo.* Videmus historiunculam optime congruere ac convenire cum illa, quam Cervantius, Hispaniae lumen, evenisse iocatur in insula Barataria. Sed quae auctor carminis supra scripti tribuit Sancto, ille refert ad Sanctum.

CCLXXVII.

Sequentia contra Turcas.

Sponsa Christi et decora
Funde preces et exora
Sancta Dei ecclesia:
Salvatorem exorare,
Ut te velit liberare
A Turcarum rabie.
Congregati sunt potentes
Terras nostras invadentes,
Furore et gladio:
Subingare iam coeperunt
Et Bizantium tenuerunt
Magna cum potentia:
Sacras aras profanarunt,
Templa Christi depraedarunt
Tanquam canes rabidi:
Sacerdotium extinxerunt,
Vasa Christi rapuerunt
Sine reverentia:
Sanctos Christi exhumarunt,
Beata ossa dimembrarunt

Proiiciendo canibus:
Fidem Christi ibi colentes
Occiderunt et videntes
Deriserunt mittentes in exilium.
Deflorarunt inter aras
Et vastarunt Deo caras
Et pudicas virgines.
Parietes ubi Christus
Cum sua matre erat pictus
Deleverunt continuo.
Deturbarunt sanctos omnes,
Et campanas et ambones
Dederunt silentio.
Subverterunt continuo
Canes isti, o quam rei
Facti sunt in omnibus.
Surgunt rursum praepotenter,
Dimicando incessanter
Quasi totam Graeciam
Iam invadunt, iam affligunt
Tristia nos, iam constringunt
Servire idolalatriae.
Congregantur in furore
Nec dimittent intrare
Contra Christum dominum.
Tibi Christo comminantur,
Petri sedem detestantur,
Et Christi vicarium.
Loca et regna Christianorum,
Potestates populorum
Debellare ambiunt.
Iam nunc clama, iam nunc ora,
Deprecare sine mora
Sancta Dei ecclesia.
Tempus instat, vigil esto,
Deprecare corde moesto
Redemtorem omnium.
Qui te sanat a peccatis
Et redemit cum renatis
Suo caro sanguine;
Qui inferni portas fregit
Et peccatum iam subegit
Ut te salvam faceret:
Qui in Petro petram duram
Te fundavit permansuram

Ipsi soli supplica:
Perscrutare et interpellare,
Quantum possis recordare,
Quod nunquam deficies.
Vestis Christi sic sortita
Neque scissa nec irrepartita
Fuit inconsutilis.
Quae haereticos prostravit
Et schismaticos damnavit
Vult quod scis perpetua.
Muros tuos fortes fecit,
Scutum, arma in te iecit
Sanctorum martyrio:
Si fideli et devota
Supplicabis mente tota
Christus te exaudiet.
Non vult mortem peccatorum
Sed reatus delet horum
Vere poenitentium.
Omnes qui in eum credunt
Et ab idolis recedunt
Erunt filii liberae:
Quotquot vero Mahometum
Iam sectantur indiscretum
Delebit exterminatio.
Iesu bone, Iesu pie,
Preces nostras in hac die
Quas fundimus exaudi:
Tu qui potes, tu qui vales
Adversarios nobis hostes,
Tu contere, tu comprime.
Vide ecclesiam profanatam,
Fidem tuam conculcatam,
Nisi desuper adiuves:
Tu ex alto mitte manum,
Hunc rebellem, hunc profanum
Canem Turcam profuga.
Dominator es cunctorum
Terrae, maris, rex coelorum
Tua est potentia.
Sine te nihil valemus,
Nec resistere possumus
Sine tuo suffragio:
Ergo exaudi nos clementer
Iesu pie et potenter

Inimicos destrue. Et nobis des victoriam.
Tu nos rege, nos defende, In labore consolare
Nos conserva, nos intende, Nosque fac regnare
Hostes procul retrude, Et nos omnes numerari
In coelesti gloria.

Debemus hoc bellicum carmen Schultingio, qui in Bibliothecae suae Tom. III. p. 93. ex vetusto Missali lectoribus communicavit. Vix dubitari potest, quin haec Sequentia, Missae votivae contra Turcas interserta, eo tempore confecta sit, quo tristis et funestus nuntius perferretur, Constantinopolin a nefando Turcarum grege esse captam. Cecinit poeta sine arte carmen incomptum atque impolitum: pectus tamen fecit eum disertum ita ut moerores atque iras Christianae gentis nativis coloribus eum expressisse concedas. Nunc, cum iam ad ruinam vergat „indiscreti Mahometi“ imperium, iuvat meminisse mali praeteriti, exultare in triumpho crucifixi, quum suorum preces tam praeclare exaudierit.

CCLXXVIII.

De S. Nicolao Tolentinate.

1. Tibi Christe, redemptori,
Nostro vero salvatori,
Sit laus et gloria.

2. Tibi nostro pio duci
Et totius mundi luci
Plaudat omnis spiritus.

3. Te Christe coelum praedicat
Terraque laudes replicet
In Nicolai canticis.

4. Iam a fine saeculorum
Vitae ducem et lumen morum
Nicolaum providisti.

5. Nicolaus verus frater,
Vere noster bonus pater
Hodie resplenduit.

6. Pauper vere pauper Christi,
Verus servus Iesu Christi
Et Confessor optimus.

7. Castus florens tanquam lilium,
Lux et specimen fidelium,
Cunctarum lumen mentium.

8. Salus, lux et refugium
Et morborum simul omnium
Curator eximius.

9. Caeci vident, claudi pergunt,
In profundum mala mergunt
Pii per hunc coelitem.

10. Audiunt surdi, muti fantur,
Mortui surgunt et laetantur
Hoc divino munere.

11. Omnes gentes accurrite
Et devota mente quaerite
Ex hoc fonte remedium.

12. Ite pii, simul quaerite
Et quaerendo inardescite
Nicolai laudibus.

13. Ille noster est patronus,
Pius pastor, pater bonus
Et pietatis formula.

14. Ille noster est protector
Gloriosus et assertor
Per cuncta pericula.

15. Nicolae pastor bone,
Dulcis pater et patrone
In Christo viventium:

16. Tu nos rege, nos guberna,
Ducens tecum ad aeterna
Paradisi gaudia.

Desumpta est Prosa ex Missali Eremitarum S. Augustini (Aug. 1.)

CCLXXIX.

De S. Ursula et Sociabus.

1. Virginalis turma sexus
Iesu Christi quae connexus
Dono sentis gratiae:
Flos candoris tui rubet,
Trucidari dum te iubet
Tortor pudicitiae.

2. Britannorum insulae
Rector, pater Ursulae
Deo notus claruit:
Hanc Conanus virginem
Propter pulchritudinem
Parem tori voluit.

3. Procos mittit et precatur,
Minis terret si spernatur
Sibi poscens Ursulam:
Pater eius iam baptismi
Fonte lotus, paganismi
Prorsus vitat copulam.

4. Interim Ursula
Christi discipula
Docta per somnium
Statuit nuptias,
Quaerens inducias
Trimatus spatium.

5. Vice dotis coniugii
Reginae votis habiles
Dato sumptu navigii,
Coaevae dantur nobiles.

6. Undena demum millia
Sponsae transmittit virginum
Ducunt naves per maria
Curam spernentes hominum.

7. Aura flante lenius
Discedunt a littore
Hinc illuque saepius
Plano ludunt aequore.

8. Hinc manus feminea
Rexit dante domino
Naves quas Basilea
Brevi vidit termino.

9. Relictis navibus
Ordinant acies,
Ventis et aestibus
Exponunt facies,
Et Romam adeunt:
Per monasteria
Fundentes lacrimas
Trahunt suspiria,
Commendant animas
Sanctis et redeunt.

10. Quam in portu reliquerant
Classem simul invenerunt
Magnum flumen et amoenum
Navigantes intrant Rhenum
Per Dei clementiam:
Hic ad locum passionis
Duxit eas dux agonis,
Florem suae iuventutis
Parvi pendunt spe salutis
Euntes Coloniam.

11. O felix Colonia,
Iusta cuius moenia
Barbarorum rabies:

12. Enses, tela, frameas,
Cultros in virgineas
Cruentavit acies.

13. Feliciora virginum,
Connubia virginum
Agnum quae sine macula
Duce sequuntur Ursula;

14. Quarum orationibus
Felices cum felicibus
Pace fruamur sedula
Per saeculorum saecula.

Sicut nunc musicis est mori, ex diversis dramatis meliciis melodias quae suavissimae et hominibus acceptissimae sint, uni symphoniae multa cum modorum varietate intexere atque inserere: ita saeculi decimi quinti poetae cum Sequentias conderent in uno carmine pluribus amabant ludere metris. Cum alia carmina quae supra legimus tum hoc S. Ursulae encomium vetustum Saturae nomen meretur; nam, ut alia praetermittam immiscet e. g. metra carminum: Mittit ad virginem, Veni sancte spiritus, Lauda Sion salvatorem. Erat in plurimis Germaniae ecclesiis usitatum. — 1. Sensus: O turma virginum, tu dono gratiae cum Christo es coniuncta: similis erant virgines liliis candidissimis, sed cum martyrii ornore perfunderentur, fiebant rosae. Pt. cum iubet. 2. Ludit poeta in voce Notus. Regi nomen erat Nothus et notus, acceptus erat Deo. 5. Mg. vitae dotis. 6. transmittit se. Conanus. Mg. navem. 7. Mg. levius. Verum poetam auctor carminis se in hoc versiculo

praebuit. 10. Mg. quas — classes. Torr. clarum fl. Vides quantis laudibus iam illo tempore Rhenum nostrum esse celebratum, quem speramus nostrum esse permansurum. 11. Pt. Nb. subter cuius. 13. Valde fluctuat scriptura. Ad. Torr. connubia tot millium. Mg. o quam felicia sunt virginum connubia. Nobiscum faciunt Pt. Nb. al. Haec est poetae sententia: Felix Colonia, felicius illarum virginum cum Christo connubium. Sed quid dico virginum? Non sunt virgines sed viragines, virili constantia sexum muliebrem prorsus excedentes.

CCLXXX.

Sequentia de dulcissimo Nomine Iesu.

1. Iesus dulcis Nazarenus,
Iudaeorum rex amoenus,
Pius, pulcher, floridus:
Pro salute suae gentis
Subit mortem cum tormentis
Factus pallens, lividus.

2. Dulce nomen et cognomen
Hoc transcendens est praenomen
Omnibus nominibus.
Mulcet reos, sanat eos,
Fovet reos, mundat eos,
Servat ab insultibus.

3. Huius regis sub vexillo
Statu degis in tranquillo
Hostes tui fugiunt:
Nomen Iesu meditatum
Belli fugat apparatum,
Hostes victi rugiunt.

4. Hoc est nomen recolendum
Quod sic semper est tremendum
Malignis spiritibus:
Hoc est nomen salutare
Et solamen singulare
Quod succurrit tristibus.

5. Hoc nos decet honorare
Arca cordis inserare,
Cogitare, peramare
Amore sed heroico:
Ignatius hoc docuit,
Hoc passus insonuit,
Cor eius scissum patuit
Inscriptum Iesu coelico.

6. Ut quid maiora cupimus
Quam quod Iesus sit intimus,
Quod est praeamantissimus
Et quaerit nos amare:
Amat ferventissime,
Amat constantissime
Et suos vult iuvare.

7. Nomen suum fecit tale,
Ut sit cunctis cordiale,
Capitale, principale,
Dilectum ex intimis
Habent hoc natura iura
Ut amantem tota cura
Reamemus, placitura
Praestantes ex animis:

8. Iesu nomen omne bonum
Tenet, dulcem facit sonum,
Promeretur regni thronum,
Auditum laetificat:
In hoc lucet splendor patris,
In hoc patet decor matris,
In hoc fulget honor fratris
Hoc fratres magnificat.

9. Caput Iesu, cor, mens, manus,
Vulnus, livor, sanguis planus,
Pedes, corpus, vigor sanus
Parantur hominibus.
Haec torquentem passa dura
His lacsura et natura
Reparantur pia cura
Purgatis criminibus.

10. Ergo si quis velit scire,
Quare nomen Iesu mire
Facit bonos concupire
Sui inhaerentia:
Iesus pulcher in decore
Summe bonus in valore
Mitis, lenis cum dulcore,
Pronus ad clementiam.

11. Iesus est rex gloriosus,
Iesus forma speciosus,
Iesus lingua gratiosus
Et mirandus opere:
Iesus fortis, animosus,
Iesus pugil vigorosus,
Iesus donis copiosus
Et gaudet tribuere.

12. Iesus pie viscerosus,
Iesus doctus luminosus,
Iesus est deliciosus
Et sapit dulcissime:
Iesus forma gloriosus,
Iesus cunctis fructuosus,
Iesus totus virtuosus
Fovet suos optime.

13. Summus potens in vigore,
Summus celsus in honore,
Summus gratus in amore
Omnem laudem obtinet:
In sciendo omne sapit,
Ambiendo cuncta capit,
Diligendo corda rapit
Et illata retinet.

14. Eia nobis nomen gratum
Dulcis Iesus appellatum
Sic in corde sit firmatum
Ut non possit exui:
Hoc reatum peccatorum
Tollat, praestet iubilorum
Odas sede beatorum
Donet nobis perfrui.

Sequentiarum agmen claudat Prosa quam ex vetusto Praemonstratensium Missali descripsi, ordine sed minime poeticae virtutis praestantia et pii animi fervore novissima. Talia carmina legas necesse est, si cordi tibi est utpote homini

probo et iudici candido, inepta atque iniqua iudicia de religione medii aevi evitare: haec te docebunt futiles fanaticorum et stultorum declamationes habere pro nihilo. Quid hoc carmine dulcius? Quid sublimius et (ut summam commemoremus laudem) quid magis christianum? Faxit Deus Optimus Maximus ut ille infucatus et fervidus redemptoris amor nostra quoque aetate corda fidelium repleat: ut mihi videtur in christianissimis etiam hominibus saepius desideratur, quam ut illam ecclesiae aetatem naso adunco despicere deberemus. Veni sancte amoris spiritus et ignem tuum divinum in nobis accende.

II.

CANTICORUM ET ANTIPHONARUM DELECTUS.

I.

HYMNUS ANGELICUS.

1. Gloria in excelsis Deo,
2. Et in terra pax, hominibus bonae voluntatis.
3. Laudamus te,
4. Benedicimus te,
5. Adoramus te,
6. Glorificamus te,
7. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam,
8. Domine Deus rex coelestis, Deus pater omnipotens,
9. Domine fili unigenite, Iesu Christe,
10. Domine Deus, agnus Dei, filius patris:
11. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis,
12. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram:
13. Qui sedes ad dexteram patris, miserere nobis:
14. Quoniam tu solus sanctus,
15. Tu solus Dominus,
16. Tu solus altissimus, Iesu Christe,
17. Cum sancto spiritu in gloria Dei patris. Amen.

Quisquis B. Lucae de partu Mariae narrationem attente legit, eam mirum in modum ut sublimitate ita etiam simplicitate et ut ita dicam pietate excellere fatebitur. Quae indoles cum in tota narratione conspicua sit, tum in eâ quae angelorum exhibet laudes, cernitur parte,*) quae iam antiquis

*) Lutherus W. XIII, 178: Das ist die köstliche Engelpredigt, dazu kommen viele tausend andere Engel und heben eine schöne

temporibus κατ' ἐξοχήν doxologiae nomen ab ecclesia iure accepit. Coelestia angelorum verba iam antiquitus in usu sacro fuisse, ut coniectura licet assequi, ita historiae testimoniis confirmatur: etenim iam in liturgia Iacobi triplex illorum verborum repetitio iubetur, indeque ni fallor factum est, ut nonnulli hymnum supra a nobis exhibitum iam apostolos in usum sacrum adhibuisse putarent. Haec tamen opinio firmis argumentis probari nequit, omninoque hanc per occasionem non possumus quin moneamus cavendum esse ne quis simplicia angelorum verba (quae sine dubio inde a primordiis ecclesiae Christianae semper et ubique in usu erant) et eorum in hymno nostro expositionem atque illustrationem unum idemque esse iudicet. Primum hoc unum certum est, hymni nostri originem ad ecclesiam orientalem referendam esse, *) quod quidem cum pluribus testimoniis probari possit, satis habemus unum attulisse ex Constitutionibus Apostolorum (VII, 48. Coteler.) in quibus sub nomine προσευχῆς ἑωθινῆς haec afferuntur: *Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία· αἰνοῦμέν σε, ὑμνοῦμέν σε, εὐλογοῦμέν σε, δοξολογοῦμέν σε, προσκυνοῦμέν σε διὰ τοῦ μεγάλου ἀρχιερέως· σὲ τὸν ὄντα Θεὸν ἀγέννητον ἕνα, ἀπρόσιτον μόνον· διὰ τὴν μεγάλην σου δόξαν· κύριε βασιλεῦ ἐπουράνιε, Θεὲ πάτερ παντοκράτορ κύριε ὁ Θεὸς ὁ πατὴρ τοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἀμώμου ἄμνου, ὃς αἴρει τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου· πρόσδεξαι τὴν δέησιν ἡμῶν· ὁ καθήμενος ἐπὶ τῶν Χερουβίμ· ὅτι σὺ μόνος ἅγιος· σὺ μόνος Κύριος Ἰησοῦς, Χριστὸς τοῦ Θεοῦ πάσης γεννητῆς φύσεως, τοῦ βασιλέως ἡμῶν· δι' οὗ σοι δόξα, τιμὴ καὶ σέβας.* **)

Music an; dass gleichwie diese Predigt eine Meisterpredigt ist, also folget auch ein Meistergesang darauf, ein onglischer Gesang, welchen man in der Welt vor nie gehört. p. 190. Also ist dieser fröhliche tröstliche Gesang fein kurz von den lieben Engeln gefasset; dabei man wohl spüret, dass er nicht auf Erden gewachsen noch gemacht, sondern vom Himmel herunter gekommen ist.

*) Fortasse ex illorum numero est hymnus qui commemorantur apud Eusebium H. E. V, 18. ψαλμοὶ δὲ ὅσοι καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπ' ἀρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες. Tom. Smith notissimum Plinii locum ad doxologiam trahit: porro suspicatur hunc ipsum hymnum esse ᾠδὴν illam πολυώνυμον quam Lucianus in Philopatride suggillat. Cf. Gesneri annotationem ad h. l.

**) Notat Clericus Codicem Vindobonensem, seriori tempore conscriptum, hymnum ad orthodoxorum formulas refinxisse. Pro δοξολογοῦμεν exhibet εὐχαριστοῦμεν, porro discrepat in gravioribus: κύριε υἱὲ μονογενὴ Ἰησοῦ Χριστὲ καὶ ἅγιον πνεῦμα· κύριε ὁ θεὸς ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς, ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου, πρόσδεξαι τὴν δέησιν ἡμῶν, ὁ καθήμενος ἐν δεξιᾷ τοῦ

Aliam Hymni Angelici textum, procul dubio aliquantulum recentiorem exhibuit Inc. Usserius in Appendice Dissertationis de Symbolis, qui ex variis Psalteriis MSStis, quae describit in Praefatione Dissertationis carmen exhibuit.

Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία· αἰνοῦμέν σε, εὐλογοῦμέν σε, προσκυνοῦμέν σε, δοξολογοῦμέν σε, εὐχαριστοῦμέν σοι διὰ τὴν μεγάλην σου δόξαν, κύριε βασιλεῦ ἐπουράνιε Θεὲ πάτερ παντοκράτωρ, Κύριε υἱὲ μονογενὲς, Ἰησοῦ Χριστὲ καὶ ἅγιον πνεῦμα· κύριε ὁ Θεὸς, ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς, ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου, ἐλέησον ἡμᾶς· ὁ αἴρων τὰς ἁμαρτίας τοῦ κόσμου πρόσδεξαι τὴν δέησιν ἡμῶν· ὁ καθήμενος ἐν δεξιᾷ τοῦ πατρὸς, ἐλέησον ἡμᾶς· ὅτι σὺ εἶ μόνος ἅγιος, σὺ εἶ μόνος κύριος, Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν Θεοῦ πατρὸς. Ἀμήν.

Porro legitur Hymnus *στιχηδὸν* exaratus, in notissimo S. Scripturae Codice Alexandrino, unde in Bibliis Polyglottis Londinensibus descriptus est. Prorsus consentit celebratissima illa membrana cum textu Usserii, praeter pauca. Habet: *εὐχαριστοῦμέν σε, υἱὲ μονογενὴ*, repetit denique formulam *ἐλέησον ἡμᾶς* ante verba: *πρόσδεξαι τὴν δέησιν ἡμῶν*. Iuvat tandem afferre locum Athanasii de virginitate: *πρὸς ὄρθρον δὲ τὸν ψάλμον τοῦτον λέγετε· ἰ Θεὸς, ὁ θεός μου πρὸς σὲ ὀρθρίζω· ἐδίψησέ σε ἡ ψυχή μου διὰ φαῦμα δὲ εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα κυρίου τὸν κύριον· Δόξα ἐν ὑψίστοις καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη εν ἀνθρώποις εὐδοκία· ὑμνοῦμέν σε, εὐλογοῦμέν σε, προσκυνοῦμέν σε καὶ τὰ ἑξῆς.* Nihil in inquirenda cantici aetate refert utrum ille de virginitate liber vere ab Athanasio profectus sit nec ne: nam Constitutiones Apostolorum Athanasio saltem esse antiquiores ne unus quidem criticorum hominum abnegavit. Probat locus cum aliis canticum apud Graecos sub nomine *ψάλμου ἑωθινοῦ* vel *δοξολογίας μεγάλης* fuisse inter usitatissima. Iam transeamus ad occidentalem ecclesiam.

Qui de rebus liturgicis disputarunt vetustiores scriptores, Telesphorum Pontificem Romanum (128—138) instituisse referunt, ut „ante sacrificium“ diceretur Angelorum Hymnus. Cf. Anastas. Bibl. in vita Tel. Walafridus Strabo de reb. eccl. c. 22. Amalarius Fortun de off. eccl. 3, c. 8. Berno Aug. de quibusdam rebus ad Missae Officium pertinentibus. c. 2. et ipsem et Telesphorus Epist. Decret. c. 2. Narrant insuper Rabanus de instit. cleric. c. 32. et Innocentius III. de Myst.

πατρὸς ἐλέησον ἡμᾶς· ὅτι σὺ εἶ μόνος ἅγιος, νὺ εἶ μόνος Χριστὸς Ἰησοῦς· Χριστὸς εἰς δόξαν τοῦ θεοῦ πατρός. Iam perspicies hunc codicem proxime accedere ad Usserium et Cod. Alexandrinum.

Missae c. 20. integrum carmen a Telesphoro esse confectum, quod non ita verisimile est ut facile credi possit. Libenter concedo, Telesphorum primum fuisse qui verba: Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis in Missa cantari iusserit; de iis quae sequuntur nihil licet concludi. Maiorem fidem igitur meretur Alcuinus de div. Offic., qui a Telesphoro carmen usque ad verba: Laudamus te compositum, caetera addita esse dicit a S. Hilario Pictaviensi. Similia statuere videntur iam Patres in Concilio Toletano congregati quarto canone duodecimo: „Et ille hymnus quem nato in carne Christo angeli cecinerunt, Gloria — voluntatis angelicus est. Reliqua quae ibi sequuntur ecclesiastici doctores composuerunt. Ergo nec ipsi in ecclesia canendi sunt, quia in sanctarum scripturarum locis non inveniuntur — — sicut igitur orationes ita et hymnos in laudem Dei compositos nullus nostrorum ulterius improbet.“ Nec male convenit translationis latinae indoles aetati Hilarii: nam quae de spiritu sancto addita sunt, satis superque demonstrant, ecclesiam, illo tempore Pneumatomachorum motibus turbatam in eo versatam esse, ut doctrinam de spiritu accuratius exponeret vel *πνεύματι* pares cum patre et filio honores tribueret. Itaque non repugnamus Bernoni qui Symmachum pontificem († 514) totum carmen cultui divino in diebus Dominicis et Natalitiis martyrum adnexuisse autumat. Quod servasse videmus Gregorium, in Sacramentarii exordio haec inbentem: „In primis ad Introitum Antiphona, qualis fuerit statutis temporibus, sive diebus festis, seu quotidianis. Deinde Kyrie Eleison. Item dicitur Gloria in Excelsis Deo. Si Episcopus fuerit, (in aliis Codd. affuerit) tantummodo Die Dominica sive diebus festis. A presbyteris autem minime dicitur, nisi solo in Pascha. Quando vero Litania agitur, neque Gloria in Excelsis Deo neque Alleluia canitur.“ Hic usus ab illo qui nunc viget alienus Romae ad undecimum usque saeculum permansisse videtur. *)

*) Dignissima sunt quae virorum doctorum in se vertant animos, verba quae Berno Augiensis l. l. contra hanc Romanae ecclesiae consuetudinem profert in medium: Nunc stylus ad movendam quaestionem sese vertat, ad quam totus hactenus sermo habitus intendebat, videlicet, cur non liceat omni die Dominico vel natalitiis Sanctorum, presbyteros illum hymnum canere, quem nato in carne Domino Angelici cecinere, dicentes: Gloria in excelsis Deo etc. Quod si concessum est illum cantare in Pascha secundum praetitulationem Missalis, non multo minus licitum puto in nativitate Domini, quando primum coepit audiri ab hominibus in terris, qualiter ab Angelis canebatur in coelis. Proferant contradictores in medium, ubinam sit a sanctis Patribus, vel ab ipso sanctissimo Papa Gregorio

Sed illud ecclesiae aevum adhuc ignorabat severam posteriorum temporum disciplinam, ex qua apud omnes omnia ad liturgiam Romanae urbis sunt composita. Extra Italiae fines Hymnus Angelicus inserviisse videtur non Missae sed Matutinis Officiis, servato antiquo nomine προσευχῆς ἑωθινῆς. Ut exempla afferam Usserius in vetusto Psalterio Aethelstani regis (923—940) carmini inscriptum invenit: Hymnus in die Dominica ad Matutinas: item annotarunt monachi S. Mauri ad Concordiam Regularum S. Benedicti Anianensis olim in Laudibus Matutinis esse decantatum. Omnino hymni officium in omnibus vides occupatum quae postea Hymno Ambrosiano demandata sunt. Canebatur in publicis gratiarum actionibus, in quavis sanctae laetitiae atque exultationis interpretatione. Victor Uticensis lib. 3. in passione S. Martyrum, qui Carthagine sub Hunerico rege passi sunt: „Procedebant itaque cum

---

interdictum, et si ad haec respondere non valemus, merito manus damus. Quisquis enim vult ex sacrae scripturae auctoritate aliquid confirmare, debet ex prophetarum oraculis, Apostolorum dictis, antiquorum Patrum conciliis, necnon et eorum scriptis vel gestis, et quod omnibus his maius est, ex sancti Evangelii veritate locum ostendere, unde velit sententiam suam corroborare, unde solemus dicere, Scriptum est in illo, et in illo loco: et legimus in decretis Pontificum, vel in tali Concilio, in illo capitulo. — His satis instruimur exemplis, nil nos delinquere, si ea, quae ex auctoritate Pontificum, qui illum sanctum virum (Gregorium) tempore praecesserunt, instituta suscepimus, et vel ex Gallicanarum Ecclesiarum, aut Hispanicarum usu mutuavimus, fideli devotione servamus, imitantes ipsius beatissimi Papae praedicandam humilitatem. Qui cum reprehenderetur a quibusdam, quod aliarum ecclesiarum morem sequeretur, inter alia fatetur, dicens: Si quid boni vel ipsa videlicet Constantinopolitana, altera Ecclesia habet, ego et minores meos, quos ab illicitis prohibebo, in bono imitari paratus sum. Stultus est enim, qui in eo se primum existimat, ut bona, quae viderit, discere contemnat. Nam si ideo, ut saepe dictum, illum Angelicum hymnum prohibemur in festivis diebus canere, eo quod Romanorum presbyteri non solent eum canere, possumus simili modo post Evangelium Symbolum reticere, quod Romani usque ad haec tempora divae memoriae Henrici Imperatoris nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati, cur ita agerent, me coram assistente, audivi eos huiusmodi responsum reddere, videlicet, quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla haereseos faece infecta, sed secundum sancti Petri doctrinam, in soliditate Catholicae fidei permaneret inconcussa: et ideo magis his necessarium esse illud Symbolum saepius cantando frequentare, qui aliquando illa haeresi potuerunt maculari. At dominus Imperator non antea desiit, quam omnium consensu id domino Benedicto Apostolico persuasit, ut ad publicam Missam illud decantarent. Sed utrum hanc consuetudinem servent adhuc, affirmare non possumus, quia certum non tenemus.

fiducia ad supplicium quasi ad epulas concurrentes voce per ambitus platearum Domino decantantes: Gloria in excelsis Deo et in terra pax, hominibus bonae voluntatis." Gregorius Turon. de gloria M. 1. c. 63. de Iuventione corporis S. Mallosi M. „At ille cum fodisset quasi septem pedes, attigit nares eius odor immensi aromatis, et ait: Credo in Christo, quod ostendit mihi Martyrem suum, quando me haec suavitas circumdedit. Et fodiens reperit corpus illaesum et emittens voce magna: Gloria in excelsis Deo omnem clerum pariter psallere fecit. Dictoque hymno corpus sanctum in basilicam transtulit." Anastasius in Historia Leonis III. agens de occurrsu eiusdem pontificis et Caroli M. „pariter se amplectentes cum lacrimis se osculati sunt. Et praedicto pontifice Gloria in excelsis inchoante et cuncto clero suscipiente, oratio supra cuncto populo data est." Alcuinus Ep. 71: „Et cantate Deo vestro in concordia pacis et unanimitate caritatis perpetuae canticum laudis et cum militia coelesti laudate Deum et dicite: Gloria in excelsis Deo et in terra pax, hominibus bonae voluntatis." (Cf. quae annotarunt monachi S. Mauri ad Sacramentarium S. Gregorii Opp. Greg. Tom. III. p. 586.) In hoc vetusto hymni angelici usu et hoc notatu dignum est, quod in membranis vetustis occurrit carmen graece sed literis latinis conscriptum. Ipse cum Monaci et Vindobonae huiusmodi codices inspexerim haud iniucundum quid lectoribus offerre puto, si unius saltem codicis scripturam hic subiiciam. Dico membranam saeculi decimi, sub Ottone I. exaratam (Bibl. Vindob. No. 1888.), quae hymno latino haec praemittit graeca: Doxa in ipsistis theo Kepigis eriuis in antropis eudochias: ymnumen se eulogumen se doxologumen se eucharistumen se dia ten megalen su doxan kyrie. basileu epuranios thee pater pantocrator. kyrie ye monogene isu Xpe kyrie agyo pneuma kyrie o theos o amnos tu then agyos tu patros o eron tas amartyas tu cosmu eleyson ymas. o eron tas amartyas tu cosmu. prosdexen deesyn ymon. o cathimenos in dexia tu patros eleyson ymas. oti si monos agyos si monos kyrios si monos ipsistos isus Xpe sin agyo pneumatis doxan theu patros.

Postea vero simulac Ambrosianus Hymnus in ecclesia percrebescere coepit, angelorum carmen ubique in Missa recitabatur, inter Kyrie et Collectam collocatum. Quod attinet ad melodiam, arctissime cum novena illa precatione cohaerebat, ut, si diversis festivitatibus adsignatur Kyrie sollemne summum vel semisummum vel Paschale vel Dominicale et Apostolicum, Angelicum et Feriale hoc ad

nostrum quoque carmen pertinere credas. *) Porro homines medii aevi, nimio beatissimae Virginis affectu accensi, vetustae ecclesiae cantioni intermiscebant verba nova atque inaudita, ad Mariae cultum pertinentia, quae in festivitatibus Marianis decantarentur. In omnibus fere Germaniae Missalibus legitur hoc Gloria Marianum, vel ut est apud nonnullos, Coronatum: „Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, hominibus bonae voluntatis. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te, gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, rex coelestis, Deus pater omnipotens, Domine fili unigenite Iesu Christe. Spiritus et alme orphanorum paraclite. Domine Deus agnus, Dei filius patris. Primogenitus Mariae virginis matris. Qui tollis peccata mundi miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram ad Mariae gloriam. Qui sedes ad dexteram patris miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, Mariam sanctificans. Tu solus Dominus, Mariam gubernans. Tu solus altissimus, Mariam coronans Iesu Christe. Cum sancto spiritu in gloria Dei patris Amen.“ — Sed haec inopportuna et superstitiosa hymni mutatio, ab ipso Romano pontifice nunquam probata, saeculo decimo sexto, cum Ordo Missae apud omnes conformaretur Romano, prorsus abrogatam vides, explosam atque deletam. Iam quae hodie ecclesia catholica de cantu angelico praescribit, percipiamus: non moramur ordinum monasticorum in rubrica de Gloria discrepantias, quae levioris momenti sunt.

Hymnum, quem ex Ruperti Tuitiensis sententia ecclesia ex angelorum ore rapuit, non potest quin omni tempore canat, quod sit festivus vel angelicae laetitiae congruum. Reticetur in missis de tempore intra Adventum, a Septuagesima usque ad Sabbatum Sanctum exclusive, in Vigiliis (excepta Vigilia Epiphaniae) et Feriis Quatuor Temporum, in Festo SS. Innocentium, nisi inciderit in Dominicam, et omnino si in Matutinis non cantatum sit Te Deum. **) Si explorare velis

*) In recentioribus libris tantum verba Gloria in excelsis notis musicis insigniuntur. Haec enim intonat Celebrans ante altare, caetera prosequitur Chorus, quia primum unus angelus cantabat, deinde aderat exercitus coelestis multitudo. Diversa ratione intonatur illud Gloria in Festis Duplicibus, Semiduplicibus, in Dominicis, in festivitatibus B. Virginis etc. Mittimus diversas ordinum monasticorum de hymno angelico leges. Vetustus Cisterciensium ordo duplicem statuit melodiam: Dominicis diebus et festis quibus non laboramus, in festis quibus laboramus.

**) Quod ad Missas votivas, dicitur apud plurimos in Missis de Trinitate, de B. Virgine, de Angelis etc. In aliis vetant Rubricae quin intonetur.

accuratius ritum et caerimonias, attendas ad haec: Cantatur Gloria in medio altari. Celebrans habens manus iunctas incipit, ad verbum Gloria manus disiungit; ad in excelsis easdem elevat usque ad humeros, ad verbum Deo iterum illas iungit ante pectus et caput inclinat versus crucem, quod et faciunt ministri qui facta in medio in loco suo genuflexione ascendunt ad altare, ubi cum Celebrante prosequuntur hymnum, cum eodem inclinantes ad verba: benedicimus te, glorificamus te, Domine fili unigenite, suscipe deprecationem nostram et in fine se signantes. In Missis quae sunt maximi splendoris et apparatu musico insignes, angelorum hymnum recitat Chorus inter magnificos tympanorum, tubarum citharurumque strepitus: sedent interea Celebrans, Diaconus et Subdiaconus in cornu Epistolae in sellis sibi paratis. In Missa pontificali non legit Episcopus cantum nostrum ante altare: sed surgit a sede sua et ex libro per presbyterum sustentato militiae coelestis sonos decantat. Summo et speciali honore gaudet hymnus in duabus festivitatibus. Etenim in Nocte Nativitatis Domini, (quae prima illa verba prae gaudio attonita percepit), cum in Missa ad galli cantum inchoatur Hymnus angelicus, omnes campanae sollemnissime, pulsantur, et absolvitur sanctissimum carmen iunctis campanarum et classici sonantis vocibus. In minoribus ecclesiis ad finem usque moventur tintinnabula, quod sane minorem gravitatem habet. Deinde in Feria quinta in Coena Domini ad Gloria in excelsis pulsantur campanae et tintinnabula sollemnius, sed statim obmutescunt. Nam ut omni modo designetur illarum dierum pia moestitia, ad omnes sequentium dierum actus, ad quos alias campanae adhiberi solent, datur signum crepitaculo ligneo, usque ad Gloria in excelsis Sabbati Sancti. Tunc redivivus campanarum sonus redivivum mundi redemptorem expectanti populo renuntiat.

Transeo ad evangelicam ecclesiam. Lutherus, cum plurimas Missae partes obtruncaret, angelorum hymnum reliquit incolumem: immo, summis laudibus exornatum, in Missa sua germanica posuit ante Collectam. Itaque in omnibus Lutheranorum ecclesiis vel latino vel vernaculo sermone decantabatur. Porto notissimum est canticum Nicol. Decii: Allein Gott in der Höh' sei Ehr, quo populus verba sacerdotis prosequebatur. Apud permultos illud carmen quovis die sacro sacra incipiebat vel incipit. *) Ex lege Ritualis,

*) Alia germanica hymni interpretatio et quidem magis accurata: All Ehr und Lob soll Gottes sein minus est nota et celebrata. Cf. Evangelisches Kirchengesangbuch No. 229. de Nic. Decio quae rettulit Vir Doct. Dryander p. 369.

quo utuntur in regno Borussiae, cantat sacerdos ante Collectam: Ehre sei Gott in der Höhe et respondet chorus: Und Friede auf Erden, und den Menschen ein Wohlgefallen. Quae sequuntur: Wir loben dich, wir benedeien dich etc. summis festivitatibus reservantur, sed semel tantum ea audivi in ecclesia Berolinensi, quam vocant cathedralem. Omnino in hac re quoque cernitur summa libertas, vel ut rectius dicam licentia. Ritualis illius lege supersedentes, plurimi Responsorium angelicum interserunt vel omittunt ad libitum, neque temporum Adventus vel Quadragesimae habetur ratio. Persubtiliter enim demonstrant omni die Deum esse laudandum, quod nemo unquam negavit.

Sed haec hactenus. Restat ut illis qui curiosius in hymnum nostrum inquirere velint, ostendamus fontes ex quibus uberiorem notitiam haurire possint. Noverunt omnes Ramachii, Augustii, Binterimii, Rheinwaldii nomina: adeant praeterea Iac. Usserium in Appendice ad Dissertationem de Symbol.; Wilh. Ern. Tentzelii Commentationem de veteris recentisque ecclesiae Hymno: Te Deum laudamus, Vieb. 1686; (Exercitationes selectae 1692. 4. Exercit. X. p. 393—412.) Thom. Smith (ecclesiae anglicanae presbyteri) Miscellanea, Londini 1686. 8. c. 4; Bona Rerum liturgic. lib. XI, c. IV, n. 4; Du Cange s. v. Hymnus Angelicus; Mabillon de liturgia Gallic. c. IV; I. Dallaeus de cultibus latinorum religiosis IX, 9. e. a. — Iam vetustiorum librorum scripturae variae addendae sunt. Post primam clausulam Cod. V. 1. (saec. X.) haec interserit: Odas pangimus tibi almus rex angelorum. Laudamus te qui formasti polum una solum fecisti. Benedicimus te o rex gloriose qui cuncta elementa creasti. Adoramus te. O mater dignissima Maria quae Deum protulisti Glorificamus te. Ex utero virginali Christum genuisti auctorem. In septima clausula apud nonnullos verba alio modo sunt collocata. V. 5. M. 6. 8. Pt. magnam tuam gloriam. M. 14. propter gloriam tuam magnam. Porro in nona clausula in gravioribus discrepant libri. M. 6. 11. 12. Pr. Christe et sancte spiritus. M. 8. Christe cum sancto spiritu. V. 7. 8. M. 14. Nb. Md. Christe altissime. Cod. V. 5. habet et sancte spiritus sed superscriptum est altissime. Miss. Pt. altissime vel et sancte spiritus Procul dubio haec scripturae varietas finxit ex diversis Graecorum codicibus, qui in occidentem profecti sunt: placebit sententia, si textus Graecos, a me supra exhibitos, diligenter inspicias.

II.

Hymnus Ambrosianus.

A. Textus in ecclesia receptus.

1. Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.
2. Te aeternum Patrem omnis terra veneratur.
3. Tibi omnes Angeli, tibi coeli et universae Potestates,
4. Tibi Cherubim et Seraphim incessabili voce proclamant:
5. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth,
6. Pleni sunt coeli et terra maiestatis gloriae tuae.
7. Te gloriosus Apostolorum chorus,
8. Te Prophetarum laudabilis numerus,
9. Te Martyrum candidatus laudat exercitus.
10. Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia,
11. Patrem immensae maiestatis,
12. Venerandum tuum verum et unicum Filium,
13. Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.
14. Tu Rex gloriae, Christe,
15. Tu Patris sempiternus es Filius.
16. Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti Virginis uterum.
17. Tu devicto mortis aculeo aperuisti credentibus regna coelorum.
18. Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris.
19. Iudex crederis esse venturus.
20. Te ergo quaesumus, famulis tuis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.
21. Aeterna fac cum sanctis tuis gloria munerari.
22. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hereditati tuae.
23. Et rege eos, et extolle illos usque in aeternum.
24. Per singulos dies benedicimus te
25. Et laudamus nomen tuum in saeculum et in saeculum saeculi.
26. Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire.
27. Miserere nostri, Domine, miserere nostri.

28. Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te.

29. In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.

B. Versio Theotisca. *)

Thih Cot lopemes,
Thih truhtnan gehemes
Thih ewigan Fater
Eo kiwelih erda wirdit:

Thir alle Engila, thir Himila
Inti alle Kiwaltido,
Thir Cherubyn inti Seraphin,
Unbilibanlicheru stimmo forharent:

Wiher, wiher, wiher,
Truhtin Cot herro,
Follin sint himila inti erda
Thera meginchrefti tiurida thinera.

Thih tiurlicher Potono cart,
Thih wizagono loplichiu ruava,
Thih urchundono Kasconuot
Lobot heri.

Thih thurah unbiwurft erdono
Wihiu gihit samanunga,
Fater ungimezenera meginchrefti,
Erhafftan thinan waran einagun sun,
Wihan auh trost tuam.

Tu chuninc thera tiurida Christ,
Thu fateres simbliger pist sun,
Thu za arlosanne anfingi mannan,
Ni leitlichetos thera magidi ref.

Thu Kerihtemo
Todes angule,

---

*) Cf. Hymnorum Veteris Ecclesiae XXVI. Interpretatio Theotisca nunc primum edita. Gottingae MDCCCXXX. Thes. Hymn. I. Proll. p. XI. Separatim hymnum nostrum ediderat Io. Georg. Eccardus, Helmstadiensis: Hymnus Magnus ecclesiae, quem Te Deum Laudamus vulgo vocant, saeculi IX. initio in Theotiscam linguam conversus etc. Helmstadii 1713. 4. Secuti sumus Wackernagelium D. K. p. 40. cf. p. 864.

Lutai calaupentem
Richi himilo.

Thu za zeswun Cotes sizis
In tiuridu fateres,
Suanari Kelaupanne pist wesan chumftiger.

Thih avur pittemes
Thinen schalchun hilff,
Thea tiuremo pluate archauftos.

Ewigero tua mit wihem thinem
Thiuridu lonot.

Kehaltan tua folch thinaz truhtin,
Inti wola sage erbe thinemu,
Inti rihti sie inti erhewi sie
Unzi in ewin.

Thurah einluze taga wela quhedemes thih,
Inti lobemes namun thinan
In weralt inti in weralt weralti.

Kiwerdo truhtin tage desamo
Ana sunta ussih kihaltan.

Milti unser thruhtin,
Milti unser.

Si miltida thiniu ubar unsih,
Thiu mezu wantumes in thih.

In thih truhtin wanta,
Ni si Kiscentit in ewin.

C. Interpretatio Domini ab Meyer.

1. Herr Gott, dich loben wir,
Herr, dich bekennen wir!
Vater von Ewigkeit!
Singet der Erdkreis dir:
Himmel und Himmelsheer,
Cherubim, Seraphim
Rufen in selgem Chor
Ewig mit hoher Stimm:
Heilig ist unser Gott,
Der Herre Zebaoth!
Himmel and Erd zumal
Sind seiner Ehre voll.

2. Dich lobt der rühmliche,
Heilge Apostelchor,
Dich die gottselige
Hohe Prophetenschaar;
Dich preist der blutigen
Zeugen verklärtes Heer,
Dir bringt die heilge Kirch
Allzumal Ruhm und Ehr:
Vater der Herrlichkeit,
Dir und dem ewgen Wort
Und deinem heilgen Geist,
Tröster und Lebenshort.

3. Christe, du heiliger
König der Herrlichkeit,
Christe, des Vaters Sohn,
Abglanz von Ewigkeit:
Uns zu erlösen hast
Du dich in's Fleisch gesenkt,
Uns durch dein Todespein
Himmlische Freud geschenkt:
Jetzt in des Vaters Reich
Herrschest du mächtiglich,
Einst in des Richters Kraft
Kommst du gewaltiglich.

4. Drum wir dich bitten, Herr,
Hilf uns, den Dienern dein,
Die durch dein theures Blut
Theuer erkaufet sein:
Lass sie nach dieser Noth
Haben in Friede Theil
Mit deinen Heilgen all'n
Dort an dem ewgen Heil.
Rette dein Volk, o Herr,
Segne dein Christenheit,
Selber regier und heb
Hoch sie in Ewigkeit.

5. Herr Gott, dich loben wir
Jeden Tag stetiglich,
Preisen dein Herrlichkeit
Immer und ewiglich.
Gnädiglich, Herr, bewahr
Heut uns von Sünden rein,
Wollest verschonen uns,
Wollst uns barmherzig sein!
Wie wir vertrauet dir,
Werd uns der Gnaden Theil;
Herr, ich vertraue dir,
So bleibt mir ew'ges Heil. Amen!

Pro consuetudine nostra priusquam attingamus prolixas ac spinosas virorum doctorum de auctore Hymni Triumphalis disputationes, quaerendum est ubi antiquissima fiat nostri carminis mentio. Neque in hac re nascuntur dissidia. Extra dubitationis aleam positum est, primum commemoratum esse canticum in Regula S. Benedicti c. XI.: „Post quartum Responsorium incipit Abbas Te Deum Laudamus, quo praedicto legat Abbas lectionem de Evangelio cum honore et tremore, stantibus omnibus, qua perlecta respondeant omnes Amen et subsequatur mox Abbas Hymnum: Te decet laus.“ Accedit eiusdem saeculi sexti testimonium. Nam et Teredius sive Tetradius, Burgundus, Cabilonensis, Caesarii Arelatensis nepos qui dictante S. Caesario regulam ad Monachos scripsit cantici nostri ἐπινίκιον iniicit mentionem cf. L. I. a. S. Carolo lib. I. de Script. Cabil. p. 6. Sane utriusque testimonio confirmatur, canticum iam saeculo quinto natum, immo famam quandam nactum esse, neque amplius in controversiam vocatur, respuendas esse quorundam opiniones, quibus carmen post Benedicti tempora confectum esse videtur.

Iam vero, si accuratius auctoris nomen atque aetatem investigare tentamus, in coniecturae latissimum campum deferimur. Et quidem primo loco occurrit de origine hymni nostri narratio saepe inde ab antiquissimis ad recentiora usque tempora prolata immo defensa, ut apud omnes nunc quoque Hymni Ambrosiani nomen sit usitatum. Exponat nobis fabulam Jod. Clichtovaeus Eluc. Eccl. II, 52.: Hoc canticum a celeberrimis sanctae ecclesiae Doctoribus Augustino et Ambrosio dicitur esse compositum, quum hic illum sacris baptismi abluisset undis et post diuturnas errorum tenebras ad verae fidei lumen reduxisset. Tunc enim ambo in gratiarum actionem de suscepto divino munere dicuntur erupisse per hoc divinae maiestatis praeconium et alternando vices, Ambrosio quidem inchoante et Augustino subsequente ipsum a principio ad finem usque deduxisse. Unde fere ab omnibus inscribitur Canticum Sanctorum Augustini et Ambrosii." Haec Clichtovaeus, haec ingens aliorum scriptorum numerus aetate ipso et inferiorum et superiorum. *) Sed fere omnes ad unum testem confugiunt. Asservatur nimirum Mediolani in bibliotheca Capituli Metropolitani Chronicon manuscriptum Dacii sive Datii, (ut putabatur) Mediolanensis episcopi qui floruit non ut voluit Bellarminus de script. eccl. et Ger. Vossius de hist. lat. c. 11. sub Iustino imperatore sed sub Iustiniano et diem supremum obiit a. 553. (Henr. Norisius Dissert. de Quinta Synodo Oecumen. c. V. VI. et notae Baller.). Damus locum, de quo litigant viri docti (lib. I. c. 10.) prout legitur in Muratorii Scriptt. Rerum Italic. Tom. IV.) „Eodem tempore contigit ut quidam sapiens, tamen errore Manichaeorum seductus, nomine Augustini, argumentis dialecticae armatus et postea Dei fidelis et catholicus vivens episcopus cum in ecclesia hyemali non orationis curiositate neque secundum causam utilem videndi et audiendi domini mysterii sed reprehendendi gratia b. Ambrosium de incarnatione Domini ad populum invenisset tractantem et praedicantem, oblitus sui et suarum omnium cogitationum, pallens et tremens omnibus qui erant et videntibus obriguit. Quin etiam finita admonitione, quam ad populum b. Ambrosius ministrabat, privatim ad eum Augustinus pervenit. At b. Ambr. cogitans eius scientiam patefactaque eius disciplina quid in arte valeret, qualiter in fide catholica dissentiret, et per spiritum sanctum cognoscens qualiterque fidelis et catholicus futurus esset, placidissime et multum ca-

*) Cf. e. g. ex vetustioribus G. Durantum in Rat. Div. Offic. III. c. 15. Chronica S. Aegidii ad an. 386. Script. Brunsvic. Tom. III. p. 369: S. Ambrosius hymnos composuit feriales. Te Deum Laudamus composuit cum S. Augustino et aliqua Gradualia et Alleluia.

ritative eum suscepit. — — Tandem nutu divino non post multos dies sicut multis videntibus et sibi consentientibus palam observaverant, sic in fontibus qui B. Ioannis adscribuntur, Deo opitulante a B. Ambrosio cunctis fidelibus huius urbis adstantibus et videntibus in nomine sanctae et individuae trinitatis baptizatus et confirmatus est. In quibus fontibus prout spiritus sanctus dabat eloqui illis Te Deum Laudamus decantantes cunctis qui aderant audientibus et videntibus simulque mirantibus in posteros ediderunt, quod ab universa ecclesia catholica usque hodie tenetur et religiose decantatur: et quasi ditati multis divitiis et inaestimabilibus margaritis mutuo in Deum laetantes et cum gratiarum actione cibum sumentes laetati sunt et gaudio magno gavisi in Deo confortati sunt." Sed haec historiuncula, postea magis dilatata atque expicta, *) iam per se suspiciosa videtur. Quod non ita intellectum volo ut adsentire videar Teutzelio, haec disputanti: „Quis sibi persuaderet, Augustinum in libris confessionum et Ambrosii hymnos et eorum vim ad animos commovendos et omnia praecipue notatu digna in baptismo suo gesta commemorantem id praetermissurum fuisse quod a sequiorum temporum scriptoribus pro miraculo habetur et baptismati suo splendorem et Ambrosianorum canticorum efficaciae plurimum ponderis addidisset. Quis hanc sive incuriam sive negligentiam Augustino tribueret, quod peculiare divinae adsistentiae ac bonitatis erga se argumentum tam facile memoriae elabi passus fuit nec caeteris in confessione sua addidit, cuiusmodi plurima in toto isto opere percenset debitisque laudibus prosequitur. Aut si omnino hac in re Augustinus aliquid omiserit, quod nullus tamen virtutum eius pietatisque admirator concedet, qui factum est ut Possidius in vita Augustini miraculosam hymni originem pariter conticuerit." Nam fere nullius ponderis sunt argumenta, quae dicuntur a silentio: et plura alia, quae de baptismo suo deque sua vita universa dicere potuisset, Augustinus praetermisit. Sed quae Datius iste de Augustino atque Ambrosii commercio commemorat, quae refert de disputationibus ab Augustino Mediolani ob vanam gloriae cupidinem habitis, haec sane male conveniunt libro Confessionum. Verum enimvero quid loquor de Datio? Sagacissi-

*) Cf. e. g. Cosmas Magallanus Commt. in Libr. Iudicum p. 366. — — Atque hoc modo canticum duorum patrum contextum celebratur in quadam Concilii Lateranensis oratione coram Ro. 2. Sanctus enim Ambrosius in eo introducitur dicens: Te Deum laudamus, ipso quoque Augustino respondente: Te Dominum confitemur.

morum virorum consensu firmatur sententia chronicon praelaudatum foetum esse suppositititium, ita ut patronis eius illud Terentianum commendandum videatur: Desine, iam conclamatum est. Primus Hugo Menardus in Notis ad ritum antiquum unctionis Regum Francorum quem subiecit Sacramentario Gregorii certum ait, non esse S. Dacii illud chronicon, quod non redoleat stilum illorum temporum atque etiam quaedam falsa contineat. Subscripsere Menardo Theoph. Raynaudus Partit. I. de bonis et malis libris. Erot. X. n. 189. Gavantius in Rubric. Breviar. Sect. V. c. 19. Oudinus in Supplemento Script. Eccl. p. 127. C. Sandius Animadv. in Vossium de Hist. Lat. p. 21. 22. e. a. Sed recte monuit Labbeus ne festinantius damnaretur liber, qui nunquam typis excusus sit, quem nemo oculis viderit vel manibus versaverit. Neque tamen desideratur accuratior huius controversiae explanatio. Acerrime enim cum in ecclesia Romana disputaretur, an panis azymus perpetuo ab apostolorum temporibus in latina ecclesia adhibitus fuerit, qui hoc negarunt, protulerunt inter alia Dacii Chronicon, quo testante ipsum Ambrosium fermentatum cum azymo benedixisse demonstrarunt cf. Nat. Alexander Saec. XI. Histor. Eccl. Diss. XI. p. 331. At vero Mabillonius, contrariae sententiae patrocinium suscipiens in peculiari de azymo et fermentato Dissertatione Dacium inter dubiae fidei auctores reposuit, nec de eius veritate certi quidquam definivit; data autem occasione ampliorem eius rei notitiam Mediolano accersivit, missa schedula sex quaestiones continente, ad quas responsum obtinuit bibliothecarii manu subscriptum sigilloque notatum, idque promulgavit initio tom. I. Analectorum p. 4—6. Ex illius epistolae testimonio codex sexcentos annos non superat, nec eadem manu est descriptus, neque ab eodem auctore: nam primam partem scripsit Landulfus senior, secundam Arnulfus et tertiam Landulfus iunior, omnes Mediolanenses historici (circa a. 1000). Neque incipit chronicon ab exordio mundi sed refert initia ordinum ecclesiae Mediolanensis: narrat ea quae contigerunt tempore Alexandri secundi et claudit historiam anno MLXVII. Neque in chronico fuit mentio horrendae famis, quae contigit tempore Sylverii papae, eiusque testis adducitur Dacius a Paulo Diacono et Anastasio. Haec omnia cum diligenter perpendisset Mabillonius, non dubitavit, quin in Museo Italico Tom I. p. 107 aperte librum „qui perperam Datio archiepiscopo tribuitur“ Landulfis illis adsignaret. Neque a sententia eius recessit vir summae auctoritatis, Muratorius Script. Rer. Italic. Tom. IV. p. 64 sqq. Dolebat tamen praecipue ordo Eremitarum S. Augustini, quod tam pulcra de baptismo patris sui narratio velut spuria explosa

sit: surrexit igitur Chronici Daciani vindex aeque acerrimus atque doctissimus, Pater Eustachius a S. Ubaldo. (De Dei Benedictione Commentariolus seu ad selectiora patrum excalceatorum Ordinis Eremitarum S. Augustini de vocali Dei cultu statuta Observationes variae, quibus binae accedunt Disquisitiones I. de Hymni Te D. L. auctoribus II. de cantu a D. Ambrosio in Mediolanensem ecclesiam introducto. Mediolani 1695. 4.) Summis viribus vir doctus in elaboratissima commentatione prima id evincere studet, ut fides tribuatur vetustae illi narrationi quod adeo communis et inveterata sit. Magnum illorum qui eum ipse faciant catalogum auxit. *) Imprimis adstruendae Daciani chronici auctoritati multum operae impendit, atque uti hodie quidem non amplius reperiri concedit, sic olim certe exstitisse indubium pronuntiat, cum pluries et a pluribus scriptoribus antiquis allegetur et laudetur (Bernardinus Corius, Galvaneus, Flamma c. 1344. Auctor Chronici Flos florum c. 1339.) Ipsum vero Mediolanensem archiepiscopum Dacii nomine insignitum saeculoque sexto clarum et non alium quendam multo recentiorem, quod Ioh. Petr. Puricellus velit, subintelligendum esse autumat, plaresque huius suae opinionis rationes in medium adduxit, multa interim huic chronico subinde additamenta accessisse initiatus. Omnia vero Eustachii argumenta collabefacta sunt accuratissima et doctissima dissertatione Meratii, qui ad Ru-

*) Affert Cornelium Schultingium in Biblioth. Ecclesiast. tom. 1. par. 2. cap. 2. in fin. Lorinum in Psalm. 27. vers. 9. Rutilium Benzonium in Magnificat lib. I. cap. 19. Iohannem Azorium Instit. Moral tom. 1. lib. 10. cap. 16. de Canticis, et iterum de Hymnis. Carolum Macignum de Hor. Canonic. c. 36. Iacobum Bayum Instit. Relig. Christian. lib. 4. cap. 12. §. Cantus. Henricum Spondanum in Epitom. Annal. Baron. in addit. ad num. 9. Anno 385 Franciscum Suarium tom. 2. de Relig. lib. 4. de Hor. Canonic. cap. 2. n. 14. Antonium Perez ad cap. 9. Regul. S. Bened. n. 4. Iohannem Baptistam Casalium de vet. Sacr. Christ. Rit. cap. 46. Ambrosium Coriolanum in Vit. S. August. Antonium Bellotte de Rit. Eccl. Laudun. observat. 32. num. 3. pag. 193 Franziscum Carrier in Digest. Fidei Cathol. pag. 585. col. 1. Emmanuel Gonzalez in Comment. ad cap. Presbyter. de celebrat. Missar. n. 20. Aloysium Torellum in Saecul. Augustiniam ad Anno 387. n. 25. Alphonsum Villeg. in lib. Flos Sanctorum in Vit. S. Augustin. 28. August. Iohan. Stephan. Menochium in suis Stromat. par. 5. cap. 6. Dominicum Macrium in Notit. verb. Eccles. verb. Te Deum laudamus. Placidum Pucinellum in Zodiac. Eccles. Mediol. par. 3. cap. 17. in fin. et in Vit. S. Simpliciani pag. 15. Andream Piscaram Castaldum in Prax. Caeremon. lib. 2. sect. 3. cap. 2. n. 9. et Iohannem Baptistam Ruscam in MS. de cantu Ecclesiast. c. 52. in Bibliotheca Ambrosiana.

bricas Gavantii optime de cantico Te Deum disputavit. Hunc adeas, benevole lector, ne contra instituti nostri rationem longius his quaestionibus immoremur. Neque hoc amplius curamus, utrum S. Darius omnino chronicon composuerit nec ne. Sane vero duo loci Pauli Diaconi atque Anastasii non idonei sunt, quibus sententia illa redditur invicta. Alter in Historiarum lib. XVI. haec narrat: Tanta siquidem per universum mundum eo anno maximeque apud Liguriam fames excreverat ut sicut Vir beatissimus Datius Mediolanensis antistes retulit, pleraeque matres infelicium natorum comederent membra. Eadem narrata esse „ab Datio Episcopo civitatis Mediolanensis in relatione sua“ testatur Anastasius in Vita Sylverii. Nam recte annotat Bollandius (Act. Sanct. XIV. Ianuar. §. 1. no. 13. adstipulante Meratio, Datium ex more episcoporum qui in similibus eventibus pastorales epistolas exscribant ad suum clerum populumque directas, haec non in chronico sed in epistola quadam encyclica famem illam horrendam esse conquestum. Ubicunque est hoc sane liquet, Darii chronicon nihil posse in demonstranda antiquae illius narrationis veritate.

At vero qui vetustam de auctoribus cantici Te Deum opinionem defendunt, minime in chronico Darii putativo acquiescunt. Alios in medium producunt testes qui maiorem mereantur fidem. Exstat liber Psalmorum MS. quem Carolus M. anno 772. Hadriano I. dono misit: qui postea ab eodem Hadriano S. Willehado Bremensis ecclesiae episcopo anno 788 donatus in eadem ecclesia saeculorum octo et ultra spatio asservatus, nunc in Bibliotheca Caesarea Vindobonensi. (Lambecius Tom. II. lib. 2. c. 5. p. 294). In appendice eiusdem psalterii legitur: Hymnus quem S. Ambrosius et S. Augustinus invicem condiderunt Te Deum Laudamus. Neque equidem fidem psalterio denego, quamquam quae in calce membranarum saepius adspersa sunt additamenta a sequiori manu adiecta esse semper mihi suboritur suspicio. Proferunt praeterea codices monasterii Casinensis, in quibus Te Deum sequentibus inscriptionibus adnotatur: Hymnus S. Ambrosii et S. Augustini — Hymnus quem S. Ambrosius et S. Augustinus composuerunt. Ad haec omnia duplex quid respondendum erit. Primum nihil his testimoniis evincitur, nisi quod inter omnes constat: hanc opinionem de auctoribus illius cantici non esse admodum novam et recentem, sed aut ipsius Darii tempore aut paullo post ortam. Et valde mihi placet quae de fonte illius traditionis leguntur apud Meratium: „Dicendum igitur est quod antiquae illi opinioni fucum probabiliter fecit sermo 92. S. Am-

brosii, qui habetur in edit. Parisien. ann. 1649. et qui est inscriptus: De Augustini Baptismo; in hoc enim sermone leguntur haec verba: In quo una Vobiscum cum divino instinctu Hymnum Cantavimus de Christi fide; hic sermo, et haec verba, quae Divo Ambrosio supposita fuerunt, occasionem dederunt opinioni S. Antistitem locutum fuisse de Hymno Te Deum laudamus, et hinc originem habuit illa antiqua nonnullorum opinio, quam Pater Eustachius derivatam fuisse arbitratur ex Chronico Datiano, quod profecto nunquam extitit, ut cum Muratorio supra ostendimus. Sed quia pariter praedictus sermo 92. non est genuinus Ambrosii foetus, immo omnino suppositititius, eumque redarguunt docti viri, (ut asserit Possevinus in Apparatu sacro) in quibus est etiam Baronius, et Bellarminus Cardinales, quorum postremus ait, talem sermonem longissime distare a stylo, et gravitate Ambrosii, nec ullo modo credibile esse, quod in eo sermone dicitur, Ambrosium saepe Deum orasse, ut eum a captionibus Augustini liberaret. Augustinus enim non disputando cum Ambrosio, sed eum concionantem audiendo, ad Fidem Catholicam conversus est, ut ipse idem testatur lib 5. Confess. cap. 13. et lib. 6. cap. 1. Ea quae asseruntur in dicto sermone, referuntur pariter a Landulpho supracit. lib. 1. cap. 19. unde liquido constat ea, quae ibi enarrat non fluxisse ex Chronico Datii, sed ex hoc supposito sermone Ambrosiano. Hunc sermonem Benedictini PP. adeo Ambrosio indignum existimarunt, ut in novissima Ambrosii editione illum omiserint." *) Deinde vero quid valeant tituli librorum manuscriptorum et inscriptiones quis nesciat, qui temeritatem scribarum in apponendis atque effingendis auctorum nominibus cognoverit atque perspexerit. Quod si in amanuensium ludis bellum versatur, non quoque proferre possumus nomina. Observat Gavantius quod in antiquissimo Breviario MS. Collegii Aniciani, de urbe cantico praeferatur hic titulus: Hymnus S. Abundii, sed incertum esse quis fuerit iste Abundius. **) Porro in Bre-

---

*) Alia suspicatur Tentzelius: „Hymnus Te Deum multis in locis per duos choros decantari solet, unde forsan occasionem arripuerunt nonnulli Ambrosio et Augustino eum adscribendi, quum Mabillonius disqu. de cultu Gallic. p. 389 sqq. probatum dederit, Augustinum alternatim canendi morem in Africanam ecclesiam etiam introduxisse.

**) Fortasse innuit scriptor Abundium Episcopum Comensem c. 450. Tentzelius existimat Abundium hunc errore librarii adscriptum esse, qui cum hymnum S. A. more veterum praenotatum reperiret, nihil de Ambrosio cogitans, Abundium supposuerit.

viario Casinensi scripto sub Paschali II. quod asservabatur in Bibl. Institutionis Parisiensis Oratorii Iesu inscribitur: Ymnus Sisebuti Monachi. Eundum titulum invenit Cardinalis Bona in Psalterio MS. Basilicae S. Petri in Vaticano. *) Audias denique Usserium (in appendice Dissert. de S.): „In eadem hymnorum collectione (codice vetustissimo hymnorum partim Latino partim Hibernico sermone scriptorum) Nicetam Deum laudavisse legimus dicentem: Laudate pueri dominum, laudate nomen domini, Te Deum laudamus, te Dominum confitemur et quae sequuntur in hymno illo decantatissimo qui B. Ambrosio vulgo tribuitur. — — In Latino-Gallico quoque Psalterio, circa tempora Henrici I. exarato, inscribitur iste: Hymnus S. Niceti sive Trevirensis hic intelligendus fuerit Nicetius (c. 550.) sive Lugdunensis, sive quis alius.“ Varias de his inscriptionibus coniecturas protulerunt viri docti: ut mihi videtur in errorem deferuntur qui putant, semper sub nomine, carmini cuidam superscripto, latere patrem eius atque auctorem. Designantur saepius qui ex alia lingua in latinam transtulerunt, quibus carmen admodum placuit, episcopi qui primum in ecclesias suas introduxerunt. Sane vero, (ut ad finem huius capitis tendamus) assentiendum Antonio Pagio in Crit. Ann. Baronii 388. n. XI.: „auctorum diversitatem satis ostendere huius cantici auctorem adhuc nos latere.“ Et in ipsa ecclesia Romana tanto plausu hoc iudicium comprobatum est, ut Monachi S. Mauri, cum novam S. Ambrosii editionem adornarent, non haesitarunt omittere Te Deum, notantes neminem esse nostra aetate non plane rudem, qui infitietur fabulam esse, quod hic hymnus post Augustinum ab Ambrosio baptizatum ab utroque alternis vicibus cantatus fuerit. **)

---

*) Natalis Alexander Syn. Saec. IV. c. VI. his testimoniis fretus, Sisebutum, ordinis Benedict. monachum, carminis auctorem existimat. Tentzelus hymnum decantatum esse putat in coronatione Sisebuti regis Hispanici.

**) Cives ecclesiae Romanae nimis religiosi quasi pro fidei articulo habebant, Te Deum ab Ambrosio et Augustino alternis vicibus esse cantatum. Ut exemplum afferam, Ioan. Lorinus ad Ps. 72, v. 9. notat. receptae traditioni (de cantico T. D.) propterea contradici non debere, quae divinis quoque nonnullis visis confirmetur. Sed haec perperam neque in honorem ecclesiae prolata censeo. Non falli potest ecclesia in rebus quae ad fidem spectant: ab erroribus in historica et critica arte sese minime esse munitam ipsa libere fatetur. Quod ut credant mihi rabidi nostri temporis ac litigosi critici, discant a viro ecclesiae Romanae addictissimo. Cf. Nickel Heil. Zeiten etc. III. 1. p. 21.: „Es ist kein Dogma, dass die Heilig- oder Seliggesprochnen auch wirk-

Fuerunt tamen qui, missa ista traditione, demonstrare conarentur Ambrosio soli carmen, quod careret dialogismo, esse tribuendum. Ita sentiunt Gavantius in Thesauro Ioan. Petr. Puricellus in Dissert. Nazariana c. 39. no. 7. 8. Edm. Martene ad cap. XI. Regulae S. Benedicti, Tobias Lohner in Instruct. Pract. de Off. div. ps. II. tit. I. §. 11. Th. Comber Scholasticae History of the primitive and general use of liturgies in the christian church Lond. 1690. 8. e. a. Ambrosianum enim, aiunt, vocat hymnum Gualterus Tervanensis in vita S. Caroli Comitis Flandriae c. 38. apud Du Cange l. c.: eodem nomine utitur Scriptor Miraculorum S. Pelini apud Ughellium in Italia Sacra Tom. IX. p. 38. (Quod perspicientes clerici intraverunt ecclesiam et Te Deum Laudamus Ambrosianum scilicet hymnum succinunt ante Sancti sepulturam). Occurrit praeterea in Codicibus monasterii Casinensis. Afferunt denique Smaragdum qui ad locum Regulae S. Benedicti supra exscriptum (p. 279.) haec subiungit: „Cantoris non gestent officium et ideo non possunt Ambrosianum alte hoando hymnum incipere.“ Verum neminem fugit, Ambrosianos hymnos vocari omnes qui ad modum Ambrosii conditi sunt vel (quod praeplacet) qui ab Ambrosio in Rituale ecclesiae Mediolanensis recepti sunt. (Cf. Proll. in Tom. I. p. VIII.) Alia quae opinionem de Ambrosio cantici auctore impugnant affert Tentzelius: „Nec desunt rationes in contrarium praecipue quod A. hymnos suos metro alligaverit, noster autem non versa sed prorsa oratione constat. Quod si itaque Bellarminus recte Ambrosio denegat hymnos, in quibus non servatur metrica, quae Ambrosio notissima erat, quid sentiemus de nostro Eucharistico, cuius compositio ab ingenio Ambrosii poetico plane aliena est. Certe et ipse Orat. in Auxentium innuit, non nisi ligato sermone hymnos a se concinnatos: Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt. Plane nec hoc abnuo. *Grande carmen istud est et quo nihil potentius quam confessio Trinitatis, quae quotidie totius populi ore celebratur. Certatim omnes student fidem fateri, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum norunt versibus praedicare.* Quae si recte interpretatus est Hoornbeekius, novum nobis argumentum suppeditat. Hinc enim probat Ambrosium in fine hymnorum suorum addidisse glorificationem S. Trinitatis, quae clausula in nostro

---

lich im Himmel sind, da die Kirche hierbei nach solchen historischen Thatsachen urtheilt, die nicht zu den Glaubens- und Sittenwahrheiten gehören, also ausser dem Bereiche der Unfehlbarkeit sind.“

non conspicitur ac proinde ille ab Ambrosio esse profectus non esse merito censetur.“ Sed in omnibus quae protulit vis argumentandi conspicitur nulla. *) Nam e contrario verba Ambrosii optime conveniunt triumphali cantico de quo agitur: Celebrat patrem aeternum, Christum regem gloriae et spiritum Sanctum neque ab quotidiano usu alienum fuisse ostendunt verba: Per singulos dies benedicimus te — dignare die isto sine peccato nos custodire. Postulat sibi denique laudes grànditatis atque potentiae. Quod certatim a populo cantatum refert, spectare videtur ad morem canendi orientalem, quem ab Ambrosio in occidentales ecclesias invertum esse sciunt omnes. **) Omnia si complectamur, id certum esse videtur nostri carminis indolem una cum loco Ambrosii supra laudato aliquid roboris afferre inscriptionibus codicum, per se dubiis atque incertis. Recte quidem monent Theoph. Raynandus et Valdensis contra Puricellum, Ambrosii laudes referri posse ad hymnos: Deus creator omnium, splendor paternae gloriae, Iesu redemptor gentium (?) sed grandia et potentia ab ipso poeta haec carmina appellata esse, minus mihi placet. Sed infrà ad hanc quaestionem redeundum erit.

Restat ut commemorem ab Abbone Floriacensi (cf. Oberthür Praef. ad Opp. Hilar. Tom. I. p. 134. Hilarium Pictaviensem haberi pro carminis auctore. „In Dei palinodia quam composuit H. P. episcopus.“ Praeterea in Cod. M. I. (saecl. VIII. vel IX.) legimus: Hymnus quem S. Helarius primus composuit. Sed recte Meratius: „Hunc Hymnum S. Hilario tribuere propter unius Abbonis testimonium non satis consultum videtur, cum iste auctor vixerit post Hilarium Saeculo VI. Incertum itaque prorsus est, cui debeat hic Hymnus vindicari, quamvis de eius antiquitate dubitari non possit. Suspicor ego hunc Hymnum seu potius Canticum vel a S. Hilario Arelatensi, vel ab aliquo Lirinensi Monacho fuisse compositum, certum enim videtur hunc Hymnum fuisse conscriptum pro Matutinis Officiis,

*) Aeque futilia sunt argumenta quae desumpta sunt ab sermonis inelegantia. „Denique in hymno nostro occurunt modi loquendi quos non in Ambrosio, melioris latinitatis studioso, sed in sequiorum temporum scriptoribus quaeras. Eiusmodi praecipue: tibi Cherubim et Seraphim incessabili voce proclamant et in Appendice apud Usserium: ut te incessabili voce laudare mereamur.“ Incessabilis et incessabiliter reperiuntur iam apud Hieronymum Ep. 26. et 128.

**) Postea quoque in quibusdam choris hoc Symbolum alternatim recitatum est.

ut ex postremis eiusdem versibus facile colligi potest: Per singulos dies benedicimus te; dignare Domine die isto sine peccato nos custodire, quae aptata sane sunt viris Choro addictis, et quotidie Deo laudes in exordio diei persolventibus, hinc fortasse Caesarius Hilarii successor, qui primus Hymni mentionem fecit, Regulae suae eundem inserui.“

Meam sententiam ut paucis tibi aperiam, mihi quidem canticum Te Deum, aeque ac Hymnum Angelicum (cui simillimum est *κατὰ φύσιν καὶ οἰκονομίαν*) in orientali ecclesia natum, exinde in latinam linguam translatum esse videtur. In hac opinione consisterem etiam si nulla exstarent carmina Graeca, in quibus cognosci possint cantici nostri vestigia: cum autem exstent eo audacius patrocinium eius suscipio. Legitur autem in Codice Alexandrino et in libro Usserii de Symbolis (cf. p. 275.) hic hymnus procul dubio matutinus:

Κάθ' ἑκάστην ἡμέραν εὐλογήσω σε
Καὶ αἰνέσω τὸ ὄνομά σου εἰς τὸν αἰῶνα
Καὶ εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος.
Καταξίωσον κύριε καὶ τὴν ἡμέραν ταύτην
Ἀναμαρτήτους φυλαχθῆναι ἡμᾶς.
Εὐλογητὸς εἶ κύριε ὁ θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν,
Καὶ αἰνετὸν καὶ δεδοξασμένον τὸ ὄνομά σου εἰς τοὺς αἰῶνας
Ἀμήν.
Εὐλογητὸς εἶ κύριε, δίδαξόν με τὰ δικαιώματά σου.
Κύριε καταφυγὴ ἐγενήθης ἡμῖν ἐν γενεᾷ καὶ γενεᾷ
Ἐγὼ εἶπα, κύριε ἐλέησόν με
Ἴασαι τὴν ψυχήν μου, ὅτι ἥμαρτόν σοι·
Κύριε πρός σε κατέφυγα,
Δίδαξόν με τοῦ ποιεῖν τὸ θέλημά σου ὅτι σὺ εἶ ὁ θεός μου.
Ὅτι παρά σοι πηγὴ ζωῆς
Ἐν τῷ φωτί σου ὀψόμεθα φῶς
Παράτεινον τὸ ἔλεός σου τοῖς γινώσκουσίν σε.

Omnino probo quae Tentzelius et de origine cantici Te Deum apud Graecos quaerenda disputavit. „Quotus enim quisque est, qui nostrum cum Graecorum matutino conferens, non statim deprehendat, illum ex hoc expressum esse? Prima illa verba id manifeste ostendunt: Te Deum laudamus, te Dominum confitemur (quae ex Hymno angelico deumpta esse arbitratur vir doctus). Ex posteriori autem hymno quae circa finem habentur: Per singulos dies benedicimus te et laudamus nomen tuum in saeculum et in saeculum saeculi. Dignare domine die isto sine peccato nos custodire. Miserere nostri domine, miserere nostri. Fiat misericordia tua Do-

mine super nos quemadmodum speravimus in te. Neque enim tantum ille versiculus: dignare Domine etc. etiam in Ambrosii vel Nicetii hymno legitur, quod in margine monuit Usserius, sed omnes quos adduximus, mutatis tamen numeris et aliis minoris momenti. Praeterea hymnus noster sua latitudine complectitur ὕμνον ἐπινίκιον sive triumphalem de quo post alios initio Dissertationis de Trisagii origine videndus Petrus A. V. D. M. quem puto esse Petrum Alix, Reformatorum quondam Carnotensium pastorem, — — Hymnus autem triumphalis non aliis quam his nostri verbis absolvitur: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra maiestatis gloriae suae. Denique communem illam doxologiam Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto — — hymnus Te Deum aliique similes comprehendunt et explicant, observante Guil. Beveregio lib. III. Vindic. Can. Ap. c. V, no. 7. — — Quoniam itaque hymnus noster ex Graeco praesertim matutino desumptus est, in illius quoque locum successit, ita quidem ut in latina ecclesia semper dicatur post ultimam lectionem (Matutini) in omnibus Dominicis et festis. — — Nec quidquam dubitari attinet, quin Latini alia etiam Graecorum carmina imitati sint. (O lux beata Trinitas, Agnus Dei etc.)" Item in sententiam Tentzelii discedit Lexicon Zedlerianum s. v. Te Deum. „Der lateinische Text in Prosa sollte bald die Muthmassung bestärken, als ob er nur eine Uebersetzung eines oder mehr Lieder der alten Christen aus der griechischen Sprache wäre. Doch will man diese Muthmassung Niemandem aufdringen." Ego vero unum puto exstitisse hymnum Graecorum ἑωθινόν, ex quo expressum sit canticum Te Deum. Huius hymni fragmentum exhibet ᾠδή illa ex Codice Alexandrino descripta in strophis octo prioribus, voce Ἀμήν conclusis: nam strophe quoque septima atque octava in textu vulgari haud expressa occurrit, ut infra patebit, in vetustorum codicum scriptura. Hunc hymnum Graecorum vetustum in diversis occidentalis regni regionibus diversi fecerunt latinum: et libertate quadam in hoc negotio usi sunt. Inde fluxit scripturae varietas quae maior est quam ut alia ratione possit intelligi; inde manavit inscriptionum in auctoribus discrepantia. Vel interpretis munus suscepit Abundius, vel Sisebutus: apud alios operam dedit carmini Nicetas sive Nicetius, si tibi placet, neque Hilarium praetermitto. Sed maximum plausum tulit interpretatio S. Ambrosii, primum Mediolanensi choro destinata postmodum a tota ecclesia recepta. Quapropter iure aliquo nominabatur ac nominatur Hymnus Ambrosianus. De hoc hymno sermo est in loco Ambrosii supra laudato (p. 287):

optime hoc carmen, quod ex Graeco in latinum transtulerit potuit dicere grande et potens. Quod ad Augustinum attinet, ille curavit ut canticum in interpretatione Ambrosiana ecclesiae Africanae innotesceret, ita ut non ineptus sit antiquus titulus: Canticum Ambrosii et Augustini. Haec mihi arridcnt: qui secus sentiat nos edoceat quae sint magis probabilia.

Vero simile est canticum inde a temporibus Ambrosii apud multos in fine Officii matutini esse decantatum. Gelasium quidem pontificem († 496) hunc ritum toti ecclesiae commendasse (Benzonius in Magnificat l. c. 19.) argumentis stabiliri nequit: immo in ipsa ecclesia Romana saeculo nono canticum non in quotidianum usum abierat. Amalarius enim qui sub Ludovico Pio floruit et ab eo missus est Romam 831 ad Gregorium IV. legatione confecta librum edidit de ordine Antiphonarum, post cuius prologum aggreditur narrationem „de iis quae meo interrogatui responsa sunt a Magistris Romanae ecclesiae“ ubi inter alia haec legimus: Interrogavi si canerent per Dominicas noctes Te Deum: Responsum est: Tantum in Natalitiis pontificum Te Deum canimus.“ Cf. praeterea Garnerium in Notis ad librum diurnum Rom. pont. p. 47. Verum sufficit Regula S. Benedicti ad antiquum cantici usum probandum. Adeo sancti viri discipuli erant sedulo a cantico illo recitando, ut saeculo undecimo apud episcopos recusarentur, quod ne tempore quidem Adventus et Quadragesimae hymnum triumphalem intermitterent. Radulphus Glaber Histor. III, 3. Natalis Alex. Synops. saec. XI, c. 8. Kromayer Hist. Eccl. Cent. XI. p. 461. At vero praeter usum cantici communem atque quotidianum, considerare par est usum eiusdem sollemnem. Nam quia plenus est laetitiae inde ab antiquissimis temporibus cantabatur in coronatione principum, in consecratione episcoporum, in Natalitiis pontificum, in dedicatione ecclesiarum, in elevatione et translatione Sanctorum: omnino quodvis amplectebatur effusae laetitiae vel gratiarum actionis argumentum. Ut antiquissima tantum exempla commemorem, talem est ex narratione Translationis S. Germani, quam profert Surius ad 25. Iulii (si fide digna est) in translatione corporis huius pontificis quae sub Pipini ducatu contigit (c. 740.) hunc hymnum sollemniter esse decantatum. Sic cum Carolus M. Leonem papam calumniis liberatum in sedem pristinam restituisset „ipso sacramento expleto incipiebant illi sancti episcopi cum universo clero seu ipso principe Carolo cum devoto Christiano populo hymnum: Te Deum,“ ut refert vetustus Annalium Francorum auctor apud Lambecium Comm. lib. XI. p. 581. cf. Carpzov Lehr- und Liederpredigten II.

p. 1344. Porro hymni fit mentio in Capitulariis Ludovici Pii. Cum Stephanus papa Remis ab eodem imperatore reciperetur, „ultimus imperator milliario processit a monasterio S. Confessoris Remigii et tanquam Petri vicarium honestissime suscepit, descendentemque ex equo excepit, et in ecclesiam intrantem manu propria sustentavit: praecinentibus pro tanta exultatione variis ecclesiae ordinibus: Te Deum Laudamus.“ Et in restitutione Ebbonis archiepiscopi Remensis: „His ita peractis iterum reboantibus sonis et vociferante omni ecclesia: Te Deum laudamus ductus est saepe dictus Ebbo episcopus in vestiarium.“ Item in Coronatione Caroli Calvi splendorem augebat festivitatis (Capit. Cor. c. 35.) „Agamus ergo unanimiter Deo gratias, decantantes Te Deum laudamus.“ Sed haec exempla satisfaciant: nam quae serioris temporis sunt haud curamus. Neque vero solis clericis illustre canticum erat familiare, versabatur etiam in ore laicorum hominum, ita ut ubicunque gentium in sacram laetitiam quis erumpere vellet, magnificis cantus Ambrosiani sonis usus esse videretur. Verbi causa Albertus III. Animosus dux Saxoniae, in itinere sacro constitutus, cum suis comitibus hymnum nostrum his adhibuit, teste Michaele Bohemo in vita eius: „Cypro navigantes nocte media, a longo orto sole conspectam sanctam terram salutantes, hymnum continentem confessionem Augustini et Ambrosii laeta voce et animo cecinerunt.“ Et postea terra sancta feliciter peragrata reditum in patriam parantes „repetito hymno Divorum Ambrosii et Augustini alacri animo, immani littore relicto, anchoris sublatis solverunt.“ Tandem non hominum sed paene dicam angelorum est, Te Deum laudamus cantare non in prosperis eventibus sed in miseriis atque angustiis, ut est in vita B. Elisabeth: — — „Doch auch in jenem schlechten Wirthshause konnte und mochte die unglückliche Landgräfin nicht lange verweilen und begab sich am frühen Morgen, als ein Glöckchen die frommen Väter des gegenüber liegenden Franciscanerklosters zum Gebete rief mit ihren Kindern in die dazu gehörige Kirche und bat, der Armuth eingedenk, die sie mit dem Welterlöser zu theilen die Ehre hatte, gerührt den Guardian dieses Klosters: ein Te Deum für sie anstimmen zu lassen. (l. B. Rousseau Purpurviolen d. H. Bd. 2. p. 197.) Cum igitur tantus fuerit cantici usus non miramur, iam medio aevo fuisse qui celebratissimum carmen in vernaculas linguas transtulerint. Ut praetermittam vetustam versionem Theotiscam, quam exhibuimus supra, occurrit interpretatio germanica, soluta oratione conscripta in Cod. pol. 483. cf. Görres Altt. Volks- und Meisterlieder p. 329. Praeterea Hoffmannus D. K. p. 148

ex Rethmeyeri Chronico Brunsvicensi p. 822 lectoribus communicat, Brunsvicenses ex anno 1490, quo auxilium divinum manifesta ac singulari ratione experti fuerint recurrente die Novembris vigesima quarta, cecinisse Te Deum germanico sermone. Sed carmina quae tantam possident famam atque existimationem non solum nanciscuntur interpretes verum etiam imitatores qui servata forma aliud enarrant argumentum. Ita S. Bonaventura canticum Marianum ad normam cantus Ambrosiani composuit; Te Matrem Dei laudamus, te omnis terra veneratur, aeterni patris sponsam. Tibi angeli et archangeli, tibi throni et principatus fideliter serviunt. Tibi omnes potestates et omnes virtutes, coeli coelorum et universae dominationes obediunt. Tibi Cherubim et Seraphim exultantes adsistunt et deinceps: Salvum fac populum tuum domina ut simus participes haereditatis filii tui. Et rege nos et custodi nos in aeternum. Per singulos dies, o pia, te salutamus et laudare te cupimus usque in aeternum mente et voce Dignare dulcis Maria nunc et semper nos sine delicto conservare. Miserere pia nobis, miserere nobis. Fiat misericordia tua magna nobiscum. Quia in te virgo Maria confidimus. In te dulcissima Maria speramus, nos defendas in aeternum. Te decet laus, te decet imperium, tibi virtus et gloria in saecula saeculorum.*) Sed mansit precatio privatae devotionis quum eam in cultu publico ecclesia nunquam quoad sciam admisit. Neque unquam probavit, quae homines nimis religiosi vel superstitiosi de cantico nostro enarrarunt miracula atque prodigia. Vix et ne vix quidem a devotissimis Sanctorum cultoribus ferri potest, quod referunt de corde S. Augustini Lugduni in capsula aurea vel crystallina asservato, cum intonetur hymnus Te Deum palpitare et quasi impatienter micare ad laudes Deo una cum fidelibus Christianis exhibendas. (Ludov. de Angelis de Vita S. August. lib. VI. c. 5. Engelgrave Pantheon I. p. 237). Sed quid haec mira sancti patris laetitia ad Delphinos Schotti Iesuitae, hymnum Ambrosii decantantem? „Agminatim accurrunt, naviculam circumnatant, in altum subsiliunt, comitantur ad longissimum spatium.“ (Schotti Physica sacra p. 1088.) Ne tamen glorietur ecclesia cui nihil magis cordi est quam ut omnem superstitionis rubiginem detergat, silentio non praetermittendum mirum Lutheranorum Chronostichon.

*) Cf. Corner Prompt. Magn. Cathol. Devot. p. 177.

Latet enim in his verbis: tIbI CherVbIn et Seraphin InCessabILI VoCe proCLaMant annus MDXVII. quo primum vera Christi fides emerserit. *) Has ineptias permulti probant ex theologis vetustioribus. I. F. Hekelius in Diss. de ultimis theologorum verbis p. 4. nuncupat illud vaticinium „admirabile quod est apud Christi fideles admiratione et notatu dignum.“ Placent eadem ut alios taceam, Wolffio in Lect. Memor. II. p. 78 ad. a. 1517; insuper addit: „Aiunt pii viri incipiente Luthero contra papam scribere tum demum angelos, qui prius conticuisse videbantur, de integro iterum in laudes erupisse.“ Sed mittamus haec ludibria et quae nunc utriusque ecclesiae in cantico Ambrosiano decantando sit consuetudo et disciplina diligentius investigemus.

Efficit Ambrosii hymnus partem Officii Matutini, interiectus Nocturno proprie sic dicto et Laudibus, ita ut excipiat loco Responsorii lectionem nonam (vel tertiam). Sed non quotidie per annum recitatur. Ut loquar cum Breviario Romano „Dicitur in omnibus festis per annum, tam trium quam novem lectionum et per eorum Octavas, excepto festo SS. Innocentium nisi venerit in Dominica **) dicitur tamen in eius Octava. Dicitur etiam in omnibus Dominicis a Paschale Resurrectionis inclusive usque ad Adventum exclusive et a Nativitate Domini inclusive usque ad Septuagesimam excl. et in omnibus feriis temporis Paschalis, scilicet a Dominica in Albis usque ad Ascensionem, excepta feria secunda Rogationum in qua non dicitur. Non dicitur autem in Dominicis Adventus et a Septuagesima usque ad Dominicam Palmarum incl. neque in feriis extra tempus paschale.“ Si recitatur Officium divinum in choro inchoatur canticum a Celebrante vel a prae-

*) Neque ipsi Reformatores eiusmodi portenta, quae Lutherum a Deo missum esse demonstrarent, volebant reiicere. Audias v. c. Philippum Melanthonem in Declamationum Tom. II. p. 738. haec narrantem: Eo anno, quo primum mense Novembri editae sunt Reverendi Viri D. Lutheri propositiones de indulgentiis, cum ex templo Wimariae in natali Christi duo fratres et filius, Dux Iohannes Fridericus una post mediam noctem, ut magna in utroque erat reverentia erga res divinas, egrediuntur cum frequenti comitatu, vident supra arcem, coelo sereno fulgentem crucem purpuream, satis magnam et perspicue expressa figura. Ibi, cum diu starent attoniti spectatores, fratres colloqui de religione coeperunt, et eo signo portenti futura certamina de doctrina, et domus Saxonicae pericula vaticinati sunt.

*) Dicitur etiam in ecclesia sub invocatione SS. Innocentium dedicata.

side chori: prosequuntur reliqui stando in plurimis ecclesiis alternatim canentes. Ad primum versiculum denudantur capita, ad verba: Sanctus etc. et: Non horruisti virginis uterum profunde inclinatur. Quum perventum sit ad ultimam cantici partem: Te ergo quaesumus etc. genuflectunt omnes usque ad finem. In Matutinis sollemnioribus vel in laetioribus festivitatibus extraordinariis, canticum magno cum musico apparatu solet decantari. Et recte quidem, nam grande summi Dei canticum quasi postulare videtur sonos tubarum citharaumque, tympana, organa et cymbala iubilationis. Ps. CL. Vix est quod moneamus, nunc quoque ecclesiam Romanam semper et ubique pendere ab ore Ambrosii, quum laetum quid atque grave in rebus sacris vel in re publica evenerit. Ne multa, ad illa quae supra allata sunt exempla accedat, annis Iubilaei qui Romae huius cantici sacris et laetis auspiciis suscipitur, eiusdem carminis gratis eloquiis clauditur cf. Benzonium de Anno Iubilaei lib. IV. c. 13. Iam ad protestantium ecclesiam se convertat oratio.

Lutherus tantum aberat ut Ambrosii carmen contemneret vel exterminaret atque exstirparet, ut ipsi debeatur interpretatio germanica (eaque praestantissima anno 1533 condita) Herr Gott, dich loben wir (Wackern. p. 145.) quam, retenta antiqua melodia, ecclesia Lutheri ad hodiernum usque diem suam esse voluit. Neque in hoc constitit vir hymnorum antiquorum amantissimus, sed disertis verbis eximium illum priscae ecclesiae foetum apud suos quoque sedem figere optavit. „Wir sollen zu aller Zeit uns freuen, tanzen, springen und singen das Te Deum laudamus, aber wir werden oft also bekümmert, traurig und betrübt, dass wir des Dankes und Lobes gar vergessen.“ (Edit. Altenb. VI. p. 1360.) Et cantori cuidem suadet: „Wenn ihr traurig seid und will überhand nehmen so sprecht: Ich muss Christo ein Lied singen und spielen, es sei das Te Deum Laudamus oder Benedictus etc.“ (Ed. Ien. VI. p. 206.) Publice cantatum est diebus festis et sollemnibus plerumque post concionem habitam *) ab universo populo sub organorum strepitu. **) Ex-

*) Falsa sunt quae profert Bellarminus Controv. Tom. IV. p. 436: Lutherus cantica: Te Deum Laudamus s. Benedictus Dominus et Symbolum Athanasii recitari voluit non mane ut in ecclesia fier consuevit, sed vespere ut videlicet nihil sibi commune esse cum ecclesia Catholica demonstraret.

**) Diversarum regionum diversa erat in hoc hymno psallendo consuetudo. Evangel. Kirchengesbch. p. 127: Eine erhebende Gewohnheit, die sich noch hie und da erhalten hat, ist wenn bei dem Trisagion die Orgel schweigt, die Gemeinde stehend allein singt

stant praeterea agendae et liturgiae quae cani iubent Ambrosii carmen in baptismo, in benedictionibus coniugum, in Matutinis, rite in nocte Nativitatis Domini peragendis. Adeas v. c. liturgiam Austriacam de anno 1571. Iam vero Hondorfius in Promptuar. Exempl. p. 121. conqueritur „dass man es sonst auch alle Sonntage zur Vesper gesungen es wäre aber durchs Quintiren und Orgeln hernach gar vergessen worden.“ Interim gliscere coepit antiquae disciplinae incuria, inde factum est ut hodie perraro in ecclesiis nostris decantetur Te Deum: et si recitatur misere claudicant et haesitant canendo, ut ipse cognovi in festivitate ad honorem pacis Viridunensis hoc anno peracta. His rebus commoti, qui novum Cantionale curarunt viri docti in provincia Rhenana (Evangelisches Gesangbuch für die Provinz Jülich-Cleve-Berg 1836) adaptarunt cantum Ambrosianum melodiae laetae ac sublimi: Vom Himmel hoch da komm ich her: et quidem tam diligenter et artificiose egerunt ut nullum fere verbum interpretationis a Luthero conditae sit omissum vel etiam mutatum. *) At vero praeter usum ecclesiasticum, arctiori sensu sic dictum apud Protestantes quoque Te Deum festivo cultu decantatur, si agatur de laetis ac prosperis eventibus. Non quidem tam latum campum hodie usurpat quam aliquando obtinuisse discimus ex Carpzovii Leich-Predigten IV. p. 808 sq. „Wir pflegen ihn ordentlich bei uns an den Aposteltagen und Reformationsfest des sel. Lutheri, ingleichen bei allen ausserordentlichen Sol-

---

und die Glocken der Kirche dazu läuten. Vel (ut ipse vidi in ecclesia pagi Givekenstein prope Halas) figurae organo affixae stellae, angeli, aquilae etc. inter totum canticum vel ad Trisagion moventur. Rotantur stellae, stridunt alis aquilae, apponunt oribus tubas angeli atque iterum amovent. Magna in his omnibus simplicitas sed simpliciorum hominum animis haud incongrua.

*) Inter omnes germanicas cantici Ambrosiani interpretationes mihi praeplacet Meyeriana supra exhibita. Evangel. Kircheng. p. 128: Diese von H. v. Meyer herrührende Bearbeitung des Te Deum, zu der bei Bunsen eine alte lateinische Kirchenmelodie mitgetheilt ist, hat viele eigenthümliche Schönheiten. Wäre die allgemeine Verbreituug seiner Melodie zu erwarten, so würde neben der Uebersetzung Luthers auch diese Umbildung jedes Gesangbuch zieren. Per sese patet in catholicorum quoque hymnariis legi interpretationes germanicas v. c. in Hortulo animae Dilingae 1608 edito, in hymn. Moguntino qui prodiit a. 1679 etc. etc. Viginti quatuor distichis carmen nostrum expressit J. Feinlerus in Exposit. huius Cantici p. 381 sq. Alius elegiacae transpositionis auctor est G. Weigel in Explic. Epist. Iudae sub finem. In Graecam linguam convertit Conr. Ritterhusius cf. Weizii Heortol. p. 224 sq.

lennitäten zu singen; als wenn ein Dankfest, Friedensfest und andere Jubelfeste ausgeschrieben sind, oder auch wenn nach angetretener Regierung eines neuen Landesvaters die Huldigungspredigt gehalten wird, ingleichen bei Investirung der Superintendenten und Pastoren, desgleichen bei Promotionen der Doctoren auf der Universität, zu der Zeit, wenn nach geendetem Acte die Procession nach dem Altar zu geschiehet, den priesterlichen Segen zu empfangen." An recte decantetur cruentissimis victoriis reportatis vel omnino pro bellicis eventibus multum dubitarunt theologi cf. Sperling Nicodemus quaerens l. p. 1179 sqq. Ahasverus Fritsch zufällige Andachten Cent. IV. p. 23. Chr. Gerber unerkannte Sünden c. 32. p. 898 sq. „Der Lobgesang ist sehr schön und geistreich, es ist aber offenbar, dass dies schöne Danklied anjetzo schändlich gemissbrauchet und nur zum staat öffentlich gesungen wird. — — Die Potentaten fangen aus lauter Ehrgeiz und fälschlich erdichteten Ursachen einen blutigen Krieg nach dem andern an und wenn sie ihrer Glaubensgenossen oder wenigstens ihrer Mitchristen Blut vergossen haben, singen sie noch das Te Deum laudamus dazu, als ob Alles wohlgethan wäre. Ja es kommt so weit, dass dieser Lobgesang ad fucum und die Leute hinter das Licht zu führen gebraucht wird." Iac. Andreae Hundertjährige Bedenken p. 97. „Es dünket mich in meiner Einfalt, es könne Gott kein verdriesslicher Geplerr in seine Ohren fallen, denn das Te Deum laudamus, welches man in den Kirchen, und in den Tempeln, darein man kurtz zuvor die Feuer-Ballen geworffen, anstimmet und singet, und die heiligen Propheten, Apostel und Märtyrer zusammt Gott dem Herrn anspricht, dass sie sich freuen sollen, weil etliche tausend getauffte Christen, unschuldige Weiber, Schwangere, Gebährende, Säugerinnen und Kinder, von solchen die auch Christen heissen, in grausamer Furie und Grimmigkeit niedergehauen und erschossen, und gleicherley Glaubens-Genossen zu Todte geschlagen worden." Spenerus Theologische Bedenken: „So wollen wir unser Te Deum laudamus singen, nicht über Victorien, die mit Vergiessung des so theuer erkauffien und so schnöde dahin liefernden und vergiessenden Christen-Bluts von Menschen, sondern wieder den Fürsten der Finsternis durch Schwächung seines Reichs und Erleuchtung derer Seelen, die in seiner Gewalt gestecket, in Göttlicher Krafft erhalten worden. Als deren eine höher zu schätzen ist, als viele tausend von jenen, die mit noch so grosser Freuden-Bezeugung in der Welt gefeyert werden, aber etwa gottseligen Hertzen mehr Seufftzer ausdrücken als Freude machen." Sed ne multi simus in theo-

legerum querelis enumerandis vix moneamus necesse est eas irritas fuisse cum hodieque principes de more illo minime decesserint. Contra non in consuetudinem abiit ritus perabsurdus, quem commendavit Dissertatio de Iure Funerandi Halis anno 1700 conscripta atque defensa, quae cantum Ambrosii in exequiis et sepulturis adhibitum vult; ego saltem unum novi Goetzium, Lubecensem pastorem qui post orationem funebrem Leopoldo I. habitam cani iusserit Te Deum. Sane si hic meus invaleret, saepius difficile esset satiram non scribere. Libentius concedo ultimam cantici partem: Te ergo quaesumus etc. adhiberi posse in quibusvis precationibus: ne desint laicorum exempla, audias narrationem Theatri Europaei Tom. II. p. 227. „— Als das Volck auf dem Rendevous beysammen, so sind zween Schüsse aus halben Carthaunen geschehen, worauf alle Trompeten und Spiel gerühret, die Reuter von ihren Pferden abgesessen, und benebenst den Soldaten zu Fuss, jeder vor seinem Regiment sich versammlet, das Gebet gehalten, hernach die gantze Armee auf die Knie gefallen, und aus den Te Deum laudamus, von dem Vers an: Nun hilf uns Herr den Dienern dein, die mit deinem theuren Blut erlöset seyn etc. vollends aus bis zum Ende gesungen.“

Afferimus tandem morem ecclesiae Anglicanae quae per totum annum in precibus matutinis recitari vult Te Deum. Common-Prayer-Book: The Minister shall said or sung in English the Hymne called Te Deum Laudamus, dayli throught out the year. Iamabea, benevole lector historiam cantici Ambrosiani succinctam; nunc ad scripturae varietatem te convertas. *)

1. M. 15. confitebimur. 3. Codex Thomasii Vatic. 82. angeli et archangeli. 4. Apud multos Cherubin et Seraphin; scribendi ratio diversa, non scripturae varietas. Vat. 82. proclamant dicentes. 5. M. 13. Dominus Dominus Deus S. 6. M. 1. maiestate. Vat. 82. gloria maiestatis tuae. Isaias VI, 3. plena est omnis terra gloria eius. 9. Apocal. XIX. 8. 12. Vat. 82. tuum verum unicum. Codex Thomasii Alex. 11. tuum verum et unigenitum filium. 16. Vat. 82. om. susceppturus M. 1. 13. Al. 11. Cod. O. (cf. Tom. I. P. p. XII.) suscepisti hominem. De hac legendi ratione Abbo Floriacensis

*) Scriptores qui peculiari diligentia hymnum nostrum attigerunt vel tractarunt, iam supra commemorati sunt et laudati. Addimus unum Petrum Busch Theologische und Historische Betrachtungen des Te Deum Laudamus oder uralten Lobgesanges der Kirchen: Herr Gott dich loben wir. Hannov. 1735. 8. (Repetita etiam est in hoc libro Tentzelii Diss.)

epistola in MS. Pithoeano apud pp. Maurinos Praef. in Opp. Hilarii haec habet: „*In Dei palmodia, quam composuit Hilarius Pictaviensis episcopus non iuxta quorundam imperitorum errorem suscepisti sed suscepturus legendum est.*“ 20. I. Petr. I. 18. 19. *redempti estis -- -- pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* 21. Vat. 82. Al. 11. M. 1. 13. 16. Breviaria ecclesiae Magdeburgensis, Halberstadiensis, Havelbergensis, Erfordiensis, Numburgensis, Salisburgensis etc. munerari. Procul dubio in hac voce tenes scripturam antiquissimam et genuinam. Numerari primum occurrit in Brev. Italis v. c. in Franc. anni 1495. et Lg. Saeculo decimo sexto ecclesia Romana, in eiusmodi litibus interdum ἰταλίζουσα recentiorem scripturam in textum recepit. Mentem non assequor Ludeci: *Graecus textus habet συναριθμηθῆναι i. e. connumerari.* Quid enim? Graecus textus integer ubi est? — In eadem clausula teste Clichtovaeo nonnulli legebant cum servis tuis. 22. Al. 11. haereditatem tuam. Ps. XXVII, 9. *Salvum fac populum tuum domine et benedic haereditati tuae.* Post clausulam 21. Vat. 82. ita canticum ad finem perducit: Per singulos dies benedicimus te et laudamus nomen tuum in aeternum et in saeculum saeculi. Salvum fac populum tuum et benedic haereditatem tuam. Et rege illos et extolle illos usque in aeternum. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum et laudabilis et gloriosus in saecula. Amen. Similiter Al. 11. post clausulam vigesimam tertiam interserit haec: Benedictus es Domine Deus patrem nostrorum et laudabile et gloriosum nomen tuum in saecula. Contra omittuntur cl. 24. 25. Haec scripturae in vetustissimis codicibus varietas invictam reddit ni fallor illam sententiam quam supra proposuimus de origine cantici Te Deum. Exprimunt illae membranae veneranda antiquitatis verba textus Graeci quae in reliquis exciderunt: εὐλογητὸς εἶ κύριε ὁ θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν καὶ αἰνετὸν καὶ δεδοξασμένον τὸ ὄνομά σου εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν. cf. p. 25. Thom. M. 16. in aeternum et in saeculum saeculi. 26. Al. 11. die ista. 27. Vat. 84. miserere nobis, miserere nobis. 28. V. 6. Thom. sicut speravimus. 29. Ps. XXX, 1. *In te Domine speravi, non confundor in aeternum.* M. 13. hanc clausulam omittit.

III.

Canticum S. Willebaldi.

Daniel Hanebergius, Theologiae in academia Monacensi Professor, cum in Ephemeridibus Theologicis Monacensibus (1842 Fascic. 3.) huius Thesauri Tomum primum, critico negotio functus, perlustraret, lectoribus communicavit canticum, sine ulla dubitatione vetustissimum, quod natura et indole praecedentibus haud absimile indicaveris. Damus igitur carmen illud *πολύγλωττον*, ita quidem ut loquentem faciamus ipsum Hanebergium, adnotatiunculas vero quasdam proprias adspergamus. „Eine der eigenthümlichsten Formen von Gedichten besteht in einer Aufzählung von Eigenschaften und Namen Gottes; und diese ist in Daniels Sammlung durch Ein Beispiel repräsentirt (Nro CCXCV). *) Die Aufführung von griechischen und hebräischen Gottesnamen darin ist von selbst eine Hinweisung auf die Heimath dieser Hymnusform. Ein nicht uninteressanter Lobgesang derselben Art findet sich in einer Handschrift der k. bayer. Staatsbibliothek (Aus Cod. D. CL. membran. saec. X. fol. 51. b. ausgehoben in Colom. Sanftl Catalog. Codd. mspt. ad S. Emmeram. Pars I. S. 645). Er ist lateinisch, griechisch und hebräisch, aber durchaus lateinisch geschrieben. Das Lateinische ist nicht Uebersetzung des Griechischen, das Hebräische wieder vom Lateinischen und Griechischen dem Inhalt nach ganz verschieden. Wir theilen ihn mit, wie ihn Sanftl ausgehoben hat und fügen für das Griechische und Hebräische eine Transscription bei, in welcher wir freilich, besonders beim Hebräischen, Manches durch Conjektur bestimmen müssen, da der Schreiber des Manuscriptes aus Unkenntniss unsicher copierte und keine Uebersetzung beigegeben ist.

Terminus et idem interminus. Producens omnia in esse, ex non esse. Horum quaedam roborans aeternaliter in esse. At quaedam redigens aeternum in non esse. Plastes ke pyitis yoranu tis gis ke talassis ke tu stereomatós ke panton phossa en autis ysin apo udenu. Sy kyrie fos, fotismos, yskis dinamis exussia niki eucharistia axioma eulogia, timi despotia euprepia sotiria, yrini charis zoy doxa epamos emorfia fronesis archia. Os ylion selinin ke asteras canteron fausin

*) Non possum quin hac opportunitate usus confitear peccatum. Carmen illud: Alma chorus Domini est Sequentia Notkeriana et occurrit in Cod. M. 5.

actylon sy pros of-
ienin tis gis orea
asfalian autis este-
clissese.
armadoch nechama
toha soon colh so-
iallel scla ith lanon
)lam.
γῆς καὶ θαλάσσης
· αὐτοῖς εἶσιν ἀπὸ
χὺς δύναμις ἐξου-
δεσπότεια εὐπρέ-
ος εἰμορφία φρού-
ις συντηρῶν φαῦ-
γα τῶν δακτύλων
λίωσας. Τὴν οἰ-
:ᾶσαν αὐτοῖς, καὶ
ρέωσας. Die letz-
: οὕτως κράζε ὅτι
enn Er lebt, dass
ist aber kaum zu

אל אלו
לך כל
אך נחנ
חכמות
ששון כ
חטו ††)

ı Sinn geben; aber
ἐσὺ τὴν ἀσφάλειαν.

. Nota Han.

erb. wie καλά Liest
γῆς, so ergibt sich
ganzen Erdkreis gar
lle und seinen Inhalt
ιτοῖς, so muss man

iuncta esse videntur,
on prorsus compro-

:oncio est, qua apud
Fortasse igitur me-

גבור שלם לעד
צדק נגה הלל סלה.
יחלנן תהלה גדולה
גדל גאון גדול
מלכות עולם.

Gott der Götter, Allmächtiger,
Dein ist alle Klugheit,
Ja (dein ist) heiliger Trost,
Heilvolle Weisheit,
Wunderfreude,
Wovon die laute Stimme der Seelenzungen preisend erzählt.
Held, Friede, Ewiger (wörtl. Ewig, adverb.)
Gerechtigkeit, Lichtglanz, Lobgesang (Prädicate Gottes). Selah.
Er residirt im grossen Loblied,
(Residirt) in Grösse, in hoher Majestät,
Im Reich der Ewigkeit.

Von Kibor könnte mit ganz geringer Veränderung folgender Sinn gelesen werden: „Ja in Jerusalem leuchtet ewig Gerechtigkeit, Loblied ewig, da wohnet grosses Lobsingen, Grösse, hohe Majestät, ein ewig Reich.“

ערמת im guten Sinne. ת— s. Gesen. Lehrg. S. 467. נסים im spätern Sprachgebr. miracula. חשב auch späterer Sprachgebr. Der Ausdruck: „Geräusch der Stimme der Seelenzungen,“ scheint ein Echo arabischer Dichtungen, in welchen dergleichen oft vorkommt. *) Ueber Gibbor, Schalom, Laud als Namen Gottes s. Isai. 9, 5. Zedek, Jerem. 23, 6. Wenn צדק Jupiter, נגה Venus wäre, wozu הלל als Prädikat käme, so würde diese Formel einen apocryphen, unkirchlichen Ursprung haben. Dass Gott in den Lobliedern der Anbetenden gleichsam wohne, ist auch biblische Vorstellung. Psalm 22, 4.

Nach diesen hebräischen Ausdrücken der Anbetung folgt nochmal eine griechische Stelle: Elpis agalliasis oreotis praesis iktirmos ke litrosis terpnon phengos kaschima leypsosis exomologisis asma neon alklaimon ke eleimosini istus eonas

---

lius antecedentis vocabuli נסים syllabam auferimus ultimam et cum sequenti ת coniungimus ita: עמך; quod si legimus in verbo תשבחה restat טבה, sive טובה (abiecta suffixi nota) significatione salutiq, ita ut vertamus; tecum s. apud te est salus strepitusque vocis animarum (te celebrantium).

*) Sane non raro apud orientis poetas haec formula reperitur, maximeque, apud turcicos et persicos (imprimis in carminibus Suforum mysticis), rarius apud Arabes.

ton eonon, d. i. Ἐλπὶς ἀγαλλίασις ὡραιότης πραότης οἰκτι μὸς καὶ λύτρωσις τερπνὸν φέγγος καὶ σχῆμα leypsosis ἐξομολόγησις ἅμια νεὸν ἀλκὴ ἐλεήμων (?) καὶ ἐλεημοσ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Am Schlusse wird bemerkt, dass der heil. Willibald s dieses Hymnus bedient habe. *)

IV.

In Benedictione Cerei Paschalis. **)

A. Secundum Ritum Romanum.

1. Exultet iam angelica turba coelorum: exultent div mysteria et pro tanti regis victoria tuba insonet salutaris.

2. Gaudeat et tellus tantis irradiata fulgoribus: et aete regis splendore illustrata totius orbis se sentiat amisisse liginem.

3. Laetetur et mater ecclesia tanti luminis ædornata f goribus et magnis populorum vocibus haec aula resultet.

4. Quapropter adstantes vos, fratres carissimi, ad t miram huius sancti luminis claritatem una mecum qua Dei omnipotentis misericordiam invocate:

5. Ut qui me non meis meritis intra Levitarum numer dignatus est aggregare, luminis sui claritatem infundens, Ce huius laudem implere perficiat.

6. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium su qui cum eo vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

7. Per omnia saecula saeculorum Amen. Dominus biscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. Habemus Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum iustum est.

8. Vere dignum et iustum est invisibilem Deum patr omnipotentem filiumque eius unigenitum Dominum nostr Iesum Christum toto cordis ac mentis affectu et vocis mi sterio personare.

9. Qui pro nobis aeterno patri Adae debitum solvit veteris piaculi cautionem pio cruore detersit.

---

*) Ecclesia Angliae vetusta cum graeca sive orientali erat co iunctissima.

**) In versiculos seiunctum est carmen quod continuum est, facilius ac commodius indicari possit scripturae varietas.

10. Haec sunt enim festa Paschalia in quibus verus ille agnus occiditur cuius sanguine postes fidelium consecrantur.

11. Haec nox est in qua primum patres nostros filios Israel edictos de Aegypto mare rubrum sicco vestigio transire fecisti.

12. Haec igitur nox est, quae peccatorum tenebras columnae illuminatione purgavit.

13. Haec nox est, quae hodie per universum mundum in Christo credentes a vitiis saeculi et caligine peccatorum segregatos reddit gratiae, sociat sanctitati.

14. Haec nox est, in qua destructis vinculis mortis Christus ab inferis victor adscendit.

15. Nihil enim nobis nasci profuit nisi redimi potuisset.

16. O mira circa nos tuae pietatis dignatio.

17. O inaestimabilis dilectio caritatis! ut servum redimeres filium tradidisti.

18. O certe necessarium Adae peccatum, quod Christi morte deletum est.

19. O felix culpa quae talem ac tantum meruit habere redemptorem.

20. O vere beata nox quae sola meruit scire tempus et horam in qua Christus ab inferis resurrexit.

21. Haec nox est de qua scriptum est: Et nox sicut dies illuminabitur: et nox illuminatio mea in deliciis meis.

22. Huius igitur sanctificatio noctis fugat scelera, culpas lavat, et reddit innocentiam lapsis et moestis laetitiam.

23. Fugat odia, concordiam parat et curvat imperia.

(Hic infiguntur quinque grana incensi cereo a diacono in modum crucis).

24. In huius igitur noctis gratia suscipe sancte pater incensi huius sacrificium vespertinum.

25. Quod tibi in hac cerei oblatione sollemni per ministrorum manus de operibus apum sacrosancta reddit ecclesia.

26. Sed iam columnae huius praeconia novimus, quam in honorem Dei rutilans ignis accendit.

(Hic accenditur cereus.)

27. Qui licet sit divisus in partes mutuati tamen luminis detrimenta non novit.

28. Alitur enim liquantibus ceris quas in substantiam pretiosae huius lampadis apis mater eduxit.

(Hic accenduntur lampades in ecclesia.)

29. O vere beata nox, quae exspoliavit Aegyptios, ditavit Hebraeos.

30. Nox in qua terrenis coelestia, humanis divina iunguntur.

31. Oramus ergo te Domine, ut cereus iste in honorem tui nominis consecratus ad noctis huius caliginem destruendam indeficiens perseveret.

32. Et in odorem suavitatis acceptus supernis luminaribus misceatur.

33. Flammas eius Lucifer matutinus inveniat, ille inquam Lucifer qui nescit occasum, ille qui regressus ab inferis humano generi serenus illuxit.

34. Precamur ergo te Domine ut nos famulos tuos omnemque clerum et devotissimum populum una cum beatissimo papa nostro N. et antistite nostro N. quiete temporum concessa in his paschalibus gaudiis assidua protectione regere, gubernare et conservare digneris.

35. Respice etiam ad devotissimum imperatorem nostrum N. cuius tu Deus desideria vota praenoscens ineffabili pietatis et misericordiae tuae munere tranquillum perpetuae pacis accommoda et coelestem victoriam cum omni populo suo.

36. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

B. Secundum Ritum Ambrosianum.

Exultet iam angelica turba coelorum, exultent divina mysteria, et pro tanti regis victoria tuba intonet salutaris. Gaudeat et tellus tantis irradiata fulgoribus, et aeterni regis splendore illustrata, totius orbis sentiat se amisisse caliginem. Laetetur et mater ecclesia, tanti luminis adornata fulgore, et magnis populorum vocibus haec aula resultet. Quapropter adstantibus vobis fratres carissimi, ad tam miram huius sancti luminis claritatem, una mecum, quaeso, Dei omnipotentis misericordiam invocate, ut qui me non meis meritis intra levitarum numerum dignatus est aggregare, luminis sui gratiam infundendo, cerei huius laudem implere perficiat. Praestante Domino nostro Iesu Christo Filio suo, secum vivente atque regnante Deo, in unitate Spiritus Sancti. Per omnia saecula saeculorum. Amen. Dominus vobiscum. Et cum

spiritu tuo. Sursum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et iustum est.

Vere quia dignum et iustum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine Sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui populorum pascha cunctorum, non pecudum cruore nec adipe, sed unigeniti tui Domini nostri Iesu Christi Sanguine corporeque dedicasti, ut supposo ritu gentis ingratae, legi gratia succederet, et una victima per semetipsam tuae maiestati semel oblata, mundi totius expiaret offensam. Hic est agnus, lapideis praefiguratus in tabulis, non adductus e gregibus, sed erectus e coelo: nec pastore indigens, sed pastor bonus ipse tantummodo, qui animam suam pro suis posuit ovibus, et rursus assumsit, ut nobis et humilitatem divina dignatio, et spem resurrectio corporalis ostenderet. Qui coram tondente se non vocem querali halatus emisit, sed evangelico proclamavit oraculo dicens: A modo videbitis filium hominis sedentem ad dextram maiestatis. Ipse nobis et te reconciliet, Pater omnipotens, et pari tecum maiestate fultus indulgeat. Nam quae patribus in figura contingebant, nobis in veritate proveniunt. *[Hic omnes sedeant, et subdiaconus associatus a custode, eat in sacrarium. et ex ea ignem novum et benedictum portet lampade, et ex illo accendatur cereus magnus Paschalis, deinde alii cerei. Postea excelsa voce supradictus maior diaconus prosequatur benedictionem.]* Ecce iam ignis columna resplendet, quae plebem Domini beatae noctis tempore ad salutaria fluenta praecedat, in quibus persecutor mergitur, et Christi populus liberatus emergit. Nam Sancti Spiritus unda conceptus, per Adam natus ad mortem, per Christum regignitur ad vitam. Solvamus igitur voluntarie celebrata ieiunia, quia Pascha nostrum immolatus est Christus, non solum corpore epulemur agni, sed etiam inebriemur et sanguine. Huius enim tantummodo cruor non creat piaculum bibentibus, sed salutem. Ipso quoque vescamur et azymo, quoniam non de solo pane vivit homo, sed de omni verbo Dei. Si quidem hic est panis qui descendit de coelo, longe praestantior illo quondam mannae imbre frugifluo, quo tunc Israel epulatus interiit: hoc vero qui vescitur corpore, vitae perennis possessor existit. Ecce vetera transierunt, et facta sunt omnia nova: nam circumcisionis mosaicae mucro iam scabruit, et Iesu navae aucta lapidum obsolevit asperitas. Christi vero populus insignitur fronte non inguine: lavacro non vulnere: chrismate, non cruore. Decet ergo in hoc Domini Salvatoris nostri vespertinae resurrectionis adventu, cereum non adolere pinguedinem, cui suppetit candor in specie, suavitas in odore, splendor in lu-

nine, quae nec marcescenti liquore defluit, nec offensam tetri idoris exhalat. Quid enim magis accommodum magisque fetivum, quam lesseico flori floreis excubemus ut tedis? praeertim cum et sapientia de semetipsa cecinerit: Ego sum flos gri et lilium convallium. Ceras igitur nec pinus exusta deudat, nec crebris sauciata bipennibus cedrus illacrymat, sed st illis arcana de virginitate creatio, et ipsae transfiguratione ivei candoris albescunt. Eandem vero papyrum liquida fons unda producit, quae instar insontis animae, nullis articutur sinuata compagibus, sed virginali circumsepta materiae, hospitalis ignibus alumna rivorum. Decet ergo adventum onsi, dulcatis ecclesiam luminaribus opperiri, et largitatem nctitatis acceptam, quanta valet devotionis dote pensare, nec nctas interpolare tenebras excubias, sed tedam sapienter pertuis praeparare luminibus, ne dum oleum candelis adiungir, adventum Domini tardo prosequamur obsequio, qui certe ictu oculi ut coruscus adveniet. Igitur in huius diei vesre cuncta venerabilis sacramenti plenitudo colligitur: et quae versis sunt praefigurata vel gesta temporibus, huius noctis rriculo devoluta supplentur. Nam primum hoc vespertinum men, sicut illa dux Magorum stella praecedit: deinde mycae regenerationis unda subsequitur, velut dignante Domino enta Iordanis, tertio resurrectionem Christi vox apostolica cerdotis annuntiat. Tum ad totius mysterii supplementum risto vescitur turba fidelium, quae resurrectionis Dominicae m, Christo in omnibus prosperante, suscipiat. Per bonum benedictum Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, n quo beatus vivis et regnas Deus, in unitate Spiritus San, per omnia saecula saeculorum. Amen.

[Postea aspergatur cereus aqua benedicta, et incensetur, et quingrana incensi benedicti a diacono infigantur cereo in modum cruvidelicet super illam crucem quae communiter pingi solet super iscemodi cereis Paschalibus.]

C. Secundum Ritum Mozarabum.

Aequum et iustum est, vere, Domine, satis dignum et rum est; in quantum nos munere tuo inlustras tibi semgratias agere, apud quem est fons vitae, in cuius lumine *bimus* lumen, praevia tot tantisque virtutibus circa tuae estatis resplendens altaria serenat lux cerei, praemittunt cia ignea miracula secura lympharum. Nunciatur ex lue quod nascatur ex fonte. Patescunt actu quae fuerant rata mysterio. Instar columnae veteris fomes iste perful-

get: aquis populum docet esse salvandum, per quae et liberatio tribuitur ad salutem, et regeneratio donetur ad requiem. Accendant, Domine, in conspectu gloriae tuae obsecratio devota famulorum. Visitentur benedictionis dono, qui sacro dedicantur obsequio. Non hic thureis adoletur flamma virgultis, nec in Sabeïcis proscindentur ligna, nemoribusque suavitatem cinnami rorantes exhalant, sed cera famulatur ex lumine, quae non polluitur ex parente, cuius natura de flore, cuius ortus ex virgine. Cui illa dat genitrix nativitatis originem, quae corruptionis nescit errorem, papyrus cum etiam nivo adoperta subtegmine flammarum exequitur incremento. Neque hoc sine caelestis agitur operatione virtutis, quod favet ignibus res nutrita gurgitibus. Agnoscunt cuncta te Dominum, tibique se sciunt deberi quod nata sunt. Dedisti, pie opifex, creaturae sensum, quae suum possit intelligere et honorare factorem. Intende propitius, Domine, ad huius cerei devotissimam servitutem, ut qui flammam gignire cernitur, usuale tuae benedictionis serenatus ex lumine cunctis sit expedibilis ad salutem. Resolvit gravium fomenta languorum, asperitates casuum remedii tranquillitate confringat. Omnia votis largiantur humanis, qui de tuis benedictionibus sumpsere officium. Tribue etiam, Domine sancte, Pater omnipotens Deus, ut dies huius solemnia sacrae paschatis, in qua Redemptoris nostri gloria praedicatur et gratia cum antistite nostro N. cum gloriosis principibus, cum presbyteris et diaconibus, clero atque omni fideli populo sub multorum celebrare curricula annorum. Amen. Praesta per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, cum quo tibi est una et coaequalis essentia in unitate Sancti Spiritus in saecula saeculorum. Amen. Amen, Amen, Amen ad te ascendat. Amen. Pax in coelo. Amen. Pax in terra. Amen. Pax et plenitudo tua, Domine, super nos descendat. Amen. Pax regibus et potestatibus fidelibus saeculi huius. Amen. Pax ecclesiae tuae catholicae, quae est in hunc locum constituta et per universum orbem in pace diffusa. Amen.

Festum paschale, totius sacri temporis longe princeps atque nobilissimum et omnium qui unius anni spatio redeunt dierum festorum quasi reginam et ut graeco utar vocabulo τῆς ἑορτῆς βασιλικῆς nomine dignissimum esse, quis eorum qui Christi nomen gerunt invenitur, quin expertus sciat. Uti autem suam quisque dies festus horam habet quae prae ceteris fulgeat atque emineat, ut e. g. ea qua spiritus sancti quasi ignis divinus apostolorum animos accendit hora, id est tertia

temporis matutini diei pentecostalis, festivitatis splendore longe excellit, ita die paschali illud tempus quod et sacrum tremorem incutiat et ad spem optimam animos erigat, est primum diluculum, immo tota nox, quippe eum eodem tempore quo noctis tenebrae orbem tegebant Christus mortem generis humani hostem invictum prostraverit et tristes sepulcri tenebras abegerit. Inde etiam factum est ut vetus ecclesia noctem paschalem suis vigiliis celebraret, quas quidem quisquis pectus pietatis erga Christum plenum habet non poterit quin probet atque laudet. Quapropter illum veteris ecclesiae usum temporis iniuria amissum esse magnopere et dolemus et miramur. Quid enim quod Vigilantius ille qui acerrimus in vigilias exstitit hostis et in eas caeco furore invectus est, quum omnes radicitus exstirpandas censuerit paschales tamen sanctas intactasque reliquit? Vix autem tristius quidquam accidere potuit quam ut impietas humana etiam in has vigilias irreperet earumque ordinem non sine scandalo turbaret eaque causa est cur ecclesia illius noctis officium in Sabbati magni tempus matutinum transtulerit: quod quum sine anticipatione quadam festivitatis paschalis fieri non posset, minus consentaneum videtur. Illa autem qui etiam nostro tempore in ecclesia Romana obtinet caerimonia Resurrectionis (Sabbato sancto tempore vespertino peragi solita) et quae apud Herrnhutianos in cimeteriis primo diluculo die paschali habentur conciones sacrae, utcunque e re sunt, tamen mihi quidem nullo pacto tantidem quanti vigiliae illae valere videntur.

Una caerimoniarum illius noctis est Cerei paschalis qui vocatur Benedictio. Ex apium, quas patres non male virgiales vocabant, cera pura candidaque candela conficitur et ea quidem maior, et gravior quam pro solito. Haec postquam alto candelabro imposita est, Diaconus accedit ut ei sacra formula benedicat. Novo quod vocatur lumine (quod scintilla ex silice excitata incensum atque et ipsum ore sacerdotali consecratum est) primum Cereus paschalis incenditur, deinde ex hoc quotquot in templo domini sunt candelae lumen accipiunt. Cereus autem paschalis, ut tribus verbis dicam, imaginem Christi crucifixi exprimit, qui nova luce omnibus qui ei fidem habent affulget et ut quondam ignis coelestis per desertum populo Israelitarum, sic gregi suo per vitae curriculum ducem se praebet. Etenim cera corpus Christi ex purissima virgine assumptum, filum cerei eius animam, flamma divinitatem significat: porro quinque foramina cerae impressa vulnera Christi in cruce suspensi et thuris grana, foraminibus iniecta, unguenta quibus Christi corpus antequam sepelirctur inunctum

est indicant. Ideo Cereus paschalis aquae baptismali, quae et ipsa hoc die consecratur, immittitur eiusque flamma, quotiescunque sacra Missarum sollemnia aguntur usque ad eum diem festum qui Christi in coelum evecti recolit memoriam, pie alitur. Quo die ut primum praelectum est in Missa evangelium flamma exstinguitur et uti Christus de terra in coelum sublatus est, ita ipse Cereus ab altari amovetur. *) Omnis hic usus sacer per totam Romanam ecclesiam etiam nostra aetate eodem modo sancte colitur **) nec ullum discri-

---

*) Ceterum etiam hunc pium usum varias superstitione multifariam maculatum esse vix est quod moneamus, Lutherus III, 1705: Sie stehlen heimlich Wachs von dem geweiheten Osterstock und treiben damit, weiss nicht, was für Aberglauben und Zauberei.

**) Ut habeas ritus Benedictionis accurate descriptos, nostrum facimus quod legitur in Caerimoniali Monastico Ord. Benedict. Congreg. Bursfeld. Colon. 1684): Pervenientibus ad legile secedent hinc inde Subdiaconus cum Cruce ad dexteram Diaconi, imagine crucifixi ad illius Celebrantem conversa, Thuriferarius ad dexteram Subdiaconi, Acolythus cum arundine ad sinistram Diaconi, et ad sinistram illius alter Acolythus cum granis incensi, omnes in recta linea vertentes facies versus Aquilonem. Diaconus librum super legile apertum ter incensabit, ut ad Evangelium in Missa fieri solet, et statim non signans librum, neque seipsum, alta et sonora voce iunctis manibus cantabit praeconium absolute dicens: Exultet iam angelica turba, quod dum incipit, Abbas surgit et tenens pedum detecto capite stat conversus ad Diaconum, similiter Fratres de Choro stabunt versus Altare detectis capitibus. Diaconus cum in praeconio pervenerit ad illa verba: Curvat imperia. comitantibus Acolythis cum arundine et quinque granis incensi, accedit ad Cereum in eoque praedicta grana in modum Crucis infigit hoc ordine: primum in suprema parte, secundum in media, tertium in infima, quartum in dextera, quintum in sinistra, priusquam vero infigat grana, ea admovebit ardenti candela arundinis: infixis granis redibit ad legile, nullam faciens reverentiam aut inclinationem, et prosequetur: In huius igitur, Acolythus autem deserviens a granis, tradita pelvicula Caeremoniario [qui eam ad credentiam deferet] redit ad locum suum, ibidemque per eundem Caeremoniarium accipit candelam non accensam ex credentia allatam. Cum Diaconus dixerit: Rutilans ignis accendit, intermisso iterum cantu comitante Acolytho cum arundine eandem accipiens una ex tribus candelis Cereum accendit, ac tradita Acolytho arundine reversus ad locum suum prosequitur: Qui licet divisus, usque ad illa verba: Api mater eduxit, tunc Diacono modice intermittente cantum, Acolythus ille, qui prius ferebat grana incensi, candelula sua ex arundine incensa lampades maioris Altaris et reliquas in Ecclesia incendit. Advertat Diaconus in decantatione praeconii, quod si Imperator non est Coronatus, debet dicere: electum Imperatorem: Sede autem Romana, Imperiali, vel Episcopali vacante, omittenda sunt verba: Papa, imperatore, vel Antistite nostro.

non est, nisi quod Romae in sanctuario Sixtino loco Cerei paschalis consecrantur agni paschales, imagines ex cera atque balsamo confectae. Ceterum et huic Cerei paschalis benedictioni, quum non amplius in tempus nocturnum incidat, aliquantum dignitatis detractum est.

Benedictionem Cerei Paschalis Zosimo Papae (c. 417.) adscribunt: Liber Pontific. in Zos. „Per parochias concessit licentiam benedicendum C. P.“ Amalarius de divin. offic. 1, 18. et Alcuinus de div. off. cap. de Sabbato sancto, Rupertus de div. off. 6, 28. 29. Durandus Rat. 6, 80. Consentiunt, este Martene de antiq. eccl. discipl. p. 405. Pontificale Apamiense, (anno 1214 scriptum) Ordinarium Rotomagense (1400) Missale Tolosae ecclesiae vetus. At Baronius an. 418. udicat illius usum longe antiquiorem, cum hymnum de eo conscripserit Prudentius. Proinde existimat Zosimum statuisse ut Cereus Paschalis qui in maioribus tantum basilicis accendi soleret, omnibus passim parochiis concederetur. Sed Hymnum hunc qui ad incensum lucernae inscribitur non esse de Cereo paschali sed hymnum vespertinum de lumine quod olim vespere quotidie in ecclesia sollemni quodam ritu accendebatur, disputando evincere studuimus huius Thesauri Tom. I. p. 132. Erschii et Gruberi Encyclop. s. v. Exultet. Itaque non video cur ab antiqua ecclesiae traditione sit recedendum. Paullo post Zosimum apud Ennodium Ticinensem († 521) duplex habetur cerei paschalis nec inelegans, verum ab ea quam adhibere solet ecclesia utraque omnino diversa. Habetur praeterea Trepanii vetustissimi scriptoris de Cereo paschali praeconium. Tamen, quamquam illa caerimonia est antiquissima, non ubique eodem tempore recepta est atque retenta, unde Concilium Toletanum IV. can. IX. „Lucerna, inquit, et cereus in praevigiliis paschae apud quasdam ecclesias non benedicuntur; et cur a nobis benedicantur inquirunt. Propter gloriosum enim noctis ipsius sacramentum solemniter haec benedicimus, ut sacrae resurrectionis Christi mysterium, quod tempore huius votivae noctis advenit, in benedictione sanctificati luminis accipiamus. Et quia haec observatio per multarum loca terrarum regionesque Hispaniae in ecclesiis commendatur: dignum est ut propter unitatem pacis in Gallicanis ecclesiis conservetur.“ Porro miram est, quam multiplex et varius ecclesiarum fuerit usus in illo cereo benedicendo. Habes supra ritum Ambrosianum, a Romano plurima ex parte diversum, legisti ordinem Mozarabum cui nihil inest similitudinis cum Romano. Sed et illae ecclesiae quae Romanum ritum sequebantur, non idem carmen sacrum ad Cereum benedicendum adhibebant. Apud alios enim ad illum cereum trans-

ferebatur Prudentianum Inventor rutili, alii eo cantico utebantur, quod nunc ab universa ecclesia probatur Exultet iam angelica coelorum, optima melodia nobilitato. *) In paucis libris duo illa carmina vidi coniuncta. **) Alterum, quod vere exultantis est prae sacra laetitia, tribuitur S. Augustino nec prorsus a vero abhorrere videtur vetusta illa narratio. Cf. Martene de antiqua eccl. disc. p. 405 „In veteri codice ecclesiae Noviomensis ante annos 900. scripto, in Regio n. 3866. eiusdem uti videtur aetatis, in Missali Gallicano quod ex codice Bobiensi ab annis circiter mille exarato edidit Mabillonius Musei Italici tomo I. et in alio missali Gallicano atque in Gotico Gallicano quod ex mss. Bibliothecae Vaticanae vetustissimis nec annis mille inferioribus publici fecit iuris Iosephus Thomasius, legitur Benedictio cerae beati Augustini episcopi, quam adhuc diaconus cum esset ***) edidit, et cecinit feliciter: Exultet iam angelica turba coelorum etc. Huic opinioni favere potest id quod scribit idem Augustinus in libro 15. de Civitate Dei cap. 22.: In laude quadam cerei breviter versibus dixi

Haec tua sunt, bona sunt, quia tu bonus ista creasti.
Nil nostrum est in eis, nisi quod peccamus amantes.

Equidem scio haec verba desiderari in benedictione cerei paschalis quae nomen Augustini praefert: At emendatam fuisse docet vetus pontificale insignis ecclesiae Pictaviensis, in quo haec lego: „Usum benedicendi cereum a beato Augustino repertum tradit ecclesiae qui benedictionem illius perficiens, a Sancto Hieronymo reprehensus est, cur Virgiliana verba inseruerit, sed sicut a beato Hieronymo emendata tunc fuit; ita nunc per ecclesias canitur.“ Accedit quod canticum supra exhibitum non minus granditate sermonis quam dogmatica indole prorsus sit Augustinianum. (Cf. tamen locum Gregorii in I. Regum lib. IV. c. 7.) Repe-

*) Nickel Heil. Zeiten II. p. 268: Der Diacon singt den an Sinn, Einfalt und Schwung bis auf diese Stunde unübertroffen gebliebenen unnachahmlich schönen Preisgesang in seiner zur hohen Freudigkeit entzückenden Melodie, welche von Kennern als ein Meisterstück der alten Musik angesehen wird.

**) Ut in Missali Mindensi, Strigoniensi a. 1497. e. a.

***) Quia b. Augustinus cum diaconus esset illud carmen composuit, nunc quoque diaconus id decantat. Futilia sunt Rubricistarum argumenta quae merito perstringit Clausen Kirchenverfass. etc. III. p. 687. „nicht von dem Presbyter oder Bischofe, sondern von dem untergeordneten Diaconus, weil der auferstandene Christus sich den Weibern eher zeigte als den Aposteln.“

ritur in Missali Ludeci qui haec praefatur: „Sequens Praefatio antiquitus in papatu post benedictionem novi ignis, cuius paulo ante mentio facta est, ad incensum Cerei paschalis dicta est. Cum autem inter cetera contineat encomium noctis, diem festum Resurrectionis dominicae praecedentis, quam insomnem traducere religionis et superstitionis gratia Christiani solebant, et pleraque ex Augustino, Bernardo (!) aliisque scriptoribus ecclesiasticis desumpta sint, inutilibus et non necessariis omissis, utilia et necessaria retinui et huc asscripsi.“ Iam vero ad scripturae varietatem transeat oratio, scis enim textum supra typis excusum ab ecclesia hodie receptum esse.

1. V. J. M. 16. Vn. Aug. I. 2. Cs. intonet. 2. M. 9. 16. gaudeat tellus. M. 7. V. 4. Vn. Aug. I. 2. Cs. gaudeat se. M. 2. gaudeant se — se sentiant. M. 7. Pr. Md. Cs. irradiatam. Pr. illustratam. 3. M. 2. fulgore. 4. M. 7. V. 4. Fr. et Codex Monac. incertae aetatis *) adstantes vos fratres, reliqui adstantibus vobis. 5. V. 1. 4. M. 7. 9. 16. Mx. Fr. Md. Cs. infundendo. M. 2. gratia fundente. M. 2. 7. 9. 16. Mx. Fr. Pr. Md. praecipiat. 7. Mx. Md. Cs. qui cum eo vivit. M. 9. qui cum eo et spiritu sancto vivit. M. 16. Aug. I. 2. regnat Deus. M. 2. Ies. Ch. dominus noster qui vivit et regnat cum patre. Reliqui cum quo v. 8. M. 27. Mx. Aug. I. 2. Vn. Cs. vere quia. M. 2. filiumque unig. I. C. sanctum, quoque spiritum — vocis mysterio. 10. M. 2. haec sunt — eiusque sanguis postibus consecretur. M. 16. eiusque sanguine. M. 7. 16. Mx. V. 4. Md. Fr. Cs. omittunt fidelium. 11. M. 2. 7. 9. 16. Mx. V. 4. Fr. Pr. eduxisti de Aegypto quos postea. 12. M. 16. haec ergo. 13. M. 2. 7. 9. 16. Mx. Pr. sociatque. 18. 19. De his clausulis Martene de antiq. eccl. desc. p. 406. haec affert: *Notandum vero quod de S. Hugone Cluniacensi abbate scribit Udalricus in antiquis consuetudinibus sui monasterii lib. I. cap. 14, ubi agens de benedictione cerei paschalis, in cuius, inquit, quodam loco cum aliquando non bene haberetur, O felix culpa et quod peccatum Adae necessarium esset, ante hos annos Dominus abbas optime fecit, quod fecit abradi, et ne amplius legeretur interdixit. Verum non primus S. Hugo haec verba ex benedictione cerei paschalis abrasit: nam ea desiderantur in vulgato ordine Romano, in Gallicana*

*) In hoc Codice desunt festa Visitationis, Conceptionis M., Thomae Cantuariensis, Commemoratio Fidelium Defunctorum. Carent Octavis Assumptio ac Nativitas Mariae et festum Omnium Sanctorum. Contra adest festum Trinitatis. Supra hunc codicem significavimus Mx.

Liturgia codicis Bobiensis, in veteri Sacramentorum libro Carnotensis S. Petri monasterii annorum circiter 700. in duobus codicibus ecclesiae Turonensis annorum minimum 600. Deest etiam in duobus manuscriptis missalibus bibliothecae Colbertinae n. 1388. et 3789. cuius caracter annos circiter 400. refert, in Rituali dioecesis Senonensis iussu Cardinalis Borbonii edito, in Remensi pervetusto, in missuli Tholosensi, in Melodunensi et in Lingonensi. Sed in hoc ultimo etsi desiderentur haec verba O certe necessarium Adae peccatum, ea quae praecedere solent O felix culpa reperiuntur.“ Addimus Cod. M. 2. 7. 9. 16. Missale ecclesiae Frisingensis, Pragensis, Mindensis, Ludeci quae omnia illas clausulas praetermittunt. Cf. Sequent. I, 10. o culpa nimium beata etc. In Italiae libris quos vidi antiquis leguntur verba illa, a germanicis, gallicis etc. libris omissa, ne pravae fiant interpretationes ac mentes fidelium perturbentur. Sanctum paradoxon aliquo modo posse defendi nemo non concedat necesse est. (Rom. V, 15. I. Cor. XV, 22. e. a.) Immo optime convenit animae in Nativitate vel in Resurrectione Domini exultanti et ut ita dicam sanctissimo gaudio fere inebriatae. Recte igitur Nickelius Heil. Zeiten I. 74: *Jener Tag voll ewiger beseligender Wonne, wegen welcher die heilige Kirche Gottes, gleichsam vor Liebe des Ewigen ganz ausser sich ausruft: o glückliche Sünde Adams.* Vel ut canit Paulus Gerhardus: *Hätt ich nicht auf mir Sündenschuld, hätt ich kein Theil an deiner Huld. Vergeblich wärst du mir geborn, wenn ich nicht wär in Gottes Zorn.* Tamen in evangeliis quoque hymnariis fere omnibus illum versiculum vides omissum cf. Evangel. Kirchengesgbch. p. 20. Utut est, omnino ferri nequit peccatum Adae vocari necessarium. 20. M. 2. 9. 16. o beata nox quae. 21. Ps. CXXXVIII. 11. 12. *Et nox illuminatio in deliciis meis. Quia tenebrae non obscurabuntur a te et nox sicut dies illuminabitur.* M. 2. 9. 16. Cs. ut dies. 22. M. 2. 7. 9. 16. Md. Fr. Cs. lapsis moestis. 27. M. 2. 9. 16. V. 4. Md. Cs. Fr. licet divinus — mutuati luminis. 28. M. 2. 9. 16. Vn. Aug. I. Md. alitur liq. 30. M. 2. 9. 16. Md. Fr. omitt. humanis divina. 31. M. 9. om. ergo. 32. M. 2. 9. om. et. 34. M. 2. oramus te — omnem clerum una cum papa nostro — — et gloriosissimo imperatore Ludevico eiusque nobilissima prole etc. M. 7. o. c. et devotissimum populum una cum papa nostro N. et gloriosissimo rege nostro N. et antistite nostro N. et abbate nostro N. cunctoque exercitu Christianorum etc. M. 9. o. c. cum papa n. et gloriosissimo imperatore n. N. eiusque prole nobilissima et antistite n. N. M. 16. una cum papa n. et antistite n. et gloriosissimo rege N. et christianissima coniuge sua N. etc. Fr. — antistite n. N. et gloriosissimo rege nostro

N. una cum omni congregatione et familia sanctae Mariae etc. Fere in omnibus consentit V. 4. Pr. V. 1. ac christianissimo imperatore nostro N. et gloriosissimo rege nostro N. et antistite nostro N. etc. Md. o. c. et dev. pop. una cum papa n. N. et serenissimo imperatore N. nec non et antistite nostro N. etc. In vetusto Cisterciensium Missali nulla fit mentio saecularium principum.

V.

Canticum Triumphale.

Cum rex gloriae Christus infernum debellaturus intraret,

Et chorus angelicus ante faciem eius portas principum tolli praeciperet:

Sanctorum populus qui tenebatur in morte captivus voce lacrimabili clamaverat:

Advenisti desiderabilis quem exspectabamus in tenebris ut educeres hac nocte vinculatos de claustris.

Te nostra vocabant suspiria,

Te larga requirebant tormenta,

Tu facta es spes desperatis (desolatis), magna consolatio in tormentis.

Hoc canticum, verbo tenus decerptum ex sermone Augustini (137 de temp.), nomine triumphalis cantabatur a quibusdam ecclesiis inter processionem nocte paschali. Cf. Rambach Anthol. I. 69. Descripsimus ex libr. Ludeci. Nunc in cultu divino non amplius adhibetur.

VI.

Antiphona de Spiritu Sancto.

Veni Sancte Spiritus:
Reple tuorum corda fidelium,
Et tui amoris in eis ignem accende:
Qui per diversitatem linguarum cunctarum
Gentes in unitate fidei congregasti
Alleluia, Alleluia.

VIII.

De Titulo Crucis.

Iesus Nazarenus, rex Iudaeorum titulus triumphalis
Defendat nos ab omnibus malis:
Sancte Deus, Sancte fortis, sancte et immortalis
Miserere nobis.

Ex eodem libro.

IX.

De Beata Virgine.

Alma redemptoris mater, quae pervia coeli
Porta manes et stella maris, succurre cadenti
Surgere qui curat: populo tu quae genuisti
Natura mirante tuum sanctum genitorem
Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum miserere.

Cantatur in fine Completorii, si discreditur ex choro, Antiphona quaedam Mariana, diversis anni ecclesiastici temporibus diversa. Quae supra scripta est quaeque ab Hermanno Contracto condita esse dicitur, ex hodierno ecclesiae ritu cantatur „a Vesperis Sabbati ante Dominicam I. Adventus usque ad secundam diem Februarii inclusive.“ Vetustum Minorum Breviarium anni 1497. ad Dominicam usque Quinquagesimae iubet cantari. Ceterum primo vides obtutu poetam aliorum carminum flores collegisse ac suos ferisse cf. H. XV, 13. fit porta Christi pervia H. X, 3. 4. miretur omne saeculum, talis partus decet Deum. H. CLXXI. 5. 6. sumens illud Ave Gabrielis ore. Verba: virgo prius ac posterius theologis medii aevi sunt usitatissima. Ideo non prorsus abhorrere possum a Rambachii iudicio: „Diese Antiphone gehört zu den vier in der katholischen Christenheit noch jetzt allgemein gesungenen und beliebten Antiphonen, und aus eben diesem Grunde darf ich ihr in der Anthologie einen Platz nicht versagen, dessen sie übrigens in keinem Betrachte würdig ist.“ Scripturae varietatem deprehendi in Breviario Minorum supra commemorato: porta manes et (quae gravior est) in Codic. M. 15. suggere quod curat populum tu quem genuisti.

X.

De Beata Virgine.

A. Brev. Rom.	B. Lib. vet.
Ave regina coelorum	Ave regina coelorum
Ave Domina angelorum,	Ave Domina angelorum
Salve radix, salve porta,	Salve radix, ex qua mundo lux
Ex qua mundo lux est orta.	est orta.
Gaude virgo gloriosa	Gaude gloriosa
Super omnes speciosa:	Super omnes speciosa:
Vale o valde decora	Vale valde decora
Et pro nobis Christum exora.	Et pro nobis Christum semper exora.

„Cantatur post Purificationem i. e. a fine Completorii illius diei II. Febr. incl. etiam quando transfertur Festum Purific. usque ad Feriam V. in Coena Domino excl.“ Vetustiorem textum descripsimus ex Cod. M. 16. Heures à l'usage etc. Brev. Mi[illegible]um 1497. e. a.

XI.

De Beata Virgine.

Regina coeli laetare, Alleluia
Quia quem meruisti portare, Alleluia
Resurrexit sicut dixit: Alleluia
Ora pro nobis Deum, Alleluia.

Haec Antiphona cui subiungi solet versiculus: Gaude et laetare virgo Maria All. Quia Dominus surrexit vere canitur tempore paschali. Durandus in Rationali VI, 89. angelum beatam virginem his verbis salutasse commemorat eo tempore cum Gregorius Magnus propter pestis calamitatem confitentium turbam et supplicantium per urbem duceret; ipsius pontificis modo dicti esse quae leguntur in fine: Ora pro nobis Deum. Sed omnino haec sapiunt fabulam, nam multo post Gregorium illam antiphonam in ecclesia percrebuisse constat inter omnes. Si spectas argumentum eius

reminiscaris necesse est quid sibi velit annus ecclesiasticus. Vult enim Christum redemptorem et in cunabulis et in cruce et in sepulcro et in gloria facere praesentem: porro cum matrem domini cum ad sepulcrum filii moestissimam adstitisse, tum angelo resurrectionem annuntiante dulcissimis gaudiis laetatam esse vero simillimum sit, non videmus quid lateat in antiphona illa horrendi vel superstitiosi. Regina vocatur cuius filius resurgendo et ascendendo se comprobat regem. Neque Lutherus acrius Antiphonam increpat W. VII. p. 1271. „Dass man aber singt im Regina coeli laetare: Den du hast verdienet zu tragen schleusst nicht. Singet man doch auch vom heiligen Kreuz dieselben Worte, das doch ein Holz war und nichts verdienen konnte. — Es darf auch wohl ein Maass, dass man nicht zu weit treibe den Namen, dass man sie eine Königinn der Himmel nennt: wiewol es wahr ist: aber doch sey dadurch keine Abgöttin ist, dass sie geben oder helfen möge.“ Adde tamen XI, 3147: „Also ist es auch mit dem Regina Coeli, dass ist auch nicht viel besser da man sie eine Königinn des Himmels nennt. Ist das nicht eine Unehre Christo gethan etc. Darum lasse man von den ungöttlichen und unchristlichen Worten. Gerne will ich Mariam haben, dass sie für mich bitte, aber dass sie soll mein Trost und Leben sein, das will ich nicht.“ — Scriptura in hac antiphona in omnibus libris sibi est constans. Occurrit translatio Germanica in libris Vicelii et Vehii „Unter diesem untaddelichen Gesange pflegt der Lay deudsch zu antworten: Ein Königin in dem Himmel etc. cf. Wackern. p. 94. Exstant tandem huius carminis nonnullae paraphrases: unius damus initium

Regina coeli laetare, alleluia,
Quia quem meruisti portare alleluia,
Virgo Mater resurgentis,
Vetustatem nostrae mentis
Clementer evacua.
Resurrexit sicut dixit, alleluia
Infrementis, corrumpentis
Mundi carnes et sorpentis
Mixturam attenua etc.

XII.

De Beata Virgine.

Salve regina, mater misericordiae
Vita, dulcedo et spes nostra, salve.
Ad te clamamus exules filii Hevae.
Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrimarum valle.
Eia ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte
Et Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende,
O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria.

De origine celebratissimae antiphonae Rambachius haec praemonet: Dieser Kirchengesang, dennoch jetzt in der römischen Kirche in einem ausgezeichneten Ansehen steht und den die Italiäner den Schiffergesang zu nennen pflegen, weil er bei Seestürmen und Schiffbrüchen gewöhnlich angestimmt wird, hat nach Tritheim (n. 321.) den vorhin erwähnten Hermann Contractus, nach dem glaubwürdigeren Zeugniss des Durand (Ration. 4. de prosa) aber einen sonst unbekannten Bischof von Compostell, Namens Petrus von Monsoro zum Verfasser. Die Herausgeber der Hist. litter. de la France hingegen widersprechen diesen Angaben und legen ihn einem gewissen Adhemar Bischof v. Podium bei. Als gewiss kann man annehmen, dass er schon im 11ten Jahrhundert bekannt war, da es Predigten über ihn von dem Erzbischof Bernhard von Toledo giebt, der im J. 1128 starb. Gerbert de M. S. II. p. 37. Haec Rambachius. Sed longe antiquior est si fidem mereatur Du Cange s. v. Salve regina „Istius Sequentiae (!) ut et alterius“ Alma redemptoris „meminisse videtur Abbo lib. I. de bellis Passiacis p. 507. ed. Duchesne.“ Neque proprio commentario caret Antiphona. Circumfertur Meditatio S. Anselmi Lucensis Episcopi (qui floruit c. 1070.) super Antiphonam Salve Regina, quae ab aliis tribuitur S. Bernardo. Habes eam in Bibl. Patr. Lugdunensi tom. XXVII. p. 441. ubi haec praefantur editores „Titulum hunc praefixum habet codex ille praegrandis Mantuanus MS. circa quem fortassis lector haesitabit, dum viderit opellam hanc alias D. Bernardo attribui atque inter eius opera circumferri. Eadem quidem utrobique est meditatio, sed illa contractior, ista duplo maior, neutra tamen reputabitur Anselmi, si Bernardus, illo posterior postrema

illa verba: O clemens o pia o dulcis virgo Maria subiunxerit in urbe Spirensi, quod scribunt plerique.*) Alii sollemni trina genuflexione recitasse volunt, non addidisse Posserinus utique lectorem monet, ut videat utrum recte Bernardo tribuatur.“ Ut litem dirimere possis, inspicere debes sermones Bernardi Toletani supra commemorati: mihi quidem non ad manus sunt. Sane vero haec Antiphona inter omnes Marianas primum obtinuit locum et plurimam sibi tulit assentationem. Gregorius Nonus Pontifex, cum in Fridericum imperatorem inveheretur, hanc Mariae salutationem ubique et ab omnibus feria Sexta decantari praecepit; Frider. Blondus, Decad. 2. lib. 7. idem narrat de Coelestino IV. Quanta fuerit temporibus Lutheri antiphonae illius aestimatio, ipse vehementer conqueritur W. XI, 3147. „Allhier muss ich von dem Gesange sagen, den man nennet das Salve Regina, welches eine grosse Gotteslästerung ist; denn also lautet es: Bis gegrüsset du Königina der Barmherzigkeit, unser Leben, unsere Süssigkeit und unsere Hoffnung. Ist das nicht zu viel? Wer will das verantworten, dass sie unser Leben, Süssigkeit und Barmherzigkeit sein soll, wo sie sich doch lässt genügen, dass sie ein arm Gefäss und wie sie selbst saget, eine Dienerin des Herrn? Nun, das Gebet singet man durch die ganze Welt und läutet grosse Glocken dazu und ist leider dahin kommen, dass schier keine Kirche, es ist der Salve Regina darinnen zu singen reichlich gestiftet.“ Sed praetermissum est ab Luthero honoris soli Deo tribuendi merito ferventissimo, aliis verbis loqui theologum dogmaticum, aliis poetam. Itaque probari nequit carminibus elucere dogmata, proprio sensu sic dicta. Fuerunt tamen inter protestantes qui Antiphonam doctrinae Lutheri formarent congruam, ne prorsus in ecclesia eius evanesceret. In Romana canitur a prima Vesperis Festi Trinitatis usque ad Nonam Sabbati ante Adventum. Peculiarem

*) Cf. Rousseau Purpurviolen d. Heiligen 1, p. 203. Bekannt ist, dass Bernhard eine glühende Andacht zur Muttergottes hegte. Als er einst im Dome zu Speyer (wohin die Legende auch die Frage: Bernarde, unde tam tarde? und die Antwort: Mulier tacet in ecclesia versetzt hat) sein Gebet zu der Gebenedeiten verrichtete, wiederholte er dreimal in Verzückung: „O milde, o gütige, o gnadenvolle Mutter Maria.“ Diese Worte wurden nachher dem Salve Regina beigefügt, und wo Benediktiner, Cistercienser oder Bernhardiner waren, wurde diese Antiphone von nun an feierlich gesungen. Auch zu la Trappe ertönte dieses unsterbliche Loblied beständig. [Hieraus lässt sich auch die, in meinem „Marienbüchlein“ S. 507 als irrig nachgewiesene Ansicht, als habe der h. Bernhard das ganze Salve Regina gedichtet, erklären.]

libellum conscripsit de hoc carmine Henlinius Tractatus super Salve Regina 1502. Sed ipse librum non vidi cf. Theoph. Sincerum Nachricht von raren Büchern p. 100. — Hodiernus textus uno verbo excepto vetustissimis est congruus. Legitur in Cod. M. 15., in libro Lingonensi, in Meditatione Anselmi Lucensis Salve regina misericordiae ut omissam videas vocem mater. A permultis Antiphonam in linguas vernaculas translatam, ab aliis dilatatam et amplificam esse non est quod commemoremus. Unum ex gallico libro addimus carmen, ibi S. Bonaventurae adsignatum:

Salve virgo virginum stella matutina,
Sordidorum criminum vera medicina,
Consolatrix hominum qui sunt in ruina
O vere praeconium vera draconina.

Regina regnantium virgo puellaris
Peperisti filium mater singularis,
Sacratum palatium Dei convocaris
Divinum auxilium nobis largiaris.

Misericordiae fons dici meruisti,
Atque mater gratiae quae concepisti
Summum regem gloriae quem post peperisti
Largitorem veniae mundo contulisti.

Vita, via, veritas ex te est exorta,
Et tua virginitas restat illibata,
Nam tua humilitas fuit operata,
Quod in te divinitas esset incarnata.

Dulcedo dulcedinis, fructus benedictus
Ventris tui virginis agnus Dei dictus,
Cuius unda sanguinis homo derelictus
Lotus labe criminis et est daemon victus.

Et spes nostra solida es virgo Maria
Virga Iesse florida ut in Iesaia
Rore coeli madida dixit prophetia,
Pulcra ut nix candida mater Dei pia.

Salve lux fidelium, fulgens ut aurora
Quae est supra lilium pulchra et decora,
Omne quod est noxium tolle sine mora
Et Dei auxilium pro nobis implora.

Ad te clamant miseri multum desolati
Nobis aures aperi pectoris sacrati,

Ut a fauce inferi per te liberati
Consequamur liberi viam tui nati.

Clamamus devotius ad te suspirantes
Et affectuosius et pie precantes,
Dele quod interius male cogitantes
Gessimus exterius opere peccantes.

Exules exilio omnes sumus dati
Pro parentum vitio gloria privati,
Paradisi gaudio et exorbitati,
Tuo beneficio sumus reparati.

Filii suspirii prodere coguntur
Mundi pro miseria per quam involvuntur,
Ad damnata vitia saepe dilabuntur,
Sed misericordia tua fulciuntur.

Evae lapsum intulit damnum desperatum
Et a nobis abstulit gaudium beatum
Ac post Evam contulit virgini incarnatum,
Qua mortem sustulit diluit peccatum.

Ad te clamant ingiter tui famulantes
Et in te fideliter omnes suspirantes
Iuvamenque tuum benigne precantes
Quos misericorditer audias rogantes.

Suspiramus fletibus nostris pro peccatis
Et nostris sceleribus per nos perpetratis
Sed in te confidimus mater pietatis,
Vere poenitentibus veniam da gratis.

Gementes recolimus mala retroacta
Quae inique gessimus mente non coacta
Sed in te confidimus mater intacta
Ut a te quae petimus sint in nobis facta.

Et flentes doloribus mente verecunda,
Lumen nostris cordibus infunde fecunda
Vitiorum sordibus benigna emunda
Iunge nos coelestibus Maria iucunda.

In hac valle miseriae multum tenebrosa
Hominum sunt genera multum foetosa,
Nam eorum opera sunt contagiosa
Propter facta scelera et opprobriosa.

Lacrimarum rivuli non prosunt vel aquae
Cum senes et parvuli ex plebe unaquaque
Timeant quod aemuli quaerunt circumquaque
Et fratres huius saeculi trahunt usquequaque.

Ria ergo dirige ad nostras mentes
Atque lapsos erige, conforta trementes,
Errantesque corrige te pie quaerentes
Miseros nos dirige in te confidentes.

Advocata nostra coram salvatore
Postulare propera consuetoque more
Et pro gente misera benigno favore
Natum tuum mitiga materno amore.

Nostra spes fidelium semper fuit talis
Est et erit omnium mater virginalis,
Ut nobis praesidium civitas regalis
Sis atque remedium pulsis procul malis.

Illos pios oculos et misericordes
Converte ad famulos in bono discordes
Et ad malum sedulos fortius concordes
Nostrae carnis stimulorum deleas sordes.

Et Iesum unigenitum fructum benedictum
Monstra nobis inclitum pium et non fictum,
Per quem genus perditum a daemone victum
Datum in interitum revixit invictum.

Ventris tui viscera Iesum portaverunt
Et beata ubera ipsum lactaverunt,
Cui Iudaei vulnera dira intulerunt
Et ipsum post verbera cruci tradiderunt.

Nobis post hoc exilium benignum ostende,
Iesum tuum filium et nobis impende
Verum patrocinium et manum extende
Cum ad iudicium erimus defende.

O clemens clementia summae bonitatis,
Adonai filia, flos virginitatis,
Damnatorum venia mater pietatis
Virginum laetitia, stola caritatis.

O pia piissima regina coelorum
Omnium ditissima Dei saeculorum,

Cf. Levis Anecdota Sacra 328 (Augustae Taurin. 1790.) p. 107. Consentit in plurimis liber Lingonensis.

XVII.

Salutatio S. Anselmi Cantuariensis ad Sanctissimum Sacramentum.

Christi corpus ave sancta de virgine natum,
Viva caro, deitas integra, verus homo
Salve vera salus, via, vita, redemptio mundi,
Liberet a cunctis nos tua dextra malis.
Christi sanguis ave coeli sanctissime potus,
Unda salutaris crimina nostra lavans.
Sanguis ave lateris Christi de vulnere sparse
In cruce pendens unda salutaris ave.

Levis A. S. p. 33. Cum vero nec in Anselmi operibus legatur, neque alicubi huius carminis Anselmiani fiat mentio, nemo facile est quin Levisium habuisse existimet, cur titulum illum retinuerit.

XVIII.

De Sacramento Eucharistiae.

Ave verbum incarnatum,
In altari consecratum,
Panis vivus Angelorum,
Salus, spes Christianorum,
Salve corpus Iesu Christi.

Levis A. S. p. 108.

XIX.

Post Agnus Dei.

Salve, salve mundi verbum, verbum Patris,
Hostia vera, viva caro, Deitas integra, Deus et homo.

Ave Domine Iesu Christe, principium nostrae creationis,
Ave Domine Iesu Christe, pretium nostrae redemptionis,
Ave Domine Iesu Christe, viaticum nostrae peregrinationis,
Ave Domine Iesu Christe, pretium nostrae remunerationis.

Levis A. S. p. 108.

XX.

Antiphona pro peccatis (de morte).

Media vita in morte sumus
Quem quaerimus adiutorem nisi te, domine
Qui pro peccatis nostris iuste iraseceris:
Sancte Deus, sancte fortis, sancte et misericors salvator:
Amarae morti ne tradas nos.

Rambach I. p. 248. 425: Das Media vita kommt in Schriften des 13ten Jahrh. als ein allgemein gewöhnlicher Klage- und Flehgesang bei traurigen Begebenheiten vor, (Gerb. Tom. I. p. 561) und wurde schon in eben diesem Jahrh. regelmässig am Sonnabend vor Laetare zum Completorium gesungen. Eine deutsche Uebersetzung war lange vor Luther bekannt und wurde von ihm nur durch den Zusatz von zwei Strophen erweitert. Das Lied führt in Vehe's Gesangbuch die Ueberschrift: Ein geistlich Klaglied zu singen auf die Tage der Bittfahrten." Martene de antiq. eccl. disc. p. 105 ex Rituali Turonensi (c. 1300. conscripto) lectoribus communicat Officium Novi Anni, memoratu dignissimum, in quo locum habebat Antiphona nostra. „In vigilia novi anni dicitur nona in ordine, et post incipit festum quod non debet remanere, nisi corpora sint gumi. Sonato classico vesperarum, accendunt erupitores candelas ante altare de pietate: et hoc facto cantant ibi clerici in cappis sericis *O Regina Virginum*: Post veniunt ad cameram ad quaerendum cantorem, coram quo dum dicitur, sub corona revestitus in alba et cappa canunt duo clerici *De supernis affero nuntium*; et alii respondent *Tam festa dies*; post incipit cantor *Laetemur gaudiis*, cereis ac lampadibus coronae accensis. Post vadunt in chorum et cappas reddunt exceptis cantore et succentore. Post veniunt duo clerici in cappis sericis ab al-

tari cantantes *Psallat chorus*, et alii retro stant; et tenens baculum cantoris respondet *Hodierna*; et hoc dicto tradit baculum cantori: post cantant sex clerici in medio chori tribus vocibus, *O Nazarene*. Post cantant presbyteri in cappis sericis *Deus in Adiutorium*, et chorus dicit *Gloria Patri*. Postea incipiunt antiphonas duo insimul in cicadis, et cum *Alleluia*, et neuma finiuntur. Finitis psalmis, et accensis candelis, in pulpito cantant ibi iuvenes responsorium cum versu et cum *Gloria*; et post debet in choro cum prosa repeti, scilicet *Iudaea et Ierusalem*. Post dicitur hymnus *Veni Redemptor gentium*, et canit dexter chorus primum versum, et sinister secundum. Post cantant clerici tribus vocibus versiculum *Omnia nostra cuncio*. Post dicitur oratio cum cantu *Deus qui salutis:* Et post dicunt sex clerici *Benedicamus. Primus homo corruit.* Post vadunt ad pedes, et cantant. *In principio*, de S. Stephano antiphona *Rex regum* dicitur, de B. Martino dicitur *O quam admirabile* cum *Magnificat* et duobus tonis, post collecta et *Benedicamus*. Ad completorium antiphona *Aula* cum psalmis, post sequentia *Ave Maria* loco hymni. Post cantant sex clerici versiculum *Omnipotentissime*. Post incipiat cantor antiphonam *Responsum*, et succentor *Nunc dimittis*, et ad quemlibet versum psalmi dicit chorus *Media vita*, et clericus solus *Sancte*, et chorus post *Ne proiicias nos*. Post dicitur *Kyrie eleison*, *Pater cuncta*, post *Pater noster et credo* farsita, et capitula *Ego dixi etc.* oratio et *Benedicamus.*" Equidem legi Antiphonam in Codice Wirceburgensi qui est saeculi decimi tertii cf. Thesaur. Hymnol. I. Proll. p. XII., praeterea in precario Lingonensi. Wackernagelius p. 20. descripsit textum Hortuli animae a. 1503. p. 158., sed ne in verbulo quidem discrepat scriptura. Notatu dignissima sunt quae de Antiphona supra posita docuit Hoffmannus D. K. p. 186. 187. „Das Plenarium, Basel 1514. fol. hat auf der Rückseite seines Titelblattes unter einem Holzschnitte, Christus am Kreuze vorstellend, eine Uebersetzung des Media vita, welche Baumgarten in seinen Nachrichten von merkw. Büchern I. Bd. (Halle 1752. 8.) S. 453. mittheilt:

In mittel unsers lebens zeit
im tod seind wir umbfangen.
wen suchen wir der uns hilfe geit,
von dem wir huld erlangen?
dan dich herr alleine
der umb unser missetat
rechtlichen zürnen tuest.
heiliger herre got, heiliger starker got,

heiliger und barmherziger heilmacher got,
lass uns nit gewalt tun des bitteren todes not. *)

Das Original von Notker Balbulus, Mönch von St. Gallen († 912.) ward ein sehr beliebter Schlachtgesang, durch dessen Absingung vor und während der Schlacht Feind und Freund zu siegen hoffte, wurde auch bei vielen Gelegenheiten als eine Art von Zaubergesang gebraucht. Deshalb verordnete die Synode zu Köln 1316, **) dass niemand das media vita ohne Erlaubniss seines Bischofs singen solle. Noch lange erhielt sich dies Lied in seiner alten Bedeutung. So finde ich, dass es als Fluchgesang im XV. Jahrh. die Nonnen zu Wenningsen und Mariensee sangen, als der Pater J. Busch die Reformation der nieders. Klöster und auch dieser beiden unternahm." ***) At vero Notkerum carminis esse auctorem, idoneis argumentis evinci nequit, nisi forte idoneum testem existimaveris unum scriptorem eumque honorum San-Gallensium studiosissimum. Wackernagelius tribuit Antiphonam saeculo undecimo: neque ipse addit argumenta. Hodie quod sciam non amplius ab ecclesia Romana in cultu divino adhibetur: apud evangelicos viget optimum canticum Lutheri: Mitten wir im Leben sind, anno 1524 conditum cf. Evangel. Kirchengesangbuch p. 271. „ein herzinniger Seufzer einer von den Schrecken des Todes umfangenen Seele."

XXI.

Antiphona de Defunctis.

Ecce quomodo moritur iustus
Et nemo percipit corde:
Viri iusti tolluntur et nemo considerat.
A facie iniquitatis sublatus est iustus
Et erit in pace memoria eius.
In pace factus est locus eius

---

*) Etwas abweichend davon ist eine andere Uebersetzung im Gilgengart (Augsp. 1520. 8.) Bl. cij, gedruckt in J. B. Riederer, Nachrichten zur Kirchen-, Gelehrten- und Bücher-Geschichte II. Bd. S. 419.

**) Ildef. von Arx, Gesch. von St. Gallen I. Bd. S. 94. 95. citirt: Can. 21. Albert. Concil. Germ., was ich aber nirgend finde.

***) S. Joh. Busch de reform. monast. apud Leibnit., Scriptt. Rerum. Brunsv. T. II. p. 859 et 863.

Et in Sion habitatio eius
Et erit in pace memoria eius.

Haec Antiphona ex diversis sacrae scripturae eloquiis conçinnata, saepissime apud maiores adhibebatur in funeribus faciendis. Hodie usus eius praecipue sollemnis est in alma schola Portensi, ut sciunt omnes illustrissimae matris filii. Melodiam Antiphonae laudat Leibnitius Epistol. Tom. I. p. 324: „Musica hodie fere usum movendorum affectuum perdidit, quia solet esse nimis artificialis: raro invenio cantus qui me tangunt. Ex cantu ecclesiastico placet illud: Ecce quemodo moritur iustus.“

III.

APPENDIX.

APPENDIX. *)

I.

Oratio ad Deum.

O Deus ego amo te,
Nam prior tu amasti me,
En libertate privo me,
Ut sponte vinctus sequar te.

Nil suggerat memoria,
Nisi de tua gloria,
Nil intellectus sapiat,
Praeterquam ut te capiat.

Protestor nihil velle me,
Nisi quod sciam velle te;
Quae dono tuo mea sunt,
Haec dono meo tua sunt.

A te accepi, recipe,
Quid iis velis, praecipe;
Guberna sicut scis, et vis,
Nam scio, quod amator sis.

Amore solo dona me,
Ut ego quoque amem te;
Haec dando dabis omnia,
Nam cetera sunt somnia.

II.

Oratio ad Deum.

O Deus ego amo te,
Nec amo te, ut salves me,
Aut quia non amantes te
Aeterno punis igne.

Tu tu mi Iesu totum me
Amplexus es in cruce;
Tulisti clavos, lanceam,
Multamque ignominiam,

Innumeros dolores,
Sudores, et angores,
Ac mortem, et haec propter me,
Ac pro me peccatore.

Cur igitur non amem te,
O Iesu amantissime!
Non, ut in coelo salves me,
Aut ne aeternum damnes me;

---

*) Carmina uno asterisco signata leguntur in Breviariis hodiernis, quae duobus in Missalibus ecclesiae Gallicanae recentioribus.

Nec praemii ullius spe
Sed sicut tu amasti me;
Sic amo et amabo te,
Solum, quia Rex meus es.

III.

De Adventu Domini.

Veni, veni Emmanuel!
Captivum solve Israel!
Qui gemit in exilio,
Privatus Dei Filio,
Gaude, gaude, Emmanuel
Nascetur pro te, Israel.

Veni o Jesse virgula!
Ex hostis tuos ungula,
De specu tuos tartari
Educ, et antro barathri.
Gaude, gaude, Emmanuel etc.

Veni, veni o oriens!
Solare nos adveniens,
Noctis depelle nebulas,
Dirasque noctis tenebras.
Gaude, gaude, Emmanuel etc.

Veni clavis Davidica!
Regna reclude coelica,
Fac iter tutum superum,
Et claude vias inferum.
Gaude, gaude, Emmanuel etc.

Veni, veni Adonai!
Qui populo in Sinai
Legem dedisti vertice,
In Maiestate gloriae.
Gaude, gaude, Emmanuel etc.

IV.

De Adventu Domini.

Tandem fluctus, tandem luctus,
Sol erumpens temperat;
Nunc aurora rupta mora,
Lucem laetam nuntiat.

Mundi bellus sol ocellus,
Verus sol justitiae,
Signat ortum, monstrat portum
Commorans in virgine.

Jam quiescit, delitescit
In isto Zodiaco,
Mox in lucem verum ducem,
Proferet cum gaudio.

Hostis frendet, sol dum splendet
Pura sub nubecula;
Sed est carens naevo, parens
Lucis, haec virguncula.

Pulso nimbo, rupto limbo
Instat his victoria,
Quos patratum per peccatum,
Alligarant tartara.

Ergo gaude, terra plaude,
Redde Deo gloriam,
Quando rore pleniore,
Nubes pluunt gratiam.

V.

De Adventu Domini.

Est virgo coeli rore
Repleta desuper,
Cui par in decore
Non datur mulier;
Hanc veneremur ore
Et sanctis moribus
Et sanciis amore
Divino cordibus.

Novum summus creavit
In terris dominus.
Virgo virum portavit
Castis visceribus;
Qui, sicut nuntiavit
De coelo Gabriel,
Geret post regem David
Sceptrum in Israel.

Finis appropinquabat
Iam novem mensium,
Et virginis instabat
Nunc puerperium;
Cum subito describi
Augustus imperat
Orbem totum, quem sibi
Roma subiecerat.

Mox Ioseph festinabat
Promptus in Bethlehem:
Inde nam numerabat
Suam progeniem.
Sponso pudico comes
It mater Numinis,
Quam nullus unquam fomes
Infecit criminis.

O urbium cunctarum
Regina Bethlehem!
Exsurge tam praeclarum
Visura hospitem.
Quidquid palatiorum
Apud te splendicat,
Id omne iam caelorum
Rectori pateat.

Sed heu! hac urbe tota
Quaerunt hospitium;
Nec mente tam devota
Est ullus civium,
Ut virgini, mox Dei
Daturae filium
Vel unius diei
Det diversorium.

Cogunt ut ruinosa
Adirent stabula,
Haec Deo pretiosa
Dabant cunabula;
Paupertas gloriosa
Tu quantum es homini
Vilissimo perosa,
Tam grata es Numini.

Adeste posterorum
Adae reliquiae,
Gaudete gaudiorum
Quidquid est undique.
En prodit exoptatus
Tam diu gentibus,
Succurrere paratus
Cunctis languentibus.

VI.

De Adventu Domini.

O lux salutis nuncia,
Qua Virgini fert angelus
Complenda mox oracula
Et cara terris gaudia.

Qui Patris aeterno sinu
Aeterna proles nascitur,
Obnoxius fit tempori
Matremque in orbe seligit.

Nobis piandis victima
Nostros se in artus colligit,
Ut innocenti sanguine
Scelus nocentum diluat.

Sic filiis mortalibus,
Lactescit esca caelitum:
Quum pascit infans perditos,
Qui pascit angelos Deus.

Concepta carne veritas,
Umbrata velo virginis,
Puris videnda mentibus!
Imple tuo nos lumine.

Et quae modesto pectore,
Te dicis ancillam Dei,
Regina nunc coelestium!
Patrona sis fidelium.

VII.

In Nativitate Domini.

In Bethlem transeamus
Amoris gressibus,
Et natum videamus
Mentis excessibus,
Eia, eia mentis excessibus.

Huc amor te vocavit
Humani generis;
Huc mei reclinavit
Te noxa sceleris;
Eia, eia etc.

A saeculis optate
Iesu dulcissime.
Cunctis desiderate,
Salve gratissime!
Eia, eia etc.

Infantis heic amorem
Omnes attendite,
Et grates et honorem
Coelo rependite:
Eia eia etc.

Ergo Rex saeculorum,
Creator omnium,
Rex terrae, Rex coelorum
Fit frater hominum.
Eia, eia etc.

Quid tantae charitati,
Quid Iesu deferam.
Ah! quid humanitati
Tuae nunc referam!
Eia, eia etc.

Si regis heic maiestas,
Ubi sunt famuli,
Aula, thronus, potestas
Et stratum lectuli,
Eia eia etc.

Pro stabulo me dedo,
Corpus pro stramine,
Cor pro praesepi cedo
Et pro solamine.
Eia, eia etc.

O verbum incarnatum
Rerum principium!
Pro me humiliatum,
Velut mancipium.
Eia, eia etc.

VIII.

De eadem.

O ter foecundas, o ter iucundas
Beatae noctis delicias,
Quae suspiratas e coelo datas
In terris paris delicias.

Gravem primaevae ob lapsum Evae,
Dum iamiam mundus emoritur:
In carne meus, ut vivat Deus,
Sol vitae mundo suboritur.

Aeternum lumen, immensum numen
Pannorum vinculis stringitur;
In vili caula exclusus aula
Rex coeli bestiis cingitur.

In cunis iacet, et infans tacet,
Verbum, quod loquitur omnia;
Sol mundi friget, et flamma riget:
Quid sibi volunt haec omnia?

Quod in spelaeum depressit Deum,
O hoc amoris telum est,
Astra valete, antra salvete,
Iam mihi stabulum coelum est.

IX.

De eadem.

Orbis, gaude quod nunc homo,
Degustato miser pomo,
Quod nos morti tradidit,
Fructu vitam de vitali
Ex radice virginali
Isthac luce recipit.

Modo verus Dei natus
Spiritu de sancto satus,
Gemens inter frigora,
Spiritum reducit orbi,
Et primaevi clades morbi
Restauratur gratia.

Audin! Dei natus gemit,
Vagit, plorat, plangit, tremit,
Nostra pensans debita,
Oculique lacrymarum
Foeti, dant laetitiarum
Larga nobis flumina.

Vim Samsonis en exortam
Franget puer nobis portam
Infernalis carceris,
En in hoc puello ducem,
Educturum nos ad lucem
Perditos in tenebris.

Satanas devictus frendet;
Oriens ex alto splendet,
Exoptatus gentium,
Quem prophetae praedicarunt,
Patriarchae suspirarunt,
Angelum gementium.

Ergo flexo genu mentis,
Homo redemptorem gentis
Venerare cernuus:
In praesepi fortioris
Vides obsides amoris,
Hic quiescat animus.

X.

De eadem.

Iam radix Iesse floruit,
Et virga fructum genuit,
O ter beatum nuncium!
Solamen dulce mentium! allel.
allel.

Pastores gregem linquite:
Ad cunas cito currite,
Natum puellum visite,
Cum Angelis concinite: allel.
allel.

Salvator mundo datus est,
Et Deus homo factus est,
Hanc diem fecit Dominus,
Quem cernimus nunc cominus.
allel. allel.

De Saba Reges surgite,
Quo stella ducit, pergite,
Offerte dona parvulo,
Genu curvate Iesulo. allel. allel.

Maria Iesum edidit,
Nec Virgo florem perdidit;
Astra sonate laudibus,
Terra resultet plausibus! allel.
allel.

Sit Trinitati gloria,
Per quam haec facta gratia;
Cum Matre natum Iesulum
Collaudet omne saeculum. allel.
allel.

XI.

De eadem.

Iesu thronum maiestatis
Sumens formam vilitatis
Nostri causa deseris:
O fac nobis ad salutem
Tantus amor det virtutem,
Et nos iungat superis.

Iesu! natum te pastorum
Visit plebs, et Angelorum
Canit vox laetitiam;
Tuae laudis fac amantem,
Ut aeternum tibi cantem
In excelsis gloriam.

Iesu! Mater praeter morem
Virgo parit te, dolorem
Nesciens puerpera.
Charitate, fac, perfecta
Flagret in te mens affecta,
Quam non frangant aspera.

Iesu Deus et Salvator!
Legi pares, ut peccator
Circumcidi sustinens;
O fac, carnem, sensus vagos
Circumcidat, mores pravos
Mens superna sapiens.

Iesu! Reges te dotantes,
Regem Regum venerantes
Vultu colunt cernuo;
Quam pro donis mihi datis
Vicem reddam charitatis?
En me totum tribuo.

XII.

Iesus in praesepio.

Altitudo quid hic iaces,
In tam vili stabulo?
Qui creasti coeli faces,
Alges in praesepio?
O quam mira perpetrasti,
Iesu propter hominem!
Tam ardenter quem amasti
Paradiso exulem.

Fortitudo infirmatur,
Parva fit immensitas;
Liberator alligatur,
Nascitur aeternitas.
O quam mira perpetrasti etc.

Premis ubera labellis,
Sed intactae Virginis;
Ploras vividis ocellis,
Coelum replens gaudiis.
O quam mira perpetrasti etc.

XIII.

De eodem.

Ave Iesu Deus magne,
Ave Puer, mitis agne,
Ave Deus, homo nate,
In praesepi reclinate!
O potestas, o egestas,
O maiestas Domini!
O maiestas, quid non praestas
Homini?

Inter bruta quam abiectus
Vagis, patris o dilectus!
Iudex summe, verus Deus,
Propter me fis homo reus!
O potestas etc.

Ut me pauperem ditares,
Ut me perditum salvares,
Iaces pannis involutus,
Omni ope destitutus.
O potestas etc.

O mi Iesu cor devotum
Post te trahe, sume totum,
Igne tuo sancto ure,
Ah, ah penitus combure.
O potestas etc.

Procul vanos hinc amores,
Procul malos arce mores,
Tuis meos aptos finge,
Aeterno me nexu stringe.
O potestas etc.

XIV.

Cantus pastoris.

Christe patentis incola caulae,
Cui mala Bethlem tecta negavit:
En, citus adsum cantor ad antrum
Ut tibi dicam pectine carmen:
Absona quamvis stridet arundo;
Absona spero, canna placebit,
Nam dat amato saepe puello
Barbita mater dissona chordis.

Haec mala quamvis musica pupo
Tristia cordis nubila pellit,
Ergo placebit, credo puello,
Si vel hinlcum bucula bassum,
Stridet et altum turpis asellus,
Talis in antro musica clangit,
Et resupina carpitur aure.

Eia puelle! clarior astris,
Mollior agno, dulcior uva,
Inter agrestes hosce sodales,
Cantor agrestis penso locellum
Dumque probantur bos et asellus,
Absona quamvis carmina pangant,
Forsan agresti voce placebo,
Qui tibi soli quaero placere.

Non mea tentat musa placere,
Seu Coridonis, sive Manalcae,
Sed tibi quaerit rite placere,
Qui moderatis omnia numen,
Te recreare gestio cantu
Promere dulces pectine somnos;
Devio ducta si quid ab arte,
Suppleat oro recta voluntas.

XV.

Mater cum filio.

Parvum quando cerno Deum
Matris inter brachia,
Colliquescit pectus meum
Inter mille gaudia.

Gestit puer, gestit videns
Tua mater viscera,
Puer ille dum subridens
Mille figit oscula.

Puro qualis in lucenti
Sol renitet aethere;
Talis puer in lactanti
Matris hacret ubere.

Talis mater speciosa
Eminet cum filio,
Qualis ros in molli rosa,
Viola cum lilio.

Inter sese tot amores,
Tot alternant spicula,
Quot in pratis fulgent flores,
Quot in coelo sidera.

O! ut una ex sagittis
Dulcis o puerule!
Quas in matris pectus mittis,
Cadat in me, Iesule:

XVI.

Cantus Mariae ad cunas.

Dum virgo vagientem,
Somnumque postulantem
Sopire vult ocellum,
Sic invocat puellum
O amor, o dormi, Iesule mi!

O agne concupite,
O vita, stella vitae,
O planta corde nata,
O gemma delicata!
O amor etc.

O numen, o puelle,
O nate plene melle,
O fons beatitatis,
Aurora claritatis.
O amor etc.

O gaudium parentis
Solatiumque mentis,
O nate, sponse, frater,
Te cantat alma mater.
O amor etc.

Te bucca mugientis,
Te barbiton rudentis
Mecum choro trifermi
Rogant, ocelle dormi!
O amor etc.

Vis coelicos oleres,
Vis consonos amores
Vis musicos decentes?
Heus! angelos canentes!
O amor etc.

XVII.

Annus renovatus.

Ecce nova gaudia
Anni reduxit orbita,
Facit haec solemnia
Nativitas dominica:
Quapropter cuncti mortales hilariter, hilariter, hilariter, hilariter coniubilemus.

Quum laetentur superi,
Congaudeant et inferi;
Est enim tam splendidi
Communis causa gaudii etc.

Aspirante flamine,
Non de virili semine,
Ex Maria virgine
Salvator natus hodie etc.

Sathanae chirographum
Tollet et omne debitum,
Omnibusque superum
Aperiet palatium etc.

Quid pro tanto munere
Reddemus tibi Domine!
Quaesumus has suscipe,
Quas grates damus carmine etc.

XVIII.

De Epiphania. **)

Ad Iesum accurrite,
Corda vestra subdite
Regi novo gentium.

Stella Christum praedicat,
Intus fides indicat
Redemptorem omnium.

Huc afferte munera
Voluntate libera,
Sed munera cordium.

Haec erit gratissima
Salvatori victima,
Mentis sacrificium.

Aurum offert caritas,
Et myrrham austeritas,
Et thus desiderium.

Auro rex agnoscitur,
Homo myrrha, colitur
Thure Deus gentium.

Iudaea, gaudentibus
Non invide gentibus
Retectum mysterium.

Post custodes ovium
Se Magi fidelium
Iungunt in consortium.

Qui Iudaeos advocat
Christus, gentes convocat
In unum tugurium.

Bethleem fit hodie
Totius Ecclesiae
Nascentis exordium.

Regnet Christus cordibus,
Et victis rebellibus
Proferat imperium.

XIX.

De passione Domini.

Ecquis binas columbinas
Alas dabit animae?
Ut in almam crucis palmam
Evolet citissime,
In qua Iesus totus laesus,
Orbis desiderium,
Et immensus est suspensus,
Factus improperium!

O cor scande, Iesu pande
Charitatis viscera,
Et profunde me reconde
Intra sacra vulnera;
In superna me caverna
Colloca maceriae;
Hic viventi, quiescenti
Finis est miseriae.

O mi Deus, amor meus!
Tune pro me pateris?
Proque indigno, crucis ligno
Iesu mi suffigeris?
Pro latrone, Iesu bone,
Tu in crucem tolleris!
Pro peccatis meis, gratis
Vita mea moreris!

Non sum tanti, Iesu! quanti
Amor tuus aestimat;
Heu cur ego vitam dego,
Si cor te non redamat?
Benedictus sit invictus
Amor vincens omnia,
Amor fortis, tela mortis
Reputans ut somnia.

Iste fecit, et refecit
Amor, Iesu, perditum;
O insignis, Amor, ignis
Cor accende frigidum.
O fac vere cor ardere,
Fac, me te diligere,
Da coniungi, da defungi
Tecum Iesu, et vivere. Amen.

XX.

De eadem.

Attolle paulum lumina
Peccator, atque disce,
Quantum malum sint crimina,
Et tandem resipisce;
Crucifixum aspice,
Leges in hoc codice,
Quod proderit scivisse.

Caput tristes aculei
Spinarum pupugerunt,
Manus pedesque ferrei
Clavi perforaverunt;
Et in membra caetera
Foede nimis, barbara
Flagella saevierunt.

Cum tantus dolor atterat
Haec membra delicata,
Magis cor eius vulnerat
Mens hominum ingrata;
O dirum supplicium,
Quo Mariae filium
Excruciant peccata.

Nemo dolorem pertulit
Isti parem dolori,
Quem crucifixo intulit
Iudaeus Salvatori;
Per incredibilia
Voluit supplicia
Pro nobis Christus mori.

O homo nunc considera,
Quae damna sint peccati,
Pro quo curando, vulnera
Tot Christus debet pati;
Absque hoc auxilio
Igne nos perpetuo
Essemus condemnati.

Si poenis insons filius
Punitur tam severis,
Quantis, tu servus impius,
A iudice plecteris?
Si sic lignum viride
Ardet, rame aride!
Qua flamma tu ureris?

O fuge ergo crimina,
Peccator, fuge mortem;
Inferni fuge limina,
Et damnatorum sortem;
Age Christo gratias,
Ut aeternae facias
Te vitae sic consortem.

XXI.

De eadem.

O populo mi! quid merui?
In quo te contristavi?
Nonne quibus debui,
Bonis te ornavi?

Die, qua in re offendi te?
Quo modo vis, abunde,
Emendabo, quod in me
Displicet, responde!

Cur odio tam impio
Ut hostem me invadis?
Crucis cur supplicio
Me necandum tradis.

Te condidi et nihili
Te ex abysso duxi;
Vitam tibi contuli,
Mente te instruxi.

Tu impio iudicio
Me morte condemnasti.
Hoste tu cum stygio
In me conspirasti.

Tot sidera hac dextera
In tuos usus feci,
Plantas tot et pecora
Hac tibi subieci.

En liberum te dominum
Cunctorum procreavi,
Mundum in palatium
Tibi fabricavi.

Tu paucalis argenteis
Me hosti vendidisti,
Et ut scurram, Aetheris
Regem prodidisti.

Tu fustibus et ensibus
Armatus ad me venis,
Et ceu furem funibus
Ligas et catenis.

Ut unicum te filium
In meo sinu fovi,
Semper tuum commodum
Sedulo promovi.

Tu scommatis et colaphis
Hanc curam rependisti,
Probris tu me pluribus
Captum affecisti.

Te variis scientiis
Prae brutis exornavi,
Te et ipsis angelis
Prope exaequavi.

Ut stolido et fatuo
Tu mihi illusisti:
Tu latroni impio
Me posthabuisti.

O populo mi, num merui
Horrende sic tractari?
Et tam miserabili
Modo trucidari.

Ah propere convertere
Peccata detestare,
Quare te vis perdere,
Cum queas salvare.

XXII.

De eadem.

Eheu mortalis, quot pro te malis
Rex immortalis premitur,
Nimis cruenta, heu, sunt tormenta;
Queis deo vita demitur.

Dum laniones, tanquam leones
Vulnus addunt vulneribus,
Tu vah! ingrate, tam desperate
Scelus anges sceleribus.

Plagis et minis, flagris et spinis
Illi vita extunditur:
Pro creatura sine mensura
Divinus sanguis funditur.

O State, divi cruoris rivi,
Plus nimio, quod datis est,
Nimis amoris, nimis cruoris,
Gutta vel una satis est.

Vel mundos mille unius stillae
Purgat a labe dignitas,
Nam vel tantillae immensum stillae
Valorem dat Divinitas.

Te Iesus amat, hoc sanguis clamat,
Peccator spera veniam:
Si spernis, strictae quondam vindictae,
Moestam plorabis naeniam.

XXIII.

De eadem.

O caeli, obstupescite!
O gentes erubescite!
O facta detestanda;
Ab impiis ut reus
Damnatur ipse Deus,
O res abominanda!

Nummis triginta venditur:
Tam parvi Deus penditur.
Rex summae maiestatis,
Discipulus venumdat:
Iudaeus hunc circumdat
Militibus armatis.

Deus ut latro capitur,
Et per plateas rapitur,
Circumdatus catenis,
Hunc vexat, vellit, ludit:
Hunc calcat, pulsat, trudit
Servorum grex effrenis.

Ipsam in innocentiam
Iniquitas sententiam
Acerbam profert mortis,
Rex caeli virulentis
Obiicitur furentis
Ludibriis cohortis.

Regem virtutum nivee
Rex vanus tectum linteo
Sprevit ut morionem,
Prae mundi conditore
Et vitae largitore
Plebs eligit latronem.

Innocens gnatus Virginis
Lapsu servatus hominis
Foede diverberatur,
Et manibus torturum,
Instar maleficorum
Virgis dilaniatur.

Ecce Sionis filia
Haec spectat mirabilia,
En regem Salomonem
Portantem diadema,
Quo ornat gens blasphema
Eius desponsionem.

En vultum plagis lividum,
En caput spinis obsitum:
En latus, dorsum, pectus
Largo fluit cruore:
Hoc purpurae colore
Rex tuus est contectus.

XXIV.

De eadem.

Exite filiae Sion,
Videte vestrum regem,
Prodit e throno Salomon
Ad carum sibi gregem,
Nitente fulget purpura,
Sceptro, corona gemmea.

Sceptrum quod gestat regium
Quo legem dicit mundo,
Non fascis est quiritium,
Sed fluctuans arundo;
Non enim virga ferrea
Humana regit pectora.

Hic Salomon pacificus,
Non matris laurum ferens,
Est Iesus, Dei filius
Olivae ramum gerens,
Securam paris tesseram,
Offert delicti veniam.

Festiva regis purpura,
Quam rudis manus finxit,
Calonis est lacernula:
Non cocci vermis tinxit?
Qui dixit Ego vermiculum,
Cruore tinxit Coccinum.

Eius Corona splendicat
Sed est contexta rubo;
Et gemmae, quot intermicant,
Nascuntur mari rubro,
Scintillant sicut faculae,
Nam sunt cruoris maculae.

Hinc regi regum servuli
Cervicem inflectamus,
Regis exemplo, saeculi
Pompam despiciamus;
Ne membri pectus frigeat,
Quum caput spinis rigeat.

XXV.

De eadem.

In crucis pendens arbore,
Toto cruentus corpore,
Et summo cum dolore,
Quae verba Dei filius
Divino fudit pectore,
Pari pensas amore.

His erat primo vocibus:
Ignosce, Pater, omnibus,
Qui cruci me affigunt;
Da veniam peccantibus,
Ignorans ignoscentibus,
Qui Deum sic affigunt.

Post haec latronis precibus
Benignis favet auribus,
Eidem pollicendo;
Ad paradisi gloriam
Te ducam, tibi gratiam
Salvator hanc impendo.

Ad matrem amantissimam,
Ligno trabali proximam
Conversus sic profatur,
En filium, hunc accipe,
En matrem istam suscipe,
Discipulum affatur.

Jam diris cruciatibus
Et anxiis doloribus
Examinatus clamat;
Ah sitio: doloris est
Haec sitis, et amoris est,
Quae mundi vitam amat.

Mox desolatus angitur,
Mortisque lucta frangitur:
O Eli! Eli! Deus!
Cur derelinquis hominem,
Doloribus exanimem!
O Deus, Deus meus!

Post flagra tandem effera
Tormenta, sputa, verbera,
Clamat: Est consummatum,
O Pater mi, quod perfero,
Quod moriturus offero,
Sit holocaustum ratum.

His dictis patrem reverens,
Ad ipsum vota referens,
Ad metam, dixit, tendo,
Ad ultimum anhelitum,
In manus tuas spiritum,
O Pater mi, commendo.

O homo! Iesu vulnera,
Contritus corde pondera,
Et miser non peribis,
Sed vitae post solatia,
Caelorum ad palatia
Aeternum felix ibis.

XXVI.

De eadem.

Crux ave benedicta!
Per te mors est devicta,
In te pependit Deus,
Rex, et Salvator meus.

O sacrosanctum lignum,
Tu vitae nostrae signum,
Tulisti fructum Iesum,
Humani cordis esum.

Tu arborum Regina,
Salutis medicina,
Pressorum es levamen,
Et tristium solamen.

Dum crucis inimicos
Vocabis, et amicos;
O Iesu fili Dei!
Sis, oro, memor mei.

XXVII.

De eadem.

Iesu meae deliciae,
Et fide castos animae!
Te crucis fixum arbore
Mens ardet omni tempore.

Compatior medullitus,
Cum nudum cerno penitus;
Qui mihi est prae omnibus
Thesaurus praestantissimus.

O Iesu! tuae lachrymae,
Angores et tristitiae
Meam solentur animam,
Iugemque dent laetitiam.

Clavi tui sunt spicula,
Casti amoris iacula,
His dulciter me vulnera,
Et cor potenter penetra.

De tuo Iesu corpore
Da cordi meo vivere,
In cordis tui vulnere
Dignare me abscondere.

Et mortis in angustia,
Per tua precor vulnera,
O Iesu, tanta passio
Culparum sit remissio.

XXVIII.

De eadem.

Amara Christi passio
Me flere plus quam dicere
Invitat, attamen piis
Miscebo carmen lacrymis.

Sed quo canam praeconio,
Amoris inventum tui,
Quo Christe, temet in cibum
Nobis dedisti et poculum.

Hinc mortis ad spectaculum
Totus cruore perfluis
Membrisque plangis omnibus.
O fortitudo Martyrum.

Mox te Satelles undique
Circumdat, arctat vinculis:
Sed te ligarat arctius,
Prius tuorum charitas.

Quot probra: quas iniurias:
Nox vidit una militum,
Fit ludus et spectaculum
Rex Israel et caelitum.

Dum Christe! tollis lumina,
Petrum negantem respicis,
Sed lacrumantem praevenis,
Tuo lavandum sanguine.

Nunc mutus ante iudicem,
Iudex supremus omnium,
Solo satis se clamitat,
Innoxium silentio.

Quin candor ille vestium
Quo sprevit Herodes Deum,
Decebat agnum, candida
Qui pascit inter lilia.

Tu Christe! flagris caederis,
Ego miser deliqueram,
Rosas ego dum colligo
Tu sentibus compungeris.

Sed ad columnam frangitur
Haec mea contumacia,
Et hac corona cingitur
Mortalium superbia.

iter latrones ceu latro,
oeli decus pulcherrimum,
ffigitur clavis cruci
urpissimum ludibrium.

arbitras mundi manus
edesque, qui ventos super
ehi sueverunt, heu mea
os impulere crimina.

ecede sol et lugubri
erras amictu contege,
ehisce tellus, scindite
os saxa: Christus occidit.

hriste occidis, nos nascimur
ui doloris filii,
vita nostri pectoris
risque nostri spiritus.

Hoc deerat unum, mortui
Ut vulnerato pectore,
Pateret ad vitam via
Aperta amoris regia.

Sed iam manent te brachia
Carae parentis, quae tibi
Unguenta pro plagis dabit,
Et lacrumas pro sanguine.

Tandem sepulcro conderis,
Defuncte Christe, saxeo;
Meum tibi consternerem,
Sed heic iaceres durius.

Cur hunc capescis exitum,
O incapax exordii!
Nostram, nisi vis proprio
Signare mortem funere.

Iesu! tibi sit gloria,
Pro poena et ignominia,
Quas innocens pro noxiis
Non horruisti perpeti.

XXIX.

De eadem.

ngete dura marmora,
antesque lacrymate,
ngete coeli sidera,
entique suspirate,
n languet orbis gloria,
t moritur amore.

orate fletu lumina,
mor iubet dolorque,
lomo profunde flumina
letusque sanguinisque,
n propter tua crimina
lic moritur dolore.

O charitatis victima,
O dira vis amoris:
Crudelitatis hostia,
Spectaculum doloris,
Quis cogitasset talia,
Mori Deum pro nobis!

Deflete mea lumina
Tanti luctas amoris,
Deflete mea crimina,
Tanti causas doloris,
Hoc petit tanti gratia
Doloris ac amoris.

O amor super omnia,
Iesu sic morientis,
O dolor super omnia
Iesu sic patientis,
Amoris ecce spicula,
Et victimam doloris.

Exite Sion filiae,
Videte Iesse natum,
Spinarum diademate
Lugete coronatum,
Sponsumque vestrum plangite
Crudeliter necatum.

O quanta vis amoris est
In Iesu moriente,
O quanta vis doloris est
In Iesu patiente!
Plorare, nisi tigris es,
Debes ac redamare.

XXX.

De eadem.

Obstupescat iam natura,
Erubescat creatura
Quando conditor naturae
Se naturae subiicit,
Iesus, ut interiturae
Vitam daret creaturae,
Vah! in mortem deficit.

Iesus sistitur mortali,
Ne mortalis immortali
Coram iudice severa
Concidat sententia.
Sanctitas et vita vera
Innocentiaque mera
Fit pro nobis victima.

Homo peccat Deus luit,
En, ut copioso fluit
Dura sub carnificina
Totum corpus sanguine,
Sic leonis vis divina,
Mansuetudo sic agnina,
Patitur tondentem se.

Vah catenae, vah flagella
Membra dissecant tenella,
Faciemque tam decori,
Ante natos hominum,
Cuius gustu pleniori
Explent angelorum chori
Suum desiderium.

Is, qui verbo nos creavit,
Sanguine sic recreavit,
Tantam cur disparitatem,
In hoc Deus voluit!
En amoris potestatem,
Quae peccati pravitatem
Aequa lance diluit!

En mortalis ut formosis,
Coronetur servus rosis,
Rex coelestis coronatur
Spinis atque colaphis,
Homo cruce ne prematur,
Crux a Deo baiulatur
Propriis in humeris.

XXXI.

De eadem.

Huc ad iugum Calvariae,
Iesum sequamur ducem:
Nostrae trophaeum gloriae,
Deosculemur crucem,
Qui generosus miles est,
Sibi ducat honori,
Cum duce Iesu milliès
In crucis campo mori.

Quis colla miles excutit,
Hac est eundum via:
Quo dux vexillum praetulit,
Sequamur turma pia,
Est summa pati gloria:
Nec est tam salsus potus,
Qui non crucis memoria
Exhauriatur totus.

Morosus es et tetricus,
Morborum cinctus choro;
Aegrotat tecum medicus
Decumbens crucis thoro,
Non est a Christi vertice
Ad plantam pedis vena,
Pro te quam non, o perdite
Maior affligit poena.

Divitiis exutus es,
Mendicitatis haeres:
In cruce Iesus nudus est,
Nunc minus aegre feres.
Et vulpes diverticulum,
Et nidum noscit passer:
Eheu Christi cubiculum
Est dura crucis asser.

Maledicis sermonibus
Si fama laceratur:
En Iesus cum latronibus
Iniquis deputatur,
Cum hinc lavorum spicula
Corpus perpenetrarunt
Inde lingnarum iacula
Mentem transverberarunt.

Fatale times iaculum,
Te quando mors invadet.
O nobile spectaculum!
Miles cum duce cadet,
Christus acerbi funeris
Prior excepit ictum,
Hinc tu lethalem vulneris,
Vix senties inflictum.

Tandem si conscientiae
Te lancinant punctnrae,
Per fructus poenitentiae
Hae sopiuntur curae.
Sub inclinato capite,
Qui Spiritum emisit,
Iesus favorem gratiae
Et veniam promisit.

XXXII.

De eadem (*S. Aloysii suspiria.*)

O Christe pendens arbore,
Amore vulneratus!
Pendens amoris victima!
Quid Christe mi rependam?
Lates minuto maximus
Sub panis involucro;
Mihi te das ferculum,
Quid Christe mi rependam?

Me sic amantis gloriae
Vitamque sanguinemque
Si millies impendero,
Ah quantulum rependo!
Haec sola posthac vita sit,
Sudor laborque solus,
Amare te pro viribus,
Moriqne sic amando.

Et te beatam Virginem,
Mortalibus salutem
Quae protulisti, diligam,
Dum vixero, Maria;
Sed Mater, ut clientulum
Iuves periclitantem,
Per Filii te vulnera
Obtestor, et cruorem.

XXXIII.

De eadem. *

Festivis resonent compita vocibus:
Cives laetitiam frontibus explicent:
Taedis flammiferis ordine prodeant
Instructi pueri et senes.
Quem dura moriens Christus in arbore,
Fudit multiplici vulnere sanguinem;
Nos facti memores dum colimus, decet
Saltem fundere lacrymas.
Humano generi pernicies gravis
Adami veteris crimine contigit:
Adami integritas et pietas novi
Vitam reddidit omnibus.
Clamorem validum summus ab Aethere
Languentis Geniti si Pater audiit,
Placari potius Sanguine debuit,
Et nobis veniam dare.
Hoc quicumque stolam sanguine prolnit
Abstergit maculas; et roseum decus,

Quo fiat similis protinus Angelis,
Et Regi placeat, capit.
A recto iustabilis tramite postmodum
Se nullus retrahat; meta sed ultima
Tangatur; tribuet nobile praemium,
Qui cursum Deus adiuvat.
Nobis propitius sis Genitor potens,
Ut quos Unigenae Sanguine Filii
Emisti, et placido flamine recreas,
Coeli ad culmina transferas. Amen.

XXXIV.

De eadem.

Ira iusta Conditoris,
Imbre aquarum vindice,
Criminosum mersit Orbem,
Noë in Arca sospite:
Mira tandem vis amoris
Lavit Orbem Sanguine.

Tam salubri terra felix
Irrigata pluvia,
Ante spinis quae scatebat,
Germinavit flosculos:
Inque nectaris saporem
Transiere absinthia.

Tristo protinus venenum
Dirus anguis posuit,
Et cruenta bellnarum
Desiit ferocia:
Mitis Agni vulnerati
Haec fuit victoria.

O scientiae supernae
Altitudo impervia!
O suavitas benigni
Praedicanda pectoris!
Servus erat morte dignus,
Rex luit poenam optimus.

Quando culpis provocamus
Ultionem Iudicis,
Tunc loquentis protegamur
Sanguinis praesentia:
Ingruentium malorum
Tunc recedant agmina.

Te redemptus laudet Orbis
Grata servans munera,
O salutis sempiternae
Dux, et auctor inclyte,
Qui tenes beata regna
Cum Parente, et Spiritu. Amen.

XXXV.

De eadem.

Salvete Christi vulnera,
Immensi amoris pignora,
Quibus perennes rivuli
Manant rubentis Sanguinis.

Nitore stellas vincitis,
Rosas odore, et balsama,
Pretio lapillos indicos,
Mellis favos dulcedine.

Per vos pater gratissimum
Nostris asylum mentibus,
Non hunc furor minantium
Unquam penetrat hostium.

Quot Iesus in Praetorio
Flagella nudus excipit!
Quot scissa pellis undique
Stillat Cruoris guttulas!

Frontem venusta, proh dolor!
Corona pungit Spinea,
Clavi retusa cuspide
Pedes manusque perforant.

Postquam sed ille tradidit
Amane volensque spiritum,
Pectus feritur lancea,
Geminusque liquor exilit.

Ut plena sit redemptio,
Sub torculari stringitur,
Suique Iesus immemor,
Sibi nil reservat Sanguinis.

Venite quotquot criminum
Funesta labes inficit:
In hoc salutis balneo,
Qui se lavat, mundabitur.

Summi ad Parentis dexteram
Sedenti habenda est gratia,
Qui nos redemit Sanguine,
Sanctoque firmat Spiritu. Amen.

XXXVI.

De Clavis ac Lancea. *

Paschali iubilo sonent praeconia,
Armorum Domini per quae victoria
Venit Christicolis: sint in memoria
Crux, et Clavi, et Lancea.

Crux apud inferos spoliat tartara,
Lancea superis tribuit praemia,
Clavi consociant coelos, et infima,
Fletum mutant laetitia.

Clavus dum figitur in Dei manibus,
Et dum demergitur in sacris pedibus,
Hasta dum fodicat latus, hominibus
Manat gratiae fluvius.

Lancea saeviens in Dei pectore,
Et inde proferens aquam cum sanguine,
Mundum laetificat impetus flumine;
Omnes ad aquas currite.

Te, summa Deitas, coelum magnificat,
Ordo Seraphicus laudibus insonat,
His noster pariter coetus se misceat,
Et in saecula te canat. Amen.

XXXVII.

De iisdem. *

Verbum supernum prodiens
Salvare quod perierat,
Hasta Clavisque moriens
Complevit ad quod venerat.

O gloriosa Lancea,
Timor tremorque daemonum,
Regna pandis siderea,
Per sanctae necis meritum.

De Clavorum stigmatibus
Emanat mundi pretium,
E cunctis aromatibus
Spirans odorem coelicum.

In corde Christi mergitur
Mucro leone saevior:
De forti fons exoritur
Cibusque melle dulcior.

In natum Pater phialam
Effudit iracundiae,
Ut nobis coenam maximam
Gratis suae det gloriae.

O Christe, nostrum gaudium,
De vulnerato latere
Da lac, et vinum dephuum
Ardente corde sugere.

Precamur, Auctor omnium
Tu nostra sis refectio:
Tuorum quoque meritum
Armorum, sis protectio. Amen.

XXXVIII.

Salutatio ad Christum in cruce patientem.

Ave Iesu, summe bonus,
Ad parcendum nimis pronus;
Membra Tua macilenta
Quam acerbe sunt distenta!

Ave coeli margarita,
In qua mundi salus sita!
Beatorum unum votum,
In quo bonum latet totum,

Ave Iesu, coeli lumen,
Voluptatis largum flumen;
Ubi vivi fontis rores,
Vivifici sunt liquores.

Quam Te cerno sauciatum!
Quam Te cerno laniatum!
Salvatoris patent fontes,
Quid haurire vetat sontes?

O mi Iesu! o mi amor!
Mentis meae suavis clamor:
Quam crudelem fecit ictum,
Quod sic deles maledictum!

O quam pretiosus sudor,
Quo lavatur meus pudor!
Age! mens haec contemplare,
Lacrimarum fluat mare.

O Rex Maiestatis, Christe!
Me, me decet cruor iste:
Tuae quot sunt cicatrices,
Charitatis sunt radices.

Quo cessere suaves vultus,
Angelorum perpes cultus?
Quo fugere frontis faces?
O mi Iesu! quare taces?

O divina salve spina!
Perditorum medicina:
Punge pectus, punge meum,
Peccatorum nimis reum.

XXXIX.

De Passione Domini.

Heu! Dei Filius quot poenis premitur,
Latrone vilius huic vita demitur!
Ah fletu, flete lumina,
Dent lacrymarum flumina,
Iesu, Iesu, amor dulcissime!
Quo raperis, quae pateris,
Pro mundi scelere?

Tortores vulnera addunt vulneribus,
Tu, homo, scelera auges sceleribus,
His sanguis Iesu funditur,
His vita huic extunditur,
Iesu, Iesu, redemptor optime!
Hoc sanguine nos ablue
Ab omni crimine.

Servorum Tigride heu cor crudelius,
Pro quels tam rigide punitur filius!
Nec lacrymas profunditis,
Pectus gementes tunditis?
Iesu, Iesu, peccator insona,

Da veniam, da gratiam,
Contritus intona,

Moventur sidera, sol ipse deficit,
Rumpuntur marmora, et aequor ingemit;
Tu solus non compateris,
Peccator, tu non scinderis!
Iesu! Iesu! cor durum contere,
Ut sentiat, quae debeat
Mors tua luere.

Sed, tandem sentio, cor mihi scinditur,
Dum huic mentio de te ingeritur;
Peccasse me iam poenitet,
Peccatum omne displicet.
Iesu! Iesu! quid reus faciam?
Ut perditam obtineam
Nunc rursus gratiam.

Per tua vulnera, Iesu dulcissime!
Per dira funera, Pastor suavissime!
Da confitenti veniam,
Da resurgenti gratiam.
Iesu! Jesu! Rex clementissime!
Me recipe, me dirige,
Me totum posside.

XL.

De eadem.

O mira res! flent coelites,
Et universi ordines,
Dei Patris Filius,
Omnis culpae nescius,
Fit pro nobis reus,

O bonitas, o veritas,
O magna Iesu charitas!
Ut conservet homines,
Et triumphet Daemones,
Est inter latrones.

O crimina! quam noxia
Quam saeva figunt spicula!
Quibus Iesu vulnera,
Et crucis supplicia
Fiunt medicina.

O Domine! pro homine
Totus exhaustus sanguine,
Fac vel una guttula
Hora mortis ultima
Sit salus et vita.

XLI.

De eadem.

Salve mundi salutare,
Salve, salve, Iesu care!
Cruci tuae me aptari
Vellem, tibi me aequari,
Da mihi tui copiam.

Salve Iesu Rex Sanctorum,
Spes votiva peccatorum,
Crucis ligno, tanquam reus,
Pendens homo, verus Deus;
Caducis nutans genibus.

Quid sum tibi responsurus,
Actu vilis, corde durus?
Quid rependam amatori,
Qui elegit pro me mori,
Ne dupla morte morerer?

Salve Iesu, pastor bone,
Fatigatus in agone,
Qui per lignum es distractus,
Et ad lignum es compactus,
Expansis sanctis manibus.

Salve caput cruentatum,
Totum spinis coronatum,
Conquassatum, vulneratum,
Arundine verberatum,
Facie sputis illita.

Salve latus Salvatoris,
In quo latet mel dulcoris,
In quo patet vis amoris,
Ex quo scatet fons cruoris,
Qui corda lavat sordida.

Clavos, pedum plagas duras,
Et tam graves impressuras
Circumplector cum affectu,
Tuo pavens in aspectu,
Tuorum memor vulnerum.

Dulcis Iesu, pie Deus!
Ad te clamo, licet reus,
Praebe mihi te benignum,
Ne repellas me indignum
De tuis sanctis pedibus.

Dum me mori est necesse,
Noli mihi tunc deesse,
In tremenda mortis hora
Veni Iesu absque mora,
Tuere me, et libera.

Cum me iubes emigrare,
Iesu care! tunc appare,
O amator amplectende!
Temet ipsum tunc ostende,
In cruce salutifera.

XLII.

De Corona spinea. *

Exite Sion Filiae,
Regis pudicae Virgines,
Christi coronam cernite
Quam mater ipsa texuit.

Horret revulsis crinibus
Spinis cruentatum caput,
Et vultus ille decolor
Mortem propinquam respicit.

Quae terra sulcis invia,
Dumis rigens et sentibus,
Lugubre munus protulit,
Quae saeva messuit manus?

Christi rubescens sanguine
Aculeos mutat rosis,
Palmamque vincens fructibus,
Spina est triumphis aptior.

Culpis satae mortalium
Te Christe, spinae vulnerant,
Evelle nostras cordibus
Tuasque nostris insere.

Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito
In saeculorum saecula. Amen.

XLIII.

De eadem. *

Legis figuris pingitur
Christi corona nobilis.
Implexa spinis victima
Ardensque testatur rubus.

Arcam corona cinxerat,
Mensaeque sacrum circulum,
Aramque thure fumidam,
Corona nectit ambiens.

Christi dolorum conscia
Salve corona gloriae!
Gemmis et auro pulchrior
Vincens coronas siderum.

Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito
In saeculorum saecula. Amen.

XLIV.

In Festivitate Cordis Iesu. *

En, ut superba criminum
Et saeva nostrorum cohors
Cor sauciavit innocens
Merentis haud tale Dei!

Vibrantis hastam militis
Peccata nostra dirigunt:
Ferrumque dirae cuspidis
Mortale crimen acuit.

Ex Corde scisso Ecclesia
Christo iugata nascitur;
Hoc ostium Arcae in latere est
Genti ad salutem positum.

Ex hoc perennis gratia,
Ceu septiformis fluvius,
Stolas ut illic sordidas
Lavemus Agni in sanguine.

Turpe est redire ad crimina,
Quae Cor beatum lacerent:
Sed aemulemur cordibus
Flammas amoris indices.

Hoc Christe nobis, hoc Pater,
Hoc Sancte dona Spiritus,
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est saeculum, Amen.

XLV.

De eadem. *

Cor, arca legem continens
Non servitutis veteris:
Sed gratiae, sed veniae,
Sed et misericordiae.

Hoc sub amoris symbolo
Passus cruenta et mystica,
Utrumque sacrificium
Christus Sacerdos obtulit.

Cor, sanctuarium novi
Intemeratum foederis,
Templum vetusto sanctius,
Velumque scisso utilius.

Quis non amantem redamet?
Quis non redemptus diligat,
Et Corde in isto seligat,
Aeterna tabernacula?

Te vulneratum charitas
Ictu patenti voluit;
Amoris invisibilis
Ut veneremur vulnera.

Decus Parenti et Filio,
Sanctoque sit Spiritui,
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est saeculum. Amen.

Hymni Paschales.

XLVI.

Victoria! victoria! gloria
Insigni nobilem coelorum Principem
Mentibus, vocibus laetis excipimus,
O beata sors! est prostrata mors,
Quando te, inclite o Iesu mi!
Ferox necavit,
Ipsa se misere prostravit.

Victoria! victoria! laurea
Insignis gloriae Regem victoriae
Hodie splendide cingat, et decoret.
Exoptata res! est completa spes,
Impia tartara destructa sunt,
Patent Coelorum
Atria, patria iustorum.

Gaudete coeli fulgida sidera,
Gaudete aequora, montes et nemora,
Dulcia cantica ubique personent.
O iucunda lux! o beata crux!
Perdita gaudia restituit,
Fugat maerores
Flentium, mentium dolores.

In carne iam, post funera, vulnera
(O quanta gloria) micant ut sidera;
Dulcia pocula hinc mellis profluunt;
Sunt haec securissima receptacula,
Hic in te, Iesu! me abscondere
Volo, et manere,
Habe me, opto te habere.

Maria mundi inclyta Domina,
Regina siderum, corona coelitum!
Hilaris, luctibus missis tripudia,
Quem Virgineo quondam utero
Coelica gratia conceperas,
Quem mors confixit
Spiculo, tumulo surrexit.

Victoria! victoria! gloria
Te, Iesu, nobilem coelorum Principem
Hodie regie nova condecorat;
At quis meritas tibi gratias
Iesu mi, amor mi! rependerit?
Cor totum cape,
Et ad te totum me iam rape.

XLVII.

Cedant iusti signa luctus,
Cessat metus, cedunt fluctus,
Moses mare superat,
Israëlem liberat.
Vita mortem morte stravit,
Agnus sanguine nos lavit,
Induens nos gloria. Alleluia.

En abyssi claustra tonant,
Et catenae tractae sonant,
Turba Patrum coelica
Evolat ad gaudia.
Lytrum Deus-Homo pendit,
Dumque coelum nunc ascendit,
Eius est victoria. Alleluia.

Surgit Christus e sepulcro,
Solo Deitatis fulcro
Nixa, dum humanitas
Superat miserias,
Ut nos surgeremus rei,
In humilitate Dei
Nobis est victoria. Alleluia.

Docet ita nos Salvator,
Uti debeat peccator
E sepulcro criminum
Evolare in gaudium,
Quod a nobis actum fuit
Insons Christus morte luit,
Canite: victoria! Alleluia.

Frustra victus orcus frendet,
Sol salutis nobis splendet,
Liberi sunt liberi;
Servitus Diaboli,
Laqueus nunc est confractus,
Iam triumphus est peractus,
Surgite ad praemia. Alleluia!

Ergo salvae turba gentis
Nunc excusso somno mentis,
Tandem expergiscere,
Salvatorem sequere!
Salvatoris semper praesto
Nobis adiumentum esto,
Nostra sit victoria! Alleluia.

XLVIII.

Alleluia, Alleluia!
Finita iam sunt praelia,
Est parta iam victoria!
Gaudeamus, et canamus: Allel.

Alleluia, Alleluia!
Post fata mortis barbara
Devicit Iesus tartara.
Applaudamus, et psallamus: Allel.

Alleluia, Alleluia!
Surrexit die tertia
Coelesti clarus gratia.
Insonemus, et cantemus: Allel.

Alleluia, Alleluia!
Sunt clausa stygis ostia,
Et coeli patent atria.
Gaudeamus, et canamus: Allel.

Alleluia, Alleluia!
Per tua, Iesu, vulnera
Nos mala morte libera,
Ut vivamus, et canamus: Allel.

XLIX.

Io triumphe! io coelorum principes!
Supremi Regis io Ministri alites!
Portas recludite, vectes attollite,
Intrabit inclytae Iesus Rex gloriae.

Is bello nuper pulchro victus occubuit,
Nunc victor e sepulchro cum palma prodiit,
Devicit tartara, speluncas daemonis,
Prostravit agmina inferni principis.

Dudum mors dominata per mundi climata,
Iacet, iacet prostrata nunc in calvaria,
Dum Iesum spiculo infesta vulnerat,
Hoc semet iaculo incauta funerat.

O dies triumphalis! Qua mors emoritur,
Beate o mortalis! cui vita oritur!
Vere laetissima coeli miracula!
Vere gratissima terrae spectacula!

Adeste nunc frequentes telluris incolae,
Adeste castae mentes, simulque plaudite,
Dolores leniit Iesus post funera,
Maerores abstulit, et cordis vulnera.

Quid ergo, quid peccator differs accedere?
Exspectat en Salvator, vult te resurgere
A morte criminum; o surge ocius,
Ad mortis Dominum curre velocius.

Ne time quondam laesum per foeda crimina,
Accede tantum Iesum, i cum fiducia;
Intende animi nervos fortissime,
Applaude Principi festivo carmine.

Vivat io triumphe! Iesus Rex gloriae!
Vivat io triumphe! Princeps victoriae!
Sit illi gloria, virtus, imperium!
Collaudent omnia iam mortis Dominum.

L.

Serena lux, amoena lux!
Iam rident sidera;
Surrexit Christus hodie,
Sonate laeta cantica. Allel. Allel.

Laus et triumphus insonet,
Exultent pectora;
Coelum et terra iubilet,
Iungantur gaudia. Allel. Allel.

Disrupta mortis vincula,
Captivus solvitur;
Recepta vitae praemia,
Trophaeum figitur. Allel. Allel.

Iesus paschale gaudium,
Coelorum gloria,
Fores reclusit siderum,
Delevit crimina. Allel. Allel.

Decora splendent vulnera,
Iam hiems abiit;
Caesa revixit victima,
Nimbus desaeviit. Allel. Allel.

Deus placatus sanguine;
Nunc data venia;
Vulnus curatum vulnere,
O nova gratia! Allel. Allel.

LI.

Triumphe! plaudant maria,
Applaudant fontes, flumina,
Coelorum plaudant agmina!
Triumphat nostra gloria,
Rex Regum super sidera,
Iesus conscendit aethera.
In nomine Iesu, flectatur omne
Genu, coelestium, terrestrium,
Et inferorum.

Quis iste est Rex gloriae,
Ostro decorus purpurae?
De Bosra tinctis vestibus,
Qui ascendit in iubilo?
Rex potens est in praelio,
Confractis mortis viribus.
In nomine Iesu etc.

Io triumphe! coelites,
Coelorum magni Principes
Portas vestras attollite;
Attollite, occurrite,
Triumphatori dicite:
Ave Iesu Rex inclyte!
In nomine Iesu flectatur etc.

Vicisti Iesu prospere,
Iam coeli regno fruere
Consors paternae dexterae;
O Iesu meta cordium,
Sis lacrymarum gaudium,
Sis dulce vitae praemium.
In nomine Jesu etc.

LII.

Regina coeli iubila, Gaude Maria.
Jam pulsa cedunt nubila,
Alleluia, laetare o Maria.

Acerbitas solatium,
Luctus resonet gaudium.

Quem digna terris gignere,
Vivus resurgit funere. Allel.

Turbata sputis lumina:
Phoebea vincunt fulgura.

Sunt fracta mortis spicula,
Jesu iacet mors subdita.

Manuum pedumque vulnera
Sunt gratiarum flumina.

Transversa ligni robora
Sunt sceptra regni fulgida.

LIII.

Pone luctum Magdalena!
Et serena lacrymas;
Non est iam Simonis coena,
Non cur fletum exprimas,
Causae mille sunt laetandi,
Causae mille exultandi:
Alleluia resonet.

Sume risum Magdalena!
Frons nitescat lucida:
Demigravit omnis poena,
Lux coruscat fulgida:
Christus mundum liberavit,
Et de morte triumphavit, etc.

Gaude, plaude Magdalena!
Tumba Christus exiit,
Tristis est peracta scena,
Victor mortis rediit,
Quem deflebas morientem,
Nunc arride resurgentem etc.

Tolle vultum Magdalena!
Redivivum obstupe,
Vide frons quam sit amoena,
Quinque plagas aspice,
Fulgent sicut Margaritae,
Ornamenta novae vitae. etc.

Vive, vive Magdalena!
Tua lux reversa est,
Gaudiis turgescat vena,
Mortis vis abstersa est:
Maesti procul sint dolores,
Laeti redeant amores. etc.

LIV.

Plaudite coeli!
Rideat aether!
Summus et imus
Gaudeat orbis!
Transivit atrae
Turba procellae!
Subiit almae
Gloria palmae!

Surgite verni,
Surgite flores,
Germina pictis
Surgite campis!
Teneris mistae
Violis rosae;
Candida sparsis
Lilia calthis!

Currite plenis
Carmina venis,
Fundite laetum
Barbita metrum;
Namque revixit
Sicuti dixit
Pius illaesus
Funere Iesus.

Plaudite montes,
Ludite fontes,
Resonent valles,
Repetant colles:
Io, revixit,
Sicuti dixit,
Pius illaesus
Funere Iesus.

LV.

Dialogus Christi et Magdalenae.

M. Erumpe tandem iuste dolor,
Quid me quaerendo frustra solor?
Iesus evanuit,
Quis hunc mihi florem, amorem meum rapuit!

Eia singultus locum date,

Per lacrymas evaporate.
Cor mihi finditur
Amore dolore in partes mille scinditur.

C. Quid mulier per sata ruis,
Per hortos et per prata curris?
Quem quaeris flosculum,
Cur lacrymis rigas, cur gressu vastas hortulum?

M. Magistrum meum abstulerunt,
Dic eum ubi posuerunt?
Quis mihi lilium,
Quis mihi dilectum ostendet Dei filium?

Hunc si tu florem abstulisti,
Dic, ubi eum posuisti,
Et ego repetam,
In gaudia matris sponsum repertum deferam.

M. O Jesu, mi magister bone,
Quam tua laetor visione!
Des, ut affectibus
Et casti favoris constringam te complexibus.

C. Adsum, Maria! flos amoenus,
Sum enim Iesus Nazarenus,
Tuus dilectus sum,
Qui solus electus ex millibus electus sum.

C. Hic ab amplexu abstinebis,
In coelis, quando me videbis
Splendenti lumine
Tu propinquiore pasceris astri flumine.

LVI.

De Ascensione Domini. **)

Solemnis haec festivitas
Novum instaurat gaudium,
Qua perennis felicitas
Proponitur in praemium.

Ab ascendente ducitur
Regnatura captivitas:
Palma victis asseritur,
Mortuis immortalitas.

Christus scandens in aethera
Mortis fregit potentiam;
Sedens Patris in dextera
Iugem parat laetitiam.

Ut ascendit sic veniet
Sedens in nubis solio:
Poena malos afficiet
Iudex bonosque praemio.

Dies per multos saepius
Suis vivus apparuit;
Et comitum cor durius
Mitis magister arguit.

Patri monstrat assidue
Quam dura tulit vulnera:
Et sic pacis perpetuae
Nobis exorat foedera.

Suos per gentes imperat
Ferre salutis nuntium,
Sed non prius quam afferat
Dei virtus auxilium.

Nunc animis accipite
Paratum coelo praemium,
Ut membrorum cum capite
Arctius sit consortium.

Discipulis mirantibus
Coelo triumphans redditur,
Et subductus aspectibus
Nube clara suscipitur.

Quos hic orphanos descris,
Iesu, respice coelitus;
Mitte nobis e superis
Promissa dona Spiritus.

Qui penetravit inferas
Domos Redemptor pacifer,
Se fert in sedes superas
Mundi supremus arbiter.

Tibi devotis mentibus
Per te lucescat veritas,
Per te succensis cordibus
Divina flagret caritas.

LX.

Carmen Ioannis Hussi de Coena Sacra.

Iesus Christus, nostra salus,
Quod reclamat omnis malus,
Nobis in sui memoriam
Dedit hanc panis hostiam.

O quam sanctus panis iste!
Tu solus es, Iesu Christe,
Caro, cibus, sacramentum,
Quo non maius est inventum.

Hoc donum suavitatis
Charitasque deitatis,
Virtutis eucharistia,
Communionis gratia.

Ave deitatis forma,
Dei unionis norma,
In te quisque delectatur,
Qui te fide speculatur.

Non est panis, sed est Deus,
Homo, liberator meus,
Qui in cruce pependisti
Et in carne defecisti.

Esca digna angelorum,
Pietatis lux sanctorum,
Lex moderna approbavit,
Quod antiqua figuravit.

Salutare medicamen,
Peccatorum relevamen,
Pasce nos, a malis leva,
Duc nos, ubi est lux tua.

LXI

Ad Iesum.

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

Hic cordis firmamentum, hic tuta quies est,
Amoris fulcimentum, hic certa salus est,
In petrae hoc foramine,
In cordis hac macerie;
Hic muniar, hic uniar,
Iesu carissime!

LXII.

Ad Iesum.

Iesu dulcissime! e throno gloriae
Ovem deperditam venisti quaerere;
Iesu suavissime, Pastor fidissime!
Ad te o trahe me, ut semper sequar te.

Ego, quae perii, ovis sum misera;
A fauce tartari me Iesu libera!
In tuo sanguine ab omni crimine
O Iesu lava me, ut mundus amem te.

Solamen flentium, dulcedo mentium,
Amor, fons gratiae, terrae deliciae,
Salvator optime, Pastor fidissime!
Ab hoste protege, post mortem eripe.

Iesu pulcherrime, sponse suavissime,
Sole serenior, et melle suavior!
Da quaeso gratiam, erranti veniam,
Post vitae terminum, perenne gaudium.

LXIII.

Ad Iesum.

Dignare me, o Iesu! rogo te,
In cordis vulnere abscondere,
Permitte me hic vivere,
In tuo latere quiescere.

Si praeparet daemon insidias,
Et mundus offerat divitias,
In tuo corde tutus sum,
In tuo latere securus sum.

Fallacior si caro lubricis
Mentem exagitet blanditiis,
Nil metuo, hic tutus sum,
Est meum latus hoc refugium.

Si oculos claudat fatalis sors,
Et vitam terminet feralis mors,
O Iesu ne dimitte me,
Da, tuo moriar in latere.

XLII.

De Corona spinea. *

Exite Sion Filiae,
Regis pudicae Virgines,
Christi coronam cernite
Quam mater ipsa texuit.

Horret revulsis crinibus
Spinis cruentatum caput,
Et vultus ille decolor
Mortem propinquam respicit.

Quae terra sulcis invia,
Dumis rigens et sentibus,
Lugubre munus protulit,
Quae saeva messuit manus?

Christi rubescens sanguine
Aculeos mutat rosis,
Palmamque vincens fructibus,
Spina est triumphis aptior.

Culpis satae mortalium
Te Christe, spinae vulnerant,
Evelle nostras cordibus
Tuasque nostris insere.

Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito
In saeculorum saecula. Amen.

XLIII.

De eadem. *

Legis figuris pingitur
Christi corona nobilis,
Implexa spinis victima
Ardensque testatur rubus.

Arcam corona cinxerat,
Mensaeque sacrum circulum,
Aramque thure fumidam,
Corona nectit ambiens.

Christi dolorum conscia
Salve corona gloriae!
Gemmis et auro pulchrior
Vincens coronas siderum.

Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito
In saeculorum saecula. Amen.

XLIV.

In Festivitate Cordis Iesu. *

En, ut superba criminum
Et saeva nostrorum cohors
Cor sauciavit innocens
Merentis haud tale Dei!

Vibrantis hastam militis
Peccata nostra dirigunt:
Ferrumque dirae cuspidis
Mortale crimen acuit.

Ex Corde scisso Ecclesia
Christo iugata nascitur;
Hoc ostium Arcae in latere est
Genti ad salutem positum.

Ex hoc perennis gratia,
Ceu septiformis fluvius,
Stolas ut illic sordidas
Lavemus Agni in sanguine.

Turpe est redire ad crimina,
Quae Cor beatum lacerent:
Sed aemulemur cordibus
Flammas amoris indices.

Hoc Christe nobis, hoc Pater,
Hoc Sancte dona Spiritus,
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est saeculum, Amen.

XLV.

De eadem. *

Cor, arca legem continens
Non servitutis veteris:
Sed gratiae, sed veniae,
Sed et misericordiae.

Cor, sanctuarium novi
Intemeratum foederis,
Templum vetusto sanctius,
Velumque scisso utilius.

Te vulneratum charitas
Ictu patenti voluit;
Amoris invisibilis
Ut veneremur vulnera.

Hoc sub amoris symbolo
Passus cruenta et mystica,
Utrumque sacrificium
Christus Sacerdos obtulit.

Quis non amantem redamet?
Quis non redemptus diligat,
Et Corde in isto seligat,
Aeterna tabernacula?

Decus Parenti et Filio,
Sanctoque sit Spiritui,
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est saeculum. Amen.

Hymni Paschales.

XLVI.

Victoria! victoria! gloria
Insigni nobilem coelorum Principem
Mentibus, vocibus laetis excipimus,
O beata sors! est prostrata mors,
Quando te, inclite o Iesu mi!
Ferox necavit,
Ipsa se misere prostravit.

Victoria! victoria! laurea
Insignis gloriae Regem victoriae
Hodie splendide cingat, et decoret.
Exoptata res! est completa spes,
Impia tartara destructa sunt,
Patent Coelorum
Atria, patria iustorum.

Gaudete coeli fulgida sidera,
Gaudete aequora, montes et nemora,
Dulcia cantica ubique personent.
O iucunda lux! o beata crux!
Perdita gaudia restituit,
Fugat maerores
Flentium, mentium dolores.

In carne iam, post funera, vulnera
(O quanta gloria) micant ut sidera;
Dulcia pocula hinc mellis profluunt;
Sunt haec securissima receptacula,
Hic in te, Iesu! me abscondere
Volo, et manere,
Habe me, opto te habere.

Maria mundi inclyta Domina,
Regina siderum, corona coelitum!
Hilaris, luctibus missis tripudia,
Quem Virgineo quondam utero
Coelica gratia conceperas,
Quem mors confixit
Spiculo, tumulo surrexit.

Victoria! victoria! gloria
Te, Iesu, nobilem coelorum Principem
Hodie regie nova condecorat;
At quis meritas tibi gratias
Iesu mi, amor mi! rependerit?
Cor totum cape,
Et ad te totum me iam rape.

XLVII.

Cedant iusti signa luctus,
Cessat metus, cedunt fluctus,
Moses mare superat,
Israëlem liberat.
Vita mortem morte stravit,
Agnus sanguine nos lavit,
Induens nos gloria. Alleluia.

En abyssi claustra tonant,
Et catenae tractae sonant,
Turba Patrum coelica
Evolat ad gaudia.
Lytrum Deus-Homo pendit,
Dumque coelum nunc ascendit,
Eius est victoria. Alleluia.

Surgit Christus e sepulcro,
Solo Deitatis fulcro
Nixa, dum humanitas
Superat miserias,
Ut nos surgeremus rei,
In humilitate Dei
Nobis est victoria. Alleluia.

Docet ita nos Salvator,
Uti debeat peccator
E sepulcro criminum
Evolare in gaudium,
Quod a nobis actum fuit
Insons Christus morte luit,
Canite: victoria! Alleluia.

Frustra victus orcus frendet,
Sol salutis nobis splendet,
Liberi sunt liberi;
Servitus Diaboli,
Laqueus nunc est confractus,
Iam triumphus est peractus,
Surgite ad praemia. Alleluia!

Ergo salvae turba gentis
Nunc excusso somno mentis,
Tandem expergiscere,
Salvatorem sequere!
Salvatoris semper praesto
Nobis adiumentum esto,
Nostra sit victoria! Alleluia.

XLVIII.

Alleluia, Alleluia!
Finita iam sunt praelia,
Est parta iam victoria!
Gaudeamus, et canamus: Allel.

Alleluia, Alleluia!
Post fata mortis barbara
Devicit Iesus tartara.
Applaudamus, et psallamus: Allel.

Alleluia, Alleluia!
Surrexit die tertia
Coelesti clarus gratia.
Insonemus, et cantemus: Allel.

Alleluia, Alleluia!
Sunt clausa stygis ostia,
Et coeli patent atria.
Gaudeamus, et canamus: Allel.

Alleluia, Alleluia!
Per tua, Iesu, vulnera
Nos mala morte libera,
Ut vivamus, et canamus: Allel.

XLIX.

Io triumphe! io coelorum principes!
Supremi Regis io Ministri alites!
Portas recludite, vectes attollite,
Intrabit inclytae Iesus Rex gloriae.

Is bello nuper pulchro victus occubuit,
Nunc victor e sepulchro cum palma prodiit,
Devicit tartara, speluncas daemonis,
Prostravit agmina inferni principis.

Dudum mors dominata per mundi climata,
Iacet, iacet prostrata nunc in calvaria,
Dum Iesum spiculo infesta vulnerat,
Hoc semet iaculo incauta funerat.

O dies triumphalis! Qua mors emoritur,
Beate o mortalis! cui vita oritur!
Vere laetissima coeli miracula!
Vere gratissima terrae spectacula!

Adeste nunc frequentes telluris incolae,
Adeste castae mentes, simulque plaudite,
Dolores leniit Iesus post funera,
Maerores abstulit, et cordis vulnera.

Quid ergo, quid peccator differs accedere?
Exspectat en Salvator, vult te resurgere
A morte criminum; o surge ocius,
Ad mortis Dominum curre velocius.

Ne time quondam laesum per foeda crimina,
Accede tantum Iesum, i cum fiducia;
Intende animi nervos fortissime,
Applaude Principi festivo carmine.

Vivat io triumphe! Iesus Rex gloriae!
Vivat io triumphe! Princeps victoriae!
Sit illi gloria, virtus, imperium!
Collaudent omnia iam mortis Dominum.

L.

Serena lux, amoena lux!
Iam rident sidera;
Surrexit Christus hodie,
Sonate laeta cantica. Allel. Allel.

Laus et triumphus insonet,
Exultent pectora;
Coelum et terra iubilet,
Iungantur gaudia. Allel. Allel.

Disrupta mortis vincula,
Captivus solvitur;
Recepta vitae praemia,
Trophaeum figitur. Allel. Allel.

Iesus paschale gaudium,
Coelorum gloria,
Fores reclusit siderum,
Delevit crimina. Allel. Allel.

Decora splendent vulnera,
Iam hiems abiit;
Caesa revixit victima,
Nimbus desaeviit. Allel. Allel.

Deus placatus sanguine;
Nunc data venia;
Vulnus curatum vulnere,
O nova gratia! Allel. Allel.

LI.

Triumphe! plaudant maria,
Applaudant fontes, flumina,
Coelorum plaudant agmina!
Triumphat nostra gloria,
Rex Regum super sidera,
Iesus conscendit aethera.
In nomine Iesu, flectatur omne
Genu, coelestium, terrestrium,
Et inferorum.

Quis iste est Rex gloriae,
Ostro decorus purpurae?
De Bosra tinctis vestibus,
Qui ascendit in iubilo?
Rex potens est in praelio,
Confractis mortis viribus.
In nomine Iesu etc.

Io triumphe! coelites,
Coelorum magni Principes
Portas vestras attollite;
Attollite, occurrite,
Triumphatori dicite:
Ave Iesu Rex inclyte!
In nomine Iesu flectatur etc.

Vicisti Iesu prospere,
Iam coeli regno fruere
Consors paternae dexterae;
O Iesu meta cordium,
Sis lacrymarum gaudium,
Sis dulce vitae praemium.
In nomine Jesu etc.

LII.

Regina coeli iubila, Gaude Maria.
Jam pulsa cedunt nubila,
Alleluia, laetare o Maria.

Acerbitas solatium,
Luctus resonet gaudium.

Quem digna terris gignere,
Vivus resurgit funere. Allel.

Turbata sputis lumina:
Phoebea vincunt fulgura.

Sunt fracta mortis spicula,
Jesu iacet mors subdita.

Manuum pedumque vulnera
Sunt gratiarum flumina.

Transversa ligni robora
Sunt sceptra regni fulgida.

LIII.

Pone luctum Magdalena!
Et serena lacrymas;
Non est iam Simonis coena,
Non cur fletum exprimas,
Causae mille sunt laetandi,
Causae mille exultandi:
Alleluia resonet.

Sume risum Magdalena!
Frons nitescat lucida:
Demigravit omnis poena,
Lux coruscat fulgida:
Christus mundum liberavit,
Et de morte triumphavit, etc.

Gaude, plaude Magdalena!
Tumba Christus exiit,
Tristis est peracta scena,
Victor mortis rediit,
Quem deflebas morientem,
Nunc arride resurgentem etc.

Tolle vultum Magdalena!
Redivivum obstupe,
Vide frons quam sit amoena,
Quinque plagas aspice,
Fulgent sicut Margaritae,
Ornamenta novae vitae. etc.

Vive, vive Magdalena!
Tua lux reversa est,
Gaudiis turgescat vena,
Mortis vis abstersa est:
Maesti procul sint dolores,
Laeti redeant amores. etc.

LIV.

Plaudite coeli!
Rideat aether!
Summus et imus
Gaudeat orbis!
Transivit atrae
Turba procellae!
Subiit almae
Gloria palmae!

Surgite verni,
Surgite flores,
Germina pictis
Surgite campis!
Teneris mistae
Violis rosae;
Candida sparsis
Lilia calthis!

Currite plenis
Carmina venis,
Fundite laetum
Barbita metrum;
Namque revixit
Sicuti dixit
Pius illaesus
Funere Iesus.

Plaudite montes,
Ludite fontes,
Resonent valles,
Repetant colles:
Io, revixit,
Sicuti dixit,
Pius illaesus
Funere Iesus.

LV.

Dialogus Christi et Magdalenae.

M. Erumpe tandem iuste dolor,
Quid me quaerendo frustra solor?
Iesus evanuit,
Quis hunc mihi florem, amorem meum rapuit!

Eia singultus locum date,

Per lacrymas evaporate.
Cor mihi finditur
Amore dolore in partes mille scinditur.

C. Quid mulier per sata ruis,
Per hortos et per prata curris?
Quem quaeris flosculum,
Cur lacrymis rigas, cur gressu vastas hortulum?

M. Magistrum meum abstulerunt,
Dic eum ubi posuerunt?
Quis mihi lilium,
Quis mihi dilectum ostendet Dei filium?

Hunc si tu florem abstulisti,
Dic, ubi eum posuisti,
Et ego repetam,
In gaudia matris sponsum repertum deferam.

M. O Jesu, mi magister bone,
Quam tua laetor visione!
Des, ut affectibus
Et casti favoris constringam te complexibus.

C. Adsum, Maria! flos amoenus,
Sum enim Iesus Nazarenus,
Tuus dilectus sum,
Qui solus electus ex millibus electus sum.

C. Hic ab amplexu abstinebis,
In coelis, quando me videbis
Splendenti lumine
Tu propinquiore pasceris astri flumine.

LVI.

De Ascensione Domini. **)

Solemnis haec festivitas
Novum instaurat gaudium,
Qua perennis felicitas
Proponitur in praemium.

Ab ascendente ducitur
Regnatura captivitas:
Palma victis asseritur,
Mortuis immortalitas.

Christus scandens in aethera
Mortis fregit potentiam;
Sedens Patris in dextera
Iugem parat laetitiam.

Ut ascendit sic veniet
Sedens in nubis solio:
Poena malos afficiet
Iudex bonosque praemio.

Dies per multos saepius
Suis vivus apparuit;
Et comitum cor durius
Mitis magister arguit.

Patri monstrat assidue
Quam dura tulit vulnera:
Et sic pacis perpetuae
Nobis exorat foedera.

Suos per gentes imperat
Ferre salutis nuntium,
Sed non prius quam afferat
Dei virtus auxilium.

Nunc animis accipite
Paratum coelo praemium,
Ut membrorum cum capite
Arctius sit consortium.

Discipulis mirantibus
Coelo triumphans redditur,
Et subductus aspectibus
Nube clara suscipitur.

Quos hic orphanos deseris,
Iesu, respice coelitus;
Mitte nobis e superis
Promissa dona Spiritus.

Qui penetravit inferas
Domos Redemptor pacifer,
Se fert in sedes superas
Mundi supremus arbiter.

Tibi devotis mentibus
Per te lucescat veritas,
Per te succensis cordibus
Divina flagret caritas.

LVII.

De Spiritu Sancto.

Almum flamen, vita mundi,
Cuius virtus vegetat,
Quidquid aequoris profundi,
Soli quidquid et rotundi
Spatium progerminat,
Motor omnis creaturae,
Vita vitae sub tellure
Motus atque requies
Spiritus tu unus es.

Veni spiritus creator,
Dono largus septuple,
Veni terrae Renovator,
Pacis atque boni sator,
Locuples solatio!
O tu mentibus beatis
Gaudium, sed pravitatis
Inventori barathro
Maxima confusio.

Super aquas ferebatur
Divus ille spiritus,
Quando mundus condebatur,
Totus et animabatur
Variis virtutibus;
Tum quem primum animavit,
Mox collapsum recreavit,
Largiter vivificam
Nobis fundens gratiam.

Orbi tubas excitasti
Sacri Evangelii,
Per quas mundum suscitasti
Mortuumque praeparasti
Ad fulgorem praemii,
Nostrum roborasti pectus,
Homo quo ceu scuto tectus,
Spiritu lethiferum
Debellaret spiritum.

Huic ergo inclinemur
Salva gens Spiritui;
Huius dona demiremur,
Sanctitatem veneremur
In amore cernui.
Geminemus: Sanctus, Sanctus!
Effundamus corde planctus
Coram patre gratiae
Memori miseriae.

Ad te gratiarum fontem
Nostra currit anima:
Firma Spiritum insontem
Animumque lava sontem
Exundante gratia.
Praesulum inspira mentes,
Mundi dirige potentes,
Sacra sit communitas
Mera pax et unitas.

Omnium repurga pectus
A fermento saeculi;
Cedat satan carne tectus;
Operosae quisque rectus
Corde subsit Fidei,
Et primaevo sub ardore,
Mutuoque sub amore
Totus grex fidelium
Colligatur ovium.

LVIII.

In Festo Trinitatis.

Aeterna lux, Divinitas!
In unitate Trinitas!
Te confitemur debiles,
Te deprecamur supplices.

Summum parentem credimus,
Natumque Patris unicum,
Et charitatis vinculum,
Qui iungit illos, Spiritum.

Ut comprehendit se Pater
Gignit coaevum filium,
Sic utriusque spiritus
Amore procedit, Deus.

Nil maius hic aut sanctius
Aequale numen omnibus,
Una est trium substantia,
Aequalis illis gloria.

Tres una sunt immensitas,
Tres una summa veritas,
Tres una summa charitas,
Et nostra sunt felicitas.

O veritas, o charitas!
O finis et felicitas!
Sperare fac et credere,
Amare fac et consequi!

Qui finis et exordium,
Rerumque fons es omnium,
Tu solus ens es entium,
Tu certa spes credentium!

Qui cuncta solus efficis,
Cunctisque solus sufficis,
Tu sola lux es omnibus,
Et praemium sperantibus.

Origo Verbi tu Pater!
Aequale verbum origini
Par ex utroque Spiritus!
Vobis Triuni Gloria.

LIX.

De Sanctissimo Sacramento.

O esca viatorum,
O panis Angelorum,
O Manna coelitum!
Esurientes ciba,
Dulcedine non priva,
Cor te quaerentium.

O lympha fons amoris,
Qui puro Salvatoris
E corde profluis!
Te sitientes pota,
Haec sola nostra vota,
His una sufficis.

O Iesu tuum vultum,
Quem colimus occultum
Sub panis specie,
Fac, ut remoto velo,
Aperta nos in coelo
Cernamus acie.

LX.

Carmen Ioannis Hussi de Coena Sacra.

Iesus Christus, nostra salus,
Quod reclamat omnis malus,
Nobis in sui memoriam
Dedit hanc panis hostiam.

O quam sanctus panis iste!
Tu solus es, Iesu Christe,
Caro, cibus, sacramentum,
Quo non maius est inventum.

Hoc donum suavitatis
Charitasque deitatis,
Virtutis eucharistia,
Communionis gratia.

Ave deitatis forma,
Dei unionis norma.
In te quisque delectatur,
Qui te fide speculatur.

Non est panis, sed est deus
Homo, liberator meus,
Qui in cruce pependisti
Et in carne defecisti.

Esca digna angelorum,
Pietatis lux sanctorum.
Lex moderna approbavit,
Quod antiqua figuravit.

Salutare medicamen,
Peccatorum relevamen,
Pasce nos, a malis leva,
Duc nos, ubi est lux tua.

LXI.

Ad Iesum.

Cor meum tibi dedo, Iesu dulcissime!
En cor pro corde cedo, Iesu suavissime!
Tu corda sola expetis;
Tu sola corda diligis,
Ah amem te, ut amas me,
Iesu suavissime!

Quid reddam caritati, quod Deus natus es?
Quid dabo pietati, quod homo factus es?
Cor, inquis, praebe fili mi;
En cedo cor, o Iesu mi!
Ah amem te etc.

Cor tuum est apertum, ut intrem libere,
Ut cordi cor insertum condatur intime.
Ah Iesu mi! amoris vi
Dedisti te, ut darem me,
Ah amem te etc.

Hic cordis firmamentum, hic tuta quies est,
Amoris fulcimentum, hic certa salus est,
In petrae hoc foramine,
In cordis hac macerie;
Hic muniar, hic uniar,
Iesu carissime!

LXII.

Ad Iesum.

Iesu dulcissime! e throno gloriae
Ovem deperditam venisti quaerere;
Iesu suavissime, Pastor fidissime!
Ad te o trahe me, ut semper sequar te.

Ego, quae perii, ovis sum misera;
A fauce tartari me Iesu libera!
In tuo sanguine ab omni crimine
O Iesu lava me, ut mundus amem te.

Solamem flentium, dulcedo mentium,
Amor, fons gratiae, terrae deliciae,
Salvator optime, Pastor fidissime!
Ab hoste protege, post mortem eripe.

Iesu pulcherrime, sponse suavissime,
Sole serenior, et melle suavior!
Da quaeso gratiam, erranti veniam,
Post vitae terminum, perenne gaudium.

LXIII.

Ad Iesum.

Dignare me, o Iesu! rogo te,
In cordis vulnere abscondere,
Permitte me hic vivere,
In tuo latere quiescere.

Si praeparet daemon insidias,
Et mundus offerat divitias,
In tuo corde tutus sum,
In tuo latere securus sum.

Fallacior si caro lubricis
Mentem exagitet blanditiis,
Nil metuo, hic tutus sum,
Est meum latus hoc refugium.

Si oculos claudat fatalis sors,
Et vitam terminet feralis mors,
O Iesu ne dimitte me,
Da, tuo moriar in latere.

LXIV.

S. Casimiri Hymnus De Beata Virgine.

Omni die dic Mariae mea laudes anima:
Eius festa, eius gesta cole splendidissima.
Contemplare et mirare eius celsitudinem:
Dic felicem genitricem, dic beatam virginem,
Ipsam cole, ut de mole criminum te liberet:
Hanc appella, ne procella vitiorum superet.
Haec persona nobis dona contulit caelestia:
Haec Regina nos divina illustravit gratia.
Lingua mea, dic trophaea virginis puerperae:
Quae inflictum maledictum miro transfert genere.
Sine fine dic Reginae mundi laudum cantica:
Huius bona semper sona, semper illam praedica.
Omnes mei sensus ei personate gloriam.
Frequentate tam beatae Virginis memoriam.
Nullus certe tam disertae extat eloquentiae,
Qui condignos promat hymnos eius excellentiae.
Omnes laudent, unde gaudent, Matrem Dei Virginem:
Nullus fingat, quod attingat eius celsitudinem.
Nemo dicet, quantum licet, laudans eius merita:
Eius cuncta sunt creata ditioni subdita.
Sed necesse, quod prodesse piis constat mentibus,
Ut intendam, quod impendam me ipsius laudibus.
Quamvis sciam, quod Mariam nemo digne praedicet;
Tamen vanus et insanus est, qui eam reticet.
Cuius vita, erudita disciplina coelica,
Argumenta et figmenta destruxit haeretica.
Huius mores tanquam flores exornant Ecclesiam;
Actiones et sermones miram praestant gratiam.
Evae crimen nobis limen paradisi clauserat:
Haec, dum credit et obedit, coeli claustra reserat.
Propter Evam homo saevam accepit sententiam:
Per Mariam habet viam quae ducit ad patriam.
Haec amanda et laudanda cunctis specialiter:
Venerari et precari decet illam ingiter.
Illam posco, quam cognosco posse prorsus omnia.
Ut evellat et repellat quae sunt nobis noxia.
Ipsa donet, ut quod monet natus eius, faciam;
Et finita carnis vita, laetus hunc aspiciam.
O cunctarum foeminarum decus atque gloria.
Quam probatam et elatam scimus super omnia.
Clemens audi, tuae laudi quos instantes conspicis.
Munda reos et fac eos bonis dignos coelicis.

Virga Iessae, spes oppressae mentis, et refrigerium;
Decus mundi, lux profundi, Domini Sacrarium;
Vitae forma, morum norma, plenitudo gratiae;
Dei templum, et exemplum totius iustitiae.
Virgo salve, per quam valvae coeli patent miseris:
Quam non flexit nec allexit fraus serpentis veteris.
Gloriosa et formosa David Regis filia,
Quam elegit Rex, qui regit et creavit omnia.
Gemma decens, rosa recens, castitatis lilium,
Castum chorum ad polorum quae perducis gaudium.
Actionis et sermonis facultatem tribue,
Ut tuorum meritorum laudes promam strenue.
Opto nimis, ut inprimis des mihi memoriam,
Ut decenter et frequenter tuam cantem gloriam.
Quamvis muta et polluta mea sciam labia;
Praesumendum, non silendum est de tua gloria.
Virgo gaude, quia laude digna es et praemio:
Quae damnatis libertatis facta es occasio.
Semper munda et foecunda Virgo tu puerpera,
Mater alma, velut palma, virens et fructifera.
Cuius flore vel odore recreari cupimus:
Eius fructu nos a luctu liberari credimus.
Pulchra tota sine nota cuiuscumque maculae,
Fac nos mundos et iucundos te laudare sedule.
O beata, per quam data nova mundo gaudia,
Et aperta fide certa regna sunt coelestia.
Per quam mundus laetabundus vero fulget lumine,
Antiquarum tenebrarum offusus caligine.
Nunc potentes sunt egentes, sicut olim dixeras,
Et egeni fiunt pleni, ut tu prophetaveras.
Per te morum nunc pravorum relinquuntur devia,
Doctrinarum perversarum pulsa sunt vestigia.
Mundi luxus atque fluxus docuisti spernere;
Deum quaeri, carnem teri, vitiis resistere.
Mentis cursum tendi sursum pietatis studio;
Corpus angi, motus frangi pro coelesti praemio.
Tu portasti intra casti ventris claustra Dominum
Redemptorem, ad honorem nos reformes pristinum.
Mater facta, sed intacta, genuisti filium;
Regem Regum, atque rerum creatorem omnium.
Benedicta, per quam victa mortis est versutia,
Destitutis spe salutis datur indulgentia.
Benedictus Rex invictus, cuius mater crederis;
Qui creator ex te natus nostri salus generis.
Reparatrix, consolatrix desperantis animae:

A pressura, quae ventura malis est, nos redime.
Pro me pete, ut quiete sempiterna perfruar;
Ne tormentis comburentis stagni miser obruar.
Quod requiro, quod suspiro mea sana vulnera,
Et da menti te poscenti gratiarum munera.
Ut sim castus et modestus, dulcis, blandus, sobrius,
Pius, rectus, circumspectus, simultatis nescius;
Eruditus, et munitus divinis eloquiis,
Et beatus, et ornatus sacris exercitiis;
Constans, gravis, et suavis, benignus, amabilis,
Simplex, purus et maturus, comis et affabilis;
Corde prudens, ore studens veritatem dicere;
Malum nolens, Deum colens pio semper opere.
Esto tutrix et adiutrix christiani populi:
Pacem praesta, ne molesta nos perturbent saeculi.
Salutaris stella maris salve, digna laudibus;
Quae praecellis multis stellis atque luminaribus.
Tua dulci prece fulci supplices et refove:
Quicquid gravat et depravat mentes nostras, remove.
Virgo gaude, quod de fraude daemonis nos liberas:
Dum in vera et sincera carne Deum generas.
Illibata et ditata coelesti progenie:
Gravidata, nec privata flore pudicitiae.
Nam, quod eras perseveras, dum intacta generas:
Illum tractans atque lactans per quem facta fueras.
Mihi moesto nunc adesto, dans perenne gaudium;
Dona quaeso nimis laeso optatum remedium.
Commendato me beato Christo tuo filio:
Ut non cadam sed evadam de mundi naufragio.
Fac me mitem, pelle litem, compesce lasciviam;
Contra crimen da munimen, et mentis constantiam.
Nec me liget nec fatiget saeculi cupiditas,
Quae obscurat et indurat mentes sibi subditas.
Nunquam ira, nunquam dira me vincat elatio;
Quae multorum fit malorum frequenter occasio.
Ora Deum, ut cor meum sua servet gratia,
Ne antiquus inimicus seminet zizania.
Da levamen et tutamen tuum illis ingiter,
Tua festa sive gesta qui colunt alacriter. Amen.

LXV.

De Beata Virgine.

Alma coelestium, Regina civium,
Parens terrestrium, Maria salve!
Vita credentium, Mater viventium,
Spes poenitentium, Maria salve!

Altis suspiriis ad te pro viribus
Adae progenies clamamus salve;
Perfusi lacrymis, depressi debitis
Clamamus exules: Maria salve.

Dum in interitum extendunt laqueum
Phalanges daemonum, clamamus salve;
Tu ad nos miseros converte oculos,
Hoc nostrum suscipe: Maria salve.

LXVI.

De SS. Angelis. *

Custodes hominum psallimus Angelos,
Naturae fragili quos Pater addidit
Coelestis comites, insidiantibus
Ne succumberet hostibus.

Nam quod corruerit proditor Angelus,
Concessis merito pulsus honoribus,
Ardens invidia pellere nititur,
Quos coelo Deus advocat.

Huc Custos igitur pervigil advola,
Avertens patria de tibi credita
Tam morbos animi, quam requiescere
Quidquid non sinit incolas.

Sanctae sit Triadi laus pia iugiter,
Cuius perpetuo numine machina
Triplex haec regitur, cuius in omnia
Regnat gloria saecula. Amen.

LXVII.

De Angelo Custode.

Angelice Patrone
Beate Spiritus,
Custos, et tutor bone
Mi date coelitus!
Tuo grates amori
Mens gestit dicere,
Quo sine nolim mori,
Nec ausim vivere.

O Comes et Antistes
Vitae individuus,
A me ne longe distes,
Sis dux assiduus;
Me protege, tuere,
Accende, dirige;
Instruere, docere
Me Doctor satage.

Infirmum me conforta,
Sustenta debilem,
In manibus me porta,
Ne fors ad lapidem
Pedes meos offendam,
Sed recto tramite
Da, facilis ascendam
Culmen iustitiae.

Si daemon infernalis
Struat insidias,
Divine mi sodalis
Adfer suppetias;
Hostemque procul pelle,
Ut mecum superes,
Fac me nil unquam velle,
Quam quod tu cuperes.

In viam duc salutis,
Errantem moneas,
Obstacula virtutis,
De via moveas;
Mens sceleris sit pura,
Ah mens ne pereat!
Huic Deus una cura
Infixus haereat.

A teneris fuisti
Qui mihi socius,
In hora mortis tristi
Accurras ocius,
Et animam defende
A fraude daemonis,
Modumque tunc ostende
Placandi Numinis.

Ah mortis in agone
Fac vere doleam,
Pura confessione
Peccata deleam,
Spe, Fide, charitate,
Et patientia,
Munitus pietate
Linquam praesentia.

Hanc animam, tremendo
Cum sistar iudici,
Tibi, Praeses, commendo,
Illi tu subveni,
O Angele mi custos
Migrantem tollito,
Et laetus inter iustos
Ad dextram ponito.

LXVIII.

De Petro et Paulo.

O Roma nobilis, orbis et domina,
Cunctarum urbium excellentissima!

Sanguine martyrum purpure rubea,
Albis et virginum liliis candida!
Salutem dicimus tibi per omnia,
Te benedicimus, salve, per saecula.

Petre, tu praepotens coelorum claviger,
Vota precantium exaudi iugiter!
Cum bis sex tribuum sederis arbiter,
Factus placabilis indica leniter!
Vel et precantibus nunc temporaliter
Ferto suffragia misericorditer!

O Paule, suscipe nostra peccamina,
Cuius philosophos vicit industria!
Factus oeconomus in domo regia,
Divini muneris appone fercula!
Ut, quae repleverit te sapientia,
Ipsa nos repleat per tua dogmata.

LXIX.

De Omnibus Sanctis. **

Sponsa Christi quae per orbem
Militas Ecclesia,
Prome cantus, et sacratos
Dic triumphos coelitum.

Haec dies cunctis dicata,
Mixta coeli gaudiis:
Laeta currat, et solemni
Personet melodia.

Laureatum ducit agmen
Iuncta Mater Filio,
Sola quae partu pudorem
Virgo nunquam perdidit.

Mox sequuntur angelorum
Administri spiritus,
Siderumque conditori
Mille laudes conciuunt.

His Ioannes, vate maior,
Praeco Christi praevius,
Patriarchae cum prophetis,
Accinunt dulci melo.

Principes sacri senatus,
Orbis almi iudices,
Sedibus celsis sublimes
Facta pendunt omnium.

Prodigi vitae cruore
Purpurati martyres,
Auspicati morte vitam,
Pace gaudent perpeti.

Turba sacra confitentum,
Cum Levitis praesules,
Saeculi luxu reiecto,
Perfruuntur gloria.

Pompa nuptialis, agno
Consecratae virgines,
Liliis rosisque sponsum
Aemulantur prosequi.

Omnibus sors haec beata,
Gloriam Deo dare,
Et potentem confiteri,
Terque sanctum dicere.

Coelites, o vos beati,
Quos Deus felicitat,
Supplicum votis adeste
Et favete singuli.

Hausta fonte liberali
Dona, terris fundite:
Pace nostris in diebus
Obtinete perfrui.

Ut Deo cum sanctitate
Serviamus subditi,
Gloriae post hac futuri
Quam tenetis compotes.

LXX.

Carmen poenitentium.

O caeca mens mortalium
Quousque quaeris vanitatem?
Oblita spiritalium
Non cogitas aeternitatem,
Quo tendis, ah! quo properas?
Cur finem haud consideras?

Honores, opes, praedia,
Et sceptra transeunt momenta;
Venustas formae, media
Sunt saepe nobis nocumenta;
Mundana quid sunt omnia,
Quam fumus, umbra, somnia!

Sic ergo cuncti vivite,
Vivatis ut aeternitati;
Sic mori iam nunc discite,
Ne moriamini damnati:
Aeternitas vos terreat,
Aeternitas vos urgeat.

LXXI.

Sancti Augustini antidotum contra tyrannidem peccati.

Quid, Tyranne! quid minaris?
Quid usquam poenarum est,
Quidquid tandem machinaris:
Hoc amanti parum est;
Dulce mihi cruciari,
Parva vis doloris est:
Malo mori quam foedari!
Maior vis amoris est.

Para rogos, quamvis truces,
Et quidquid flagrorum est:
Adde ferrum, adde cruces:
Nil adhuc amanti est!
Dulce mihi cruciari,
Parva vis doloris est:
Malo mori quam foedari!
Maior vis amoris est.

Nimis blandus dolor ille!
Una mors quam brevis est!
Cruciatus amo mille,
Omnis poena levis est.
Dulce mihi sauciari,

Parva vis doloris est:
Male mori quam foedari!
Maior vis amoris est.

LXXII.

Carmen Thomae a Kempis de Patientia Christiana.

Adversa mundi tolera
Pro Christi nomine.
Plus nocent saepe prospera
Cum levi flamine.

Quum a multis molestaris,
Nihil perdis, sed lucraris.
Patiendo promereris,
Multa bona consequeris.

Nam Deum honorificas,
Et angelos laetificas,
Coronam tuam duplicas,
Et proximos aedificas.

Labor parvus est et brevis vita,
Merces grandis est, quies infinita.
Toties martyr Dei efficeris,
Quoties pro Deo poenam patieris.

Patiendo fit homo melior,
Auro pulchrior, vitro clarior,
A vitiis purgatior,
Virtutibus perfectior,

Jesu Christo acceptior,
Sanctis quoque similior,
Hostibus suis fortior,
Amicis amabilior.

LXXIII.

Carmen Iacoponi de Contemptu mundi.

Cur mundus militat sub vana gloria,
Cuius prosperitas est transitoria?
Tam cito labitur eius potentia,
Quam vasa figuli, quae sunt fragilia.

Plus crede literis scriptis in glacie,
Quam mundi fragilis vanae fallaciae!
Fallax in praemiis virtutis specie,
Quae nunquam habuit tempus fiduciae.

Dic, ubi Salomon, olim tam nobilis,
Vel ubi Sampson est, dux invincibilis?
Vel pulcher Absalon, vultu mirabilis,
Vel dulcis Ionathas, multum amabilis?

Quo Caesar abiit, celsus imperio?
Vel Xerxes splendidus, totus in praudio?
Dic ubi Tullius, clarus eloquio?
Vel Aristoteles, summus ingenio?

Tot clari proceres, tot rerum spatia,
Tot ora praesulum, tot regna fortia,
Tot mundi principes, tanta potentia,
In ictu oculi clauduntur omnia.

Quam breve festum est haec mundi gloria!
Ut umbra hominis, sic eius gaudia,
Quae semper subtrahunt aeterna praemia,
Et ducunt hominem ad dura devia.

O esca vermium, o massa pulveris,
O ros, o vanitas, cur sic extolleris?
Ignoras penitus, utrum cras vixeris;
Benefac omnibus, quamdiu poteris!

Haec mundi gloria, quae magni penditur,
Sacris in literis flos foeni dicitur;
O leve folium, quod vento rapitur!
Sic vita hominis hac via tollitur.

Nil tuum dixeris, quod potes perdere!
Quod mundus tribuit, intendit rapere.
Superna cogita! cor sit in aethere!
Felix, qui potuit mundum contemnere!

LXXIV.

De Novissimis.

Hora novissima, tempora pessima sunt: vigilemus!
Ecce! minaciter imminet arbiter ille supremus!
Imminet, imminet, ut mala terminet, aequa coronet,
Recta remuneret, anxia liberet, aethera donet,
Auferat aspera duraque pondera mentis onustae,
Sobria muniat, improba puniat, utraque iuste.
Ille piissimus, ille gravissimus, ecce! venit rex!
Surgat homo reus! Instat homo deus, a patre iudex.

Addenda.

Tomus Primus.

VIII. Maxima Bibl. Patr. Lugd. Tom. XXVII. p. 83 exhibet carmina Damasi. 2. nomineque. 13. crevit. Notas adiicit hasce: Elegans carmen S. Damasi Papae de Andrea crucem passo. Baronius in Martyrologium ultima Novembris. Mihi vero non videtur esse Damasi, sed recentioris cuiusdam. Et quod initio ait Damasus V. 1. Decus sacrati nominis vitamque nomine exprimens, etc. Et: Andrea Christi Apostole, hoc ipse iam vocabulo signaris isto nomine: alludit ad Andreae nomen, *ἀνδρεῖος* enim virilem, fortem significat. De sancto Andrea sanctus Paulinus natali q. sancti Felicis:

Hic Pater Andreas, hic qui piscator ad agros
Missus, vaniloquas docuit mutescere linguas.
Qui postquam populos ruptis erroris iniqui
Retibus explicuit, traxitque ad retia Christi
Thessalicas fuso damnavit sanguine Patras.

V. 4. (Crucis beatae gloria.) Iustus Lipsius in lib. de Cruce cap. 7. ambigit an vera fama sit de cruce decussata, in qua fertur S. Andreas cruciatus fuisse: nam Hippolytus scribit crucifixum Andream Patris in Achaia, ad arborem olivae rectam. Adde S. Petrum Chrysologum, qui in sermone 133. in sanctum Andream Apostolum, sub finem haec ait: Petrus namque Crucem, arborem conscendit Andreas. Qua de re Baronius in Martyrologio 30. Novembris, et Bosius lib. 1. de Cruce.

IX. V. 6. 22. supplica dominum. Max. Bibl. Lugd. 15. laetior inde. 21. renidens. 22. pro misero rogita Damasi. Sequuntur editores ut ipsi fatentur, ubique Clichtovaeum.

XI. V. 6. 3. dans. 5. M. 15. 16. sonet. 16. M. 15. culpas. 25. M. 15. 16. labentes. 27. lapsos cadunt. 32. ora solvamus tibi.

XII. V. 6. 11. voti.

XVII. M. 16. 4. dies dierum. 12. religet. 14. retundet.

XVIII. M. 16. 12. luce labescat.

XX. v. 5—8 omissa in M. 15.

XXV. M. 16. 5. nam.

XXVI. Tentzel. Exercit. Selectae p. 404 Quem enim paullo ante vidimus *ὕμνον ἑσπερινὸν, φῶς ἱλαρὸν ἁγίας δόξης* etc. Rambach. I. 44.) expressit Prudentius aut quis alius auctor notissimis iam his O lux beata Trinitas." M. 16. 13. sancti.

XL. M. 13. 6. confessione. 7. M. 13. V. 6. flammascat.

XLIV. M. 16. 10. novimus.

XLV. M. 16. 7. Christe.

XLVI. M. 16. 3. coeli. 17. M. 15. indicet.

LI. M. 16. 10. virore gratiae.
LII. M. 16. 7. ordini. 10. direptionis.
LIV. M. 16. 2. ordinas.
LVII. M. 16. 9. cum. 14. almus est. 27. ructari.
LXXII. M. 16. omittit v. 16—20.
LXXIII. M. 16. 10. gratis debitum.
LXXV. M. 15. 1. omnium. 2. ex patre.
LXXIX. M. 15. 16. 20. saeve.
LXXX. M. 16. 1. rex 9. Satanas. 23. tenebrarum vias. 29—64. omissa.
LXXXVI. M. 15. 6. praetulerunt M. 15. 16. 15. callidi bestiis. 29. fecimus.
XCVIII. M. 15. 16. 10. illuxit. 15. sorde. 25—28. om.
CII. Du Méril ex Codic. B. R. No. 10587. col. 815. legit 59. deneges et 41 per coniecturam deamat alterum.
CIII. M. 4. 6. aegros sopore desides. M. 16. ergo sopore. 7. M. 4. 16. casteque recte ac sobrie. M. 16. 13. discute. 14. nostra v.
CIV. M. 4. 11. discimus.
CV. 2. M. 16. fatiscat. 10. M. 4. 16. nec m. 11. M. 16. oculi nec.
CVI. 11. M. 4. vox et omnis. 19. perstrepunt.
CVII. 14. M. 4. ferrum satelles arripe.
CVIII. 2. M. 4. Bethleem. 9. quod postquam. 14. flagrans.
CIX. 6. M. 4. vividi. 9. resudans.
CX. 28. M. 4. meditabitur.
CXI. 4. M. 4. lucem. 20. bibat. 25. Deus. 39. continent: secunda manu continuat.
CXII. 15. M. 4. iubet.
CXV. 3. M. 4. vividum. 8. vivit. 9. soluta. 24. arcet. 29. quia.
CXIX. 9. M. 15. 16. castae. 26. M. 16. deum.
CXX. 3. M. 16. diripit.
CXXXIX. 5—8. in M. 15. 16. om. 10. M. 15. diraе. 13. fidelis. 17. M. 16. decora — fulgida. 22. M. 15. 16. saecli pep. pret. 23. M. 15. corporis. M. 16. corpori. 24. M. 16. tartari. 30. collaudat. 32. regnans.
CXL. 2. Pr. Rm. M. 15. 12. tropaeum. 4. Rm. M. 15. fraude facta. 5. Rm. M. 15. 12. morte morsu. 12. M. 14. carne factus. 13. Pr. M. 9. 15. 14. positus. 15. M. 15. cinxit. M. 9. ligat f. 16. Rm. M. 12. lustris peractis. 18. M. 9. 12. Pr. in crucis. 24. M. 9. 12. 15. Rm. Pr. dulces clavos — sustinet. 27. M. 9. superna.
CXLIII. 5. M. 6. 11. iamque triumphanti. 9. V. 5. preces. 11. M. 6. nobilitas — decus — arma. 12. M. 6. scripula — fovens. 26. M. 6. abit.
CXLIV. In Cod. Mon. 3. In Natali S. Mariae. — 3. M. 3. mirentur ergo tempora. 11. M. 3. concepit. 13. M. 3. beata matris munera. 17. M. 3. 16. beata coeli. 20. M. 3. lacta sacrata ubera. 21. M. 16. domina. 28. M. 3. est. 29. M. 3. tu reddis alta ianua.
CXLV. 4. M. 16. liberet. 21. M. 16. V. 6. ne. 23. M. 16. per quam.
CL. 1. M. 14. V. 4. magnum — gaudium. 9. M. 14. nardo pistico. 11. M. 14. beatos unxit domino. 12. M. 14. et

detergendo crinibus. 30. V. 4. recisa. 37. V. 6. salutis tropaeum. 45. V. 4. hos ergo.

CLXII. 5—8. in M. 15. 16. om. 11. M. 15. 16. collata Iesu. 13—20. M. 15. 16. om. 24. M. 15. 16. flectant. 25. M. 15. 16. tremuit videntes. 29—36. om. 37. M. 16. tu esto. 45. M. 15. 16. repente.

CLXXXIII. 13. M. 16. recubans cubili. 37. M. 16. coronat. 41. M. 15. hic potens. 46. M. 16. lumine.

CLXXXV. 11. M. 16. vitae promisso. 12. M. 15. sermonem. 16. M. 16. perpeti. 21—24. M. 15. 16. om.

CLXXXVI. 3. M. 11. V. 4. Israel es tu rex. 5. M. 11. coelicus. 12. M. 11. rex pie rex clemens.

CCVIII. 1. M. 6. 9. 11. ac aethra. 3. M. 9. quae. 8—12. om. in M. 11. 9. M. 6. 9. praebet. 19. M. 6. 11. baiulo. 21—24. om. in M. 9. 21. M. 6. 11. lavator toris. 22. M. 11. aggerat. 27. M. 6. 11. das. 30. M. 9. a cordis. 32. M. 6. crescat.

CCXIV. 2. M. 15. dehiscant. 4. cum. 5. dans. 10. quamvis gr. 12. quo. 15. 16. ut tuae — gratiae.

CCXVI. 18. V. 4. olivum. 22. et medetur. 25. lota.

CCXIX. 5. M. 15. copuletur. 7. abditis. 9. ob Christi nomen hic. 13. angularis. 14. parietis. 22. acquirere.

CCXXXII. 4. M. 16. canant. 19 sempiternis gaudiis.

CCXXXIV. 7. M. 15. contagia. 8. taedia.

CCXXXVII. 7. M. 15. huius.

CCLXI. 4. M. 9. sanguis fusus.

Tomus Secundus.

Seq. I. 15. V. 2. 3. armaturam. 16. V. 3. prolatus.

III. 2. V. 2. 3. 5. ac t. 11. V. 3. 7. ut q.

IV. 4. V. 7. regis summi. 10. V. 3. parentis. 11. V. 2. 3. delegit. V. 7. manifestat.

V. 11. V. 2. 3. tacitum ceteris.

VI. 2. V. 2. manentem. 3. V. 2. collaudant. 6. V. 3. 5. qui. 7. V. 7. nostra. 8. V. 7. donet. 9. V. 3. das. 9. V. 7. terrena. 10. V. 7. dono. 11. V. 7. exerceat. 12. V. 7. sed et.

VII. 6. V. 2. offerant. 8. V. 5. 7. praecepit. 9. V. 5. patris. 10. V. 5. absolutione. 11. V. 5. unctus. V. 7. ductus. 14. V. 3. magistrum.

VIII. 2. V. 3. 5. Abraham. 3. Omitt. V. 2. 3. 5. 7. 6. V. 2. 3. te figurat. V. 7. florida. 7. V. 5. perviam. 16. V. 2. 5. sit per aevum.

IX. 2. V. 5. devoti. 20. V. 3. casura.

XI. 1. V. 3. digno. 3. V. 7. Deo omnip. 5. V. 3. 5. 7. et tuta. 8. V. 7. baiulant. 9. V. 3. 7. mereamur. 10. V. 3. Christus. 11. V. 2. victurus.

XIII. 7. V. 7. assiliis. 10. V. 3. detenta. 12. V. 2. praepeti. V. 3. 5. 7. transvolans. 16. V. 2. 3. 5. Nam Id. 18. V. 2. 3. in finem.

XIV. 5. V. 3. purgat. 10. V. 7. a nobis om. 13. V. 3. confirmasti — ut. V. 7. tu conf. 19. V. 3. idolatra revocans. 20. V. 7. supplices tibi. 22. V. 3. saecula saeculorum tu numinis. 24. V. 7. nunc diem.

XV. 3. V. 3. et ad ass. 4. V. 3. flagitamus om 6. V. 2. 3. 5. et. 7. V. 3. quam. 9. V. 3. poscimus. 11. V. 2. mundi.

XVI. 5. V. 2. 3. 5. vasque. 8. V. 2. spermologon. V. 3. dictiloquos sua vice. 9. V. 3. te P. 10. V. 2. Romanes. V. 2. morte. V. 3. ipse Neronis.

XVIII. 6. V. 5. 7. fecit. 11. V. 5. conresurgenti. V. 7. cum Christo.

XIX. 5. V. 3. sugendam V. 5. sugendo. 6. V. 3. nam c. II. V. 3. concelebrant. 13. V. 3. tu pl. 14. V. 3. 5. veneran.

XX. 6. V. 2. istos. V. 3. praecellit. 7. V. 2. 3. 5. qua.

XXII. 14. V. 2. ac domo.

XXV. Sententiam proposui poetam in primis clausulis imitatum esse Horatium; nunc mihi praeplacet eum ipsius Galli verba expressisse. Nam ut refert vetustus scriptor II. apud Pertzium, Gallus iis qui abbatem postulasunt, respondit: „Ego natos et praedia propter Christum dereliqui, et iterum capiam divitias *saeculi?* Decreveram relictis fratribus et extraneus filiis matris factus, fieri propheticus filius, et nunc fiam arator evangelicus, qui retro respiciens non est regno Dei aptus. Iam dicione *regiminis* vestri moderante libens obtemperabam, sed modo hac solitudine contentus, dies meos absque ambiguitate ducam.“

XXVI. 5. V. 2. 5. novenos. 6. V. 2. 5. quos. 7. V. 2. iuvate. 9. V. 5. vestri.

XXVII. 2. Du Méril ex MSS. Reg. Bibl. pavidus. 7. V. 3. retilat. 8. Du Méril: inspexit. 9. V. 5. patribus. 10. V. 3. medicamine. 13. V. 3. ut. 17. Du Méril et V. 5. ut qui.

XXX. 2. V. 3. 5. 7. eadem. 4. V. 2. 3. 5. 7. Myrmidones. 6. V. 3. domini. 7. V. 7. quaecunque om. 12. V. 3. sectatur.

XXXI. 3. V. 3. suam. 7. V. 3. maculas — vertisti. 10. V. 3. totus mundi — patrem.

XXXV. 8. V. 5. sponsa.

XXXVI. 3. V. 7. fulgur. 4. V. 7. fidem. 11. flammam — distinctos — mundilab.

XXXVII. 9. V. 7. 8. sacrosept.

XXXVIII. 4. V. 8. impugnans. 7. V. 7. 8. cessans. 8. V. 8. hinc — de inim. V. 7. sic. 12. V. 7. hic l. 13. V. 7. collegit. 14. V. 7. et nos. 17. V. 7. relicto vit. pr. 18. V. 8. quem te.

XL. 1. V. 3. et om. 10. V. 3. exaudit — emundat — adamat. V. 8. adamas ut. 11. V. 3. tegit lavanda *tergenda.* 13. V. 3. ex v. 16. V. 3. 7. mundans spiritu. 17. V. 8. resurgentem. 18. V. 8. hanc Christe proselitam. 19. V. 8. hanc in terra.

XLI. 11. V. 8. ac iustum. 13. V. 8. principis huius. 15. V. 8. antequam fit.

XLII. 5. V. 8. homo natus — ex mortali. 17. V. 8. *Deus* rex. 18. V. 8. c. in quibus Christe habitas. 20. V. 8. suscitat terra nostra quam. 22. V. 8. hi sunt c. — appellas. 24. V. 8. habitas rex.

XLIII. 4. V. 8. gratiae. 7. V. 8. haec vitam. 10. V. 8. hanc virginem. 15. V. 8. tu nos tuere.

XLV. 1. V. 7. unitas. 3. V. 3. sociat. 4. V. 2. 3. 5. 7. unus est. 5. V. 2. 5. 7. est et. 9. V. 3. hunc omnis. 10. V. 3. om. laudat. V. 7. laudant. 11. 12. V. 2. 3. 5. 7. *et nos* voce praecelsa omnes simul et iubilemus organica cantica dulci melodia. Eia et Eia nunc omnes simul et modulemus altithrono domino laudes *in ex-*

celsis 13. 14. V. 2. 3. 5. 7. o ven. Tr. o ad. Tr. 16. V. 25 tu Trinitas. 19. V. 2. 3. 5. om.

LVII. 2. V. 3. resultat. 3. V. 3. cantant. 5. V. 3. nunc et — imbilant. 10. V. 3. sonant. 11. V. 3. istinc. 14. V. 3. exultet. 15. V. 3. frequens.

XXX. 3. V. 7. tollat. 4. V. 7. terit fastidia — calcans vi pr. 8. V. 7. suscipias — teneas.

XXXI. 4. V. 8. valde 6. V. 7. neque virgo clara.

XXXIV. 1. V. 7. consurgunt. 3. V. 8. quando ver. V. 7. lenius. 4. V. 7. 8. cum ten. 5. V. 8. vitam.

I. V. 7. 8. omittunt 4—6. II. V. 7. canimus mel. V. 8. dum vox. III. V. 7. qui per. X. V. 7. hostes ceduntmillia. XII. V. 7. interlignum. XIII. V. 8. et quos crucem vis subire — dies venit irae.

IV. 1. V. 8. incisum. 2. V. 8. de spina — spinetis. 3. V. 8. cinnamomum — superans. 7. V. 8. fulvum caritatis. 8. V. 8. praefers. 13. V. 8. solve reos.

XII. 3. V. 8. stili pr. 4. V. 8. compreh. 8. V. 8. deputatur.

XX. Cod. Vind. 7. 8. semel habent strophen: Dic nobis Maria etc. In nona clausula legunt suos. — Quod suspicati sumus p. 96. hanc prosam inserviisse ludis sacris vel mysteriis confirmatur Reliquiis Antiquis Thomae Wrightii Tom. II. p. 144. Legitur ibi A Mystery of the Resurrection „Tunc occurrent eis apostoli scilicet Petrus, Andreas et Ioannes cantantes hoc: Dic nobis Maria etc. Respondent mulieres cantantes: Scimus Christum etc. Apostoli respondentes cantant: Credendum est etc. Mulieres iterum cantant: Scimus etc. Tum apostoli et mulieres quasi concredentes cantant: Tu nobis etc.“

XXIII. CXXIV. Duabus praeclarissimis Sequentiis addimus scripturam duorum codicum, qui in Bibliotheca Vindobonensi Ambrasiana asservantur. Debetur illarum membranarum collatio Antonio Schmidio, Viro Doctissimo aeque ac humanissimo, cuius liberalitatem iam saepius laudando commemoravimus. Ipsum audias vetustorum codicum bene peritum, in epistola benevole ad me missa haec disserentem: Beide von mir verglichenen Codices sind aus dem Ende des 15ten Jahrhunderts, und gewiss Abschriften älterer Bücher dieser Art. — Der erste ist ein auf Pergament elegant geschriebenes, und mit Miniaturen verziertes Hussitisches Graduale im grössten Folio von 981 Seiten; es enthält nebst vielen anderen Sequenzen auch das Stabat mater. Die dort befindlichen Varianten sind folgende: — Strophe 1. Contristantem et dolentem. — 2. Penam nati incliti. — 3. Matrem Christi cum videret. Matrem Christi contemplari. — 4. Cum emisit spiritum. — 5. Me sentire tui doloris, Fac ut penam lugeam. — 6. Sancta mater illud age Crucifixi insint plage Cordi meo fiaide etc. — 7. Fac me pia tecum flere. Me tibi consociare. (Die Strophen 8 und 9 fehlen im Codex.) — 10. Christe cum sit hinc exire, Da per matrem me venire Ad palmam victorie. Quando corpus morietur, Fac ut anima donetur Paradisi glorie. Amen. — Der zweite Codex ist ebenfalls ein auf Pergament schön geschriebenes und mit Malereien geschmücktes Graduale im grössten Folio von 198 Blättern, und stammt, wie das vorhergehende aus Böhmen. Die weiteren Beschreibungen dieser Codices liest man in Alois Primisser's Werke; „Die k. k. Ambraser-Sammlung. Wien 1819. 8. Seite 257. — Im letztgenannten Codex steht das Dies irae mit folgenden Varianten: — Strophe 14. Sed tu deus fac beni-

gue. Der letzten Strophe geht die folgende voran: „Ne me perdas, sed regnare Fac cum tuis Iesu care Et in celis gloriare."

Denique tremendi de extremo iudicio cantici duas exhibemus translationes. Altera germanica, quam non sine voluptate legi, est ab A. Schmidio confecta: nam in interpretatione etiam carminum veterum egregiam collocavit operam:

Tag des Zorn's, o Tag der Zähren!
Wirst die Welt in Asche kehren,
Wie Sibyll' und David lehren.

Angst und Grauen wird uns beugen,
Wenn der Herr im Niedersteigen
Richten wird vor tausend Zeugen.

Laut wird der Posaune Dröhnen
Durch das Reich der Gräber tönen,
Dass den Richter wir versöhnen.

Die Natur — der Tod wird beben,
Wenn sich Leichen neu beleben,
Rechenschaft dem Herrn zu geben.

Ernst wird Er das Buch entfalten,

Wo mit Flammenschrift enthalten
Aller Menschen Thun und Walten.

Wenn der Herr den Erdkreis richtet,
Wird Verborgenstes gelichtet,

Und des Frevels Brut vernichtet.

Ach, wie soll ich Armer flehen,

Welchen Anwalt mir erspähen,
Wo Gerechte kaum bestehen?

Furchtbar gross — und doch voll Gnaden
Willst du uns der Schuld entladen, —
Führ' mich auf des Lichtes Pfaden!

Denk', o Iesu! dass dein Streiten

Uns den Himmel wollt' erbeuten.
Schirme mich in jenen Zeiten!

Mich Verlornen aufzufinden,

Starbst am Kreuz' Du für die Sünden

Lass dies Huldmeer nicht entschwinden:

Herr, Du strafst das sünd'ge Streben!
O vergib — ich fleh' mit Beben,
Sühn' mich noch in diesem Leben!

Denn ein schuldbewusstes Bangen
Röthet meine blassen Wangen:
Hör', o Gott, mein Glutverlangen.

Wie Marien Du verziehen,
Und dem Schächer Heil verliehen.
Lass auch mir die Hoffnung blühen!

Zwar nicht würdig ist mein Flehen:

Doch lass Deine Huld mich sehen,
Und entzeuch mich ew'gen Wehen!

Stell' mich, Herr, nicht zu den Schlechten,
Lass mich bei den treuen Knechten

Ewig weilen Dir zur Rechten.

Lass, wenn Du der Schuld Genossen
In der Hölle Schlund verstossen
Mir der Gnaden Reich erschlossen!

Tief im Staub' und reuig wende

Flehend ich zu Dir die Hände:

Gib mir, Herr, ein sel'ges Ende!

Wenn der Mensch am Tag' der Wehen
Wird vom Aschenstaub' erstehen,
Und dem strengen Richter nahen
Lass ihn Deine Gnad' umfahen!
Frommer Iesu! Heiland Du!
Schenk' uns All'n des Himmels Ruh! Amen.

Alteram, venerando Hebraeorum sermone concinnatam, lectoribus offert Ludovicus Spliethius, adolescens linguarum orientalium amantissimus, speramus, fore ut si non in omnibus christianissima argumenta verbis eleganter expresserit alienis, tamen in non nullis locis diligentiae laudem mereatur.

יום עברה

א. דה יום עברה אף יום צרה
ישית תבל כמבכירה
חזים ראים מר ונורא:

ב. הוי צעקה ומצוקה
אם ירד עשה מלוכה
ידין משפט וצדקה:

ג. קול שופר וקול תרועה
יקים מתים דל ושוע
יוליך אותם אל־גבוה:

ד. תבל ושאול יתמהו
בהקים פלם יגועו
ולדין בקול יקראו:

ה. ספר כתוב כי יגיע
מנהו טוב ורע ישמיע
מנהו יצדיק אף ירשיע:

ו. יום בו אל לכפא יעלה
סתום וצפון יגלה
לשפט עשיר וכל־נקלה:

ז. אוי מה אענה חפני
אל־מי אצעק יעננני
הן אם־אצדק ירשיעני:

ח. אנה אל בהדר גאונך
תבנה עולם בחסדך
חנני־נא ברב רחמך:

ט. ישוע צדיק הושיעני
אל־תמעשי תוכיחני
ליום משפט אל־תרשיעני:

י. ברפיך כשלו שחרתני
בעץ נתלית פדיתני
בסבלות ריק לא עבדתני:

יא. צדיק אתה בעל־נקמה
בפדיום תן־לנו נחמה
על־פני־יום הבא נהמה:

יב. כי נחמתי עולל רשע
פני חורו מרב פשע
חקח תפלה תשלח ישע:

יג. פמו עון מריס נשאת
משאלת־כבל השמעת
וגם־לי תקוה נתת:

יד. אוי טמא־שפתים אני
אם־נא בחסד ידעתני
אל־נא שאול ישרפני:

טו. לפבשים תעמידני
ומעזים תבדילני
על־ימינך תקימני:

יו. ארוריס לשאול הדחת
ליקוד אש אותם שלחת
ואותי לברוכים השבת:

יז. שיחי שפכתי לפניך
יהבי השלכתי עליך
להפקיד רוחי על־ידיך:

I.

Index carminum. *)

	Pag.
Ad celebres rex coelice laudes*	24
Ad concentus animemur*	209
Adest dies olivarum*	233
Ad honorem matris Dei	233
Ad honorem superni cantemus regi*	170
Ad honorem tuum Christe*	81
** Ad Iesum accurrite	344
Admiranda sed favoris digna dies oritur*	154
Adoranda veneranda	89
** Adversa mundi tolera	379
Aegidio psallat coetus iste laetus Alt.*	190
** Aeterna lux divinitas	369
Agni paschalis esu potuque dignus	14
Agone triumphali militum regis summi*	30
* Alma redemptoris mater, quae pervia coelis	318
* Alleluia, alleluia	363
** Alma caelestium regina civium	375
Alme confessor et professor	187
** Almum flamen vita mundi	368
Altissima providente	209
** Altitudo quid hic iaces	341
** Amara Christi passio	350
** Angelice patrone	376
Animemur ad agonem	76
A rea virga primae matris Evae*	171
A solis occasu usque ad exortum est cunctis nomen tuum*	28
** Attolle paullum lumina	345
Ave caro Christi*	200
Ave Dei genitrix summi Virgo semper Maria	49
Ave Iesu Christe qui pro peccatorum salute	171
** Ave Iesu Christe verbum patris	327
** Ave Iesu, summe bonus	337
** Ave Iesu deus magne	341
Ave Mariae mater serena	240
Ave Maria gratia plena	92
Ave Martha gloriosa	234
Ave praeclara Catharina nam tua tenera*	189
Ave praeclara maris stella in lucem gentium	32
* Ave regina coelorum	319
Ave summa praesulum, eia o Christi gemma*	172
Ave verbi Dei parens*	203
* Ave verbum incarnatum	328
* Ave vere corpus natum	327
* Ave vere sanguis Domini	326
Beatus hic servus quem cum venerit*	172
Benedicta sit semper sancta Trinitas, deitas scilicet unica, coaequalis gloria	49
Benedictio trinae unitati simplici detur	172
Benedicto gratias Deo nos referamus*	52
Bene Doctor et salutis	242
Caeli celant gloriosam supernorum civium*	154
Caeli enarrant gloriam Dei filii verbi incarnati	44
Caeli regem attollamus*	211

*) Asteriscus semel postpositus hymnum abbreviatum indicat, Asteriscus unus praepositus Antiphonam designat, duo asterisci praepositi carmina in Appendice adiecta denotant.

	Pag.
Caeli solem imitantes	211
Cantemus cuncti melodum nunc Alleluia	52
Carmen suo dilecto *	53
** Cedant iusti signa luctus	362
Celsa pueri concrepent melodia *	173
** Christi patentis incola caulae	342
Christe tui praeclari militis Wenceslai colentes solemnia *	174
* Christi corpus ave sancta de virgine natum	328
Christi Domini militis martyrisque fortissimi praelia *	53
Christo laudes decantet hic chorus psallens die ista *	174
Christum supplici omnes corde precemur *	174
Christus hunc diem iucundum *	53
Clare sanctorum senatus Apostolorum princeps orbis terrarum rectorque regnorum	29
Coenam cum discipulis	230
Cogita anima fidelis v. Dies irae dies illa	103
Concenta parili hic te Maria veneratur populus	10
Conceptio Mariae virginis *	208
Concinamus pariter	201
Congaudent angelorum chori gloriosae virgini	21
Congaudentes exultemus *	76
Consurge iubilans *	189
** Cor arca legem continens	361
Corde, voce pulsa coelos *	77
Cordis oris symphonia	234
** Cor meum tibi dedo, Iesu dulcissime	370
Costi regis filia	242
* Cum rex gloriae Christus infernum	315
** Cur mundus militat sub vana gloria	379
** Custodes hominum psallimus angelos	375
** Crux ave benedicta	349
De profundis tenebrarum	155
Deus Deorum vera sanctorum confessorum gloria *	169
Deus in tua virtute sanctus Andreas	26
Diem festum Bartholomaei Christi amici *	54
Dies irae dies illa	103
Dies laeta celebretur	212
** Dignare me o Iesu rogo te	371
Dilectus Deo et hominibus *	169
Dixit Dominus, ex Basan convertam, convertam in profundum maris	37
Dulcis sonet harmonia *	156
** Dum virgo vagientem	343
Ecce dies celebris *	71
Ecce dies praeoptata	77
Ecce iam votiva festa recurrunt annua *	174
** Ecce nova gaudia	343
* Ecce quomodo moritur iustus	331
Ecce solemni hoc die canamus festa *	54
** Equis binas columbinas	344
** Eheu mortalis quot pro te malis	347
Eia iubilemus carmina Deo digna *	178
Eia recolamus laudibus pia digna	3
** En ut superba criminum	360
En regnator coelestium terrenorum *	54
Epiphaniam Domini canamus gloriosam *	178
** Erumpe tandem iuste dolor	366
** Est virgo coeli rore	337
** Exite filiae Sion	348
** Exite Sion filiae	360
Exulta Sion filia *	207
Exultemus et laetemur *	75
Exultemus et laetemur *	213
Exultemus in ista fratres solemnitate gaudent *	54
Exultemus regum regi *	93
Exultent filiae Sion in rege suo	48
* Exultet iam angelica turba	303
Exultet plebs fidelium	243
Festa Christi omnis christianitas celebret	9
** Festivis resonent compita vocibus	354
Florem mundus protulit	208
Flos pudicitiae	246
Fulgens praeclara rutilat per orbem hodie dies *	175
Fulget dies praeclarus cunctis memorandus seculis	156

	Pag.
Gaudeat Hispania	190
Gaude caelestis sponsa summi regis	175
Gaude Christi sponsa virgo mater ecclesia*	55
Gaude felix Agrippina	203
Gaude Maria Virgo Dei genitrix quae prom.	55
Gaude mater ecclesia recolens cum gaudio Hieronymi magnalia*	191
Gaudens ecclesia hanc diecu-lam venerando celebrat*	23
Gaude mater luminis	191
Gaude proje Graecia**	87
Gaude Sion quae diem recolis*	89
Gaude Sion quod egressus	158
*Gloria in excelsis Deo	267
Glorietur totus mundus*	204
Gloriosa fulget dies, exultet ecclesia*	175
Grates Deo et honor sit per secula*	176
Grates nunc omnes reddamus Domino Deo nostro*	5
Grates salvatori ac regi Christo Deo*	15
Gratulemur ad festivum*	66
Gratulemur dulci prosa	157
Gratuletur orbis totus*	204
Hac in die gloriemur	214
Hac in die triumphali*	215
Haec est sancta solemnitas solemnitatum*	55
Hanc concordi famulatu colamus solemnitatem	6
Hanc dieculam orbi cuncto colendam*	176
Heri mundus exultavit	64
"Heu dei filius quot poenis premitur	358
Hic oculis et manibus in coelum et totis viribus suspensus*	176
Hierusalem et Sion filiae	74
Hoc in natalitio*	203
Hodiernae festum lucis*	215
Hodiernae festum lucis et solemne vitae ducis	215
Hodierna lux diei*	216
"Hora novissima tempora pessima sunt vigilemus	380
"Huc ad iugum Calvariae	353
Hymnus laudis Deo detur	247
**Iam radix Iesse floruit	340
**Iesu dulcissime e throno gloriae	371
**Iesu meae deliciae	350
**Iesus Christus nostra salus	370
Iesus dulcis Nazarenus	252
*Iesus Nazarenus rex Iudaeorum	318
**Iesu thronum maiestatis	340
Illuminare Hierusalem illuminare Sion elevare*	192
Imperatrix gloriosa	235
In aeterno regno vitae	249
**In Bethlcem transeamus	338
**In crucis pendens arbore	348
In hac die laetabunda*	216
In occursum praecursoris	217
In profundo tenebrarum*	250
Interni festi gaudia	256
Invictum Christi militem*	206
*Inviolata integra et casta es Maria	326
"Io triumphe, io caelorum principes	363
Iocunda resonent*	192
Iocundare plebs fidelis	84
Ioannes Iesu Christo multum dilecte virgo	7
"Ira iusta conditoris	355
Is qui prius habitum mortis induit*	55
Iste dies celebris constat*	55
Iucunda Deo laudatio sit in die sanctis consecrata	176
Iudicem nos inspicientem cryptа cordis rimantem*	55
Laetabunda psallat plebs*	84
Laetabundus fidelis in coelis coetus iocundetur	192
Laetabundus exultet fidelis chorus Allel.	61
Laetabundus Francisco decantet clerus All.	193
Laetabundus plaudat mundus	239
Laeta mente canamus Domino nostro*	56
Laeto corde resonemus*	218
Laeto cordis cum fervore	218
Lauda Sion salvatorem	97
Lauda sponsa genitricem*	219
Laude celeberrima recolamus festa sacratissima	177
Laude Christo debita	252

	Pag.
Laude condignissimus dies annua reddit gaudia praesentia*	56
Laude dignum sanctum canat Othmarum Suevia mater*	28
Laudemus omnes inclita 84.	208
Laudes Christo redempti voce modulemur supplici	178
Laudes crucis attollamus	78
Laudes Domino concinat orbis ubique totus*	56
Laudes Domino nostro nostra concinat armonia*	56
Laudes Salvatori voce modulemur supplici	12
Laurenti David magni martyr milesque fortis	20
Laus erumpat ex affectu	86
Laus et gloria Deo sit in secula*	179
Laus sit regi gloriae	254
Laus tibi Christe cui sapit quod videtur	180
Laus tibi Christe patris optimi nate deus omnipotentiae	8
Laus tibi Christe qui es creator	39
Laus tibi sit o fidelis Deus*	56
Lebuine confessorum*	250
**Legis figuris pingitur	360
Luce lucens in aeterna	220
**Lugete dura marmora	351
Lux advenit venranda*	77
Lux illuxit dominica*	71
Lux iucunda lux insignis	71
Lux praeclara lux solemnis*	221
Maiestati sacrosanctae	199
Magnum te Michaelem habentem pigaus*	24
Mane prima sabbati	255
Matris melos triumphantis	221
*Media vita in morte sumus	329
Miles inclyte fortissimi regis Christi nos adiuva*	56
Mittit ad virginem	59
Mulier laudabilis*	202
Mundi renovatio	194
Mundi renovatio	68
Nato canunt omnia Domino pie agmina	56
Nato nobis salvatore	242
Natus ante secula Dei filius invisibilis interminus	8
Nicolaum confessorem*	223
Nos audi tua festa colentes*	180
Novae laudis harmoniae*	223
Nuno crucis alma canta gaudia*	57
O beata beatorum	204
**Obstupescat iam natura	352
**O caeca mens mortalium	378
O caelestis harmonia*	235
**O caeli obstupescite	347
**O Christe pendens arbore	354
**O deus ego amo te Nam prior	385
**O deus ego amo te Nec amo	335
O dilecte domino Galli perenni	25
**O esca viatorum	369
O felicem genitricem	205
O felix virgo Barbara*	160
**O lux salutis nuncia	337
**O mira res flent coelites	359
Omnes sancti Seraphim Cherubim	26
**Omni die dic Mariae mea laudes anima	372
O panis dulcissime*	160
**O populo mi quid merui	346
**O Roma nobilis orbis et domina	376
**Orbis gaude quod nunc homo	339
O stella maris ave*	200
**O ter foecundus o ter iucundus*	318
**Parvum quando cerno deum	342
Pangamus creatoris atque redemtoris gloriam*	14
Pangat chorus in hac die*	223
**Paschali iubilo sonent praeconia	356
Petre summe Christi pastor et Paule gentium doctor	19
**Plaudite caeli	366
Plausu chorus laetabundo	88
**Pone luctum Magdalena	365
Praecursorem et baptistae	169
Praecursorem summi regis*	84
Profitentes unitatem*	74
Promissa mundo gaudia*	58
Prompta mente canamus trinitati individuae*	57
Pranis datum admiremur*	82
Psallat concors symphonia	236
Psallat ecclesia mater illibata et virgo	23

	Pag.
Psallat laete orbis coetus sacratae fidei repletus *	195
Psallite regi nostro psallite prudenter	41
Quam dilecta tabernacula *	75
Quam mira sunt Deus tua portenta *	57
Qui Benedicto cupitis huc festivi currite *	57
Quid tu virgo mater ploras Rachel formosa *	30
** Quid tyranne quid minaris	378
Qui procedis ab utroque	73
Qui sunt isti qui volant ut nubes per aera *	181
Recensemus in hac die	162
Recordare sanctae crucis	101
Regem regum veneremur *	223
** Regina coeli iubila	365
* Regina coeli laetare All.	319
Regi psalmistae citharistae tibi Christe iubilo psall. *	195
Regnum tuum regnum omnium sanctorum domine *	181
Resurgenti tuo nato	160
Rex omnipotens die hodierna mundo *	181
Rex Oswaldus ab Anglorum	161
Rex regum Deus noster colende tu moderaris militiam christianam *	30
Romana stirpe Quirinus procreatus *	57
Roma Petro glorietur *	81
Sacerdotem Christi Martinum cuncta per orbem canat ecclesia	27
Salus aeterna indeficiens mundi vita	185
Salvatorem concordi laudemus Christum melodia *	195
Salve crux arbor *	84
* Salve crux digna	317
Salve crux sancta arbor *	181
Salve felix Elisabeth odorifera rosa	195
Salve festa dies toto venerabilis orbi Qua deus ad caelos	181
Salve festa dies toto venerabilis orbi Qua Deus de caelis	182
Salve festa dies toto venerabilis orbi Qua Deus ecclesiam	183
Salve festa dies toto venerabilis orbi Qua sponso	184
Salve mater salvatoris	82
Salve mitis et benigne *	224
** Salve mundi salutare	359
Salve porta perpetuae lucis fulgida *	57
* Salve regina mater misericordiae	321
* Salve salve mundi verbum	328
Salve sancta facies	232
Salve splendor firmamenti *	163
** Salvete Christi vulnera	355
Sanctae Annae devotus decantet chorus Allel. *	196
Sancti baptistae Christi praeconis	18
Sancti belli celebremus triumphum *	57
Sancti merita Benedicti inclyta *	20
Sancti spiritus assit nobis gratia	16
Sancti spiritus assit nobis gratia	185
Sanctissimae Virginis votiva festa recolamus *	197
Scalam ad coelos subrectam tormentis cinctam *	57
** Serena lux, amoena lux	364
Serpens antiquus vicit in ligno *	187
Simplex in essentia *	72
Sion felix gratulare *	224
** Solemnis haec festivitas	367
Sospitati dedit aegros olei perfusio	256
Speciosus forma prae natis mulierum *	187
Splendor patris et figura	66
Sponsa Christi et decora	257
** Sponsa Christi quae per orbem	377
Stabat mater dolorosa	132
Stans a longe qui plurima perpetravit facinora *	58
Stirpe Maria regia procreata Regem generans Iesum	22
Stola iucunditatis Allel.	168
Summi triumphum regis prosequemur laude	15
Summo laudes Creatori *	164
Summum praeconem Christi * collaudemus laeti *	58
Supernae matris gaudia	89

	Pag.
**Tandem fluctus tandem luctus	336
*Te Deum laudamus Te Dominum confitemur	276
Tempore sub gratiae	229
Tibi Christe redemtori	259
Tu beatus es Bariona	225
Turbam bellicosam quam Dei non veretus servi*	58
Venerandae venustatis	225
Veni mater gratiae	197
Veni praecelsa Domina	165
Veni sancte spiritus	35
*Veni sancte spiritus	315
**Veni veni Immanuel	336
Veni virgo virginum*	198
Verbum bonum et suave	93
Verbum Dei Deo natum	166
**Verbum supernum prodiens	357
Victimae paschali laudes immolent christiani	95
**Victoria, victoria, gloria	361
Virginalis turma sexus	260
Virgini Mariae laudes concinant christiani*	198
Virgini Mariae laudes intonent christiani	198
Virginis venerandae de numero sapientum festa celebremus socii	30
Virgo Dei Margarita	226
Vito plaudat omnis aetas	228
Vox sonora nostri chori*	89
Zyma vetus expurgetur	69

St. Gallus praemia patriae, gremium matris, coniugis curam spernit et Dominum sequebatur 25. 3—7. n.
— app. choro iunctus 25. 12. n.
Gloria hymni origines ad orientem referendae p. 268.
— hymni usus ecclesiast. antiquus p. 270.
— hymni usus eccles. hodiernus p. 273. 274.
— Marianum p. 273.
St. Guilielmus abb. et ursus 270. 6.
Hagiolatriae quod exemplum afferat Chemnitzius 167. n.
Heliconis saltus organicus 45. 11. n.
Herodes comparatur cum aspide surda 41. 11. n.
Heroes vocantur patriarchae 20. 6.
Herrnhutianorum sacrae conciones in diluculo Paschatos. p. 309.
S. Hieronymus columna aurea ecclesiae 269. 6.
— verus Israelita 269. 2.
St. Hilarius auctor Te Deum suspectus p. 288.
Homo an reddi possit impeccabilis p. 23.
St. Iacobi App. martyrium 186. n.
Idithun recte vocatur Christus 13. 4. n.
Iesus pugil vigorosus 280. 11.
SS. Innocentes gemmulae sanctorum 166. n.
— lac cum cruore fundentes clamant ad Deum 166. 6.
— praecones clari flores martyrum corusci 166. 10.
S. Ioannes evang. ὁ ἀετὸς ὁ ἀληθινός 141.
— ales volat altius vate propheta 141. 9.
— contra haereticos pugnat 141. 6.
— cur habeat aquilam 109. 5. 112. 4.
— miracula, mors 141. 6—8. 12. n.
— potavit fluenta pectoris Christi 5. 4.
— reliquit coniugem ut Christum sequeretur 5. 3. n.
— semper virgo 5. 1. n. 8.
— suscitavit mortuos 5. 10. n.
— verbum Dei tacitum ipsi est revelatum 5. 11.
— vincit venenum 5. 10.
S. Ioannis bpt. decollatio 41. 8—15.
— festivitates p. 43.
S. Ioannes bpt. amicus Christi 15. 4. 14.
— lucerna sedet in tenebris 41. 12. n.
— lucerna verae lucis 233. 11.
— nondum natus est renatus 142. 5.
— prophetarum meta 233. 3.
— vicinus Christo et dignitate et morte 41. 18. n.
Iudaei Poloniae et psalmos et carmina potatoria eodem decantant numero 81. n.
de Iudicio extremo Anselmi verba 123. 7. n. Hieronymi 123. 9. n. Lutheri 123. 2. n. Goethii 123. 16. n.
In Iudicio extremo Satanas frendet dentes 123. 4. n.
— liber profertur vitae 123. 5. n.
St. Iuvenalis ep. naufragantium patronus 267. 11.
Kilianus ap. 116. 13—22.
St. Laurentii quae sint opes 138. 9. 10. n.
St. Laurentius piscis assatus 18. 10. n.
Leviathan diabolus 36. 7.
Lia, Rachel, Martha, Maria 269. n.
Limbus patr. an creditur a Godescalko p. 44.
Lucas cur bovis habeat fig. 112. 6.

Lutheranorum Chronostichon in hymno Te Deum 293. 4.
Lutherus de app. maritis 141. 9. n.
— de Christophero 215. n.
— de S. Cruce 100. n.
— de S. Elisabeth 131. n.
— de Gloria p. 267. 274.
— de S. Iacobo Compostellae condito 186. 10. n.
— de St. Ioanne bpt. p. 43. 44.
— de Iudicio extremo 123. 2. n.
— de Lauda Sion 121. n.
— de St. Margaretha p. 227.
— de b. V. Maria p. 320.
— de S. Nicolao 273. n.
— de Regina coeli p. 320.
— de Sanctorum invoc. 82. n.
— de Te Deum p. 295.
— de Veni sancte Sp. 316. 320.
Machina alti poli tremit canore 67. 10.
St. Magdalenae, cur primum Christus apparuerit p. 13.
— festiv. (Transl. Convers.) p. 40. in eccl. evang. sepultae p. 41.
St. Magdalena quomodo pedis Domini unxerit 40. 7—11.
— regina confitentium p. 40.
Mahometum indiscretum qui sectatur exstirpatur 277.
Manna typus sacramenti 36. 9.
Marcus leone insignis 109. 5. 112. 6.
Maria aurora surgens 218. 4. cur. 245. 8 n.
— domina angelorum p. 319.
— ebur candens castitatis 104. 7.
— flos pudicitiae, aula munditiae, vitae vena, rosa iucunda, castitatis lilium 268. 1. 2. medela criminum, purgatrix sordium, confirmatrix cordium 268. 3.
— flos sine spinis 104. 2. 117. 5.
— imago ecclesiae 40. 18. n.
— imperatrix 259. 1.
— lignum vitae 36. 5. n.
— lux ecclesiae 260. 12.
— mater misericordiae 117. 6. n.
— mater vera orphanorum 224. 12.
— mediatrix hominum male appellatur p. 83.
— myrtus temperantiae 104. 4.
— nardus odorifera 104. 4.
— paradisus caelestis 104. 6.
— porta (clausa) 104. 3. p. 318. 319.
— porta fulgida lucis perpetuae 73.
— praecelsa Domina, salvatrix secli, regina gentium, lux stella manum, virga regalium 140. 1—6.
— radix p. 319.
— rosa patientiae 104. 4.
— regina coeli 19. 10. 36. 3.
— rubus incombustus 119. 3. n. 36. 9.
— sol et luna 131. 4. n.
— stella maris 1. 4. n. 19. 9. 36. 1. 104. 12. 140. 5. 275. 9. p. 318.
— templum gloriae 218. 2.
— vas electum 104. 1.
— virga stirpis Iesse 36. 4.
— virgo virginum 8. 3.

Halis ex Officina Ed. Heynemanni.

Zu Seite 247.


Flos pu-di-ci-ti-e au-la mun-di-ci-e,
ma-ter mi-se-ri-cor-di-e, sa-lue vir-
go se-re-na, ui-te ue-na, lux a-me-na, ro-re
ple-na, se-pti-for-mis spi-ri-tus uir-tu-ti-
bus or-nan-ti-bus, ac mo-ri-bus vernan-ti-bus.
Ro-sa ju-cun-da ca-sti-ta-tis li-li-um,
Pro-le fe-cun-da gig-his de-i fi-li-um;
Vir-go, que mun-da tu post pu-er-pe-ri-um,
Modo miro si-ne vi-ro pro-le fe-cun-da-ris;
Velle-reque ma-den-te-que di-gna do-mi-ni paris;
summi du-cis, ve-re lu-cis par-tu de-co-ra-ris:
vir-go prolem, stella so-lem profers expers pa-ris:
vir-ga flo-re, ru-bo ro-re vir-go desi-gna-ris.
ob hoc ri-te vi-a vi-te ju-re predi-ca-ris.
Tu spes, et re-fu-gi-um lapsorum hu-mi-li-um,
Tu so-la-men tri-sti-um, le-vamen de-bi-li-um;


tu me - de - la ĕri - mi - num, sa - lus pe - ne-
tu pur-ga - trix sor - di - um, con-fir - ma - trix
ten - ti - um;
cor - di - um.
Tu laus, tu re - me - di - um,
Tu vi - ta - le pre - mi - um
in te con - fi - den - ti - um,
ti - bi ser - vi - en - ti - um.
O pi - a
E - ri - ge,
Ma-ri - a! lap-sis a - du - cta - ta, tu cunctis
di - ri - ge cor-da tu-o - rum ad pi - a
mi - se - ris dul-cis spes et gra - ta,
gau-di - a reg-ni ce - - lo - rum.
Quo ve-re
gau - de - re per te pos - si - mus, cum na-te-
ad libit.
que tu - o reg - nan - tes simus.

3 2044 011 496 338

A FINE IS INCURRED IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW.

DEC 9 1972 H
CANCELLED
NOV 16 1972
4416.90
6627305
BOOK DUE WID
DEC 27 1979
JUN 25 1992
DUE

WIDENER
BOOK DUE
CANCELLED
SEP 10 1990